Lot 479

14754/b

BOTTARI, G. G.



PROSPECTUS VETERIS ARCUS TRIUPHALIS, CUJUS FATISCENTES RELIQUIAS
A VIA FLAMINIA ALEXANDER VII. P. M. IN CAPITOLIUM
TRANSFERRI JUSSIT ANNO SAL. MDCLXII. v. pag. 39.

MUSEI CAPITOLINI

TOMUS QUARTUS

CONTINENS

MARMORA ANAGLYPHA

CUM ANIMADVERSIONIBUS



G. M.a Cassini Som.co Inc.

ROMAE

APUD ANTONIUM FULGONIUM

cIↄIↄcclxxxiI

PRAESIDUM ADPROBATIONE.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



G. M. Caſsini Sc. Inc.

NICOLAUS FOGGINIUS FLORENTINUS
ROMAE CANONICUS S. ANGELI IN FORO PISCIUM
ET BIBLIOTHECAE CORSINIAE PRAEFECTUS

BENEVOLIS LECTORIBUS

TANDEM aliquando, poſt annos ipſos ſex & viginti, in lucem hominum prodit Muſei Capitolini Volumen quartum. Mirari autem arbitror neminem, tamdiu praeclarum opus interruptum fuiſſe, ſi norit, iam inde ab anno MDCCLV., quo tertium volumen vulgatum fuit, uſque ad hoc tempus, multa fuiſſe impedimento, quominus contexeretur, atque abſolveretur. Clariſſimus vir Iohannes Bottarius eius operis inventor, & auctor, cum animum ad conſcribendum Volumen tertium appuliſſet, adeo incommoda, propter onus aut iam urgentis, aut certe adventantis ſenectutis, valetudine uti coepit, ut illud vix, ac multa quidem moleſtia, atque labore, confecerit. Quamobrem cum monumenta, veterumque Scriptorum teſtimonia, quae ad illuſtranda Anaglypha Voluminis quarti pertinerent, ſe non poſſe ſine aliorum ope colligere, experiundo comperiſſet;

ita

ita eum ſuſcepti operis pertaeſum eſt, ut neque delineanda reliqua Anaglypha [nonnulla enim delineata iam fuerant] neque ex iis ullum aere incidendum curarit. Poſt annos ab eo tempore amplius decem Petrus Franciſcus Fogginius patruus meus, non ferens aequo animo tamdiu negligi adeo egregium opus, adiit Nereum Corſinium S. R. E. Cardinalem, qui ſingulari & Bottarium, & ipſum Fogginium benevolentia complectebatur, eumque hortatus, obteſtatuſque eſt, ut qui magnos ad edenda priora tria Volumina ſumptus fecerat, ad conficiendum quartum eadem ſe benignitate, atque liberalitate foveret: etenim in ſe recepiebat omnia Anaglypha, de quibus in hoc volumine proponendum eſſet, explicare, quoniam in dies imbecillior Bottarius videretur, & eſſet ad id ſtudium tam longum, tamque difficile ſuſcipiendum. Et profecto non multo poſt Bottarius apoplexia correptus, etſi haud ſtatim morte occubuit, quod opportune adhibitis medicamentis vis morbi imminentis praefracta, atque praerepta eſt, neque tamen vere vixit; quod diu infelicem, atque aerumnoſam vitam deinceps per plures annos traduxit, cui ſolummodo adventus amicorum, qui doctrina, virtuteque praeſtabant, neſcio cuius levationis erat, ſi praeteritas praeſertim res, ſi libros ab eo perſcriptos, aut editos, ſi vetera monumenta, ſi quae ad Chriſti Servatoris cruciatus, atque ad religionem pertinebant, commemoraſſent: libenter enim non audiebat modo, ſed etiam ſapienter, ac iucundiſſime colloquebatur. Tali modo cum ſex & octoginta annos compleſſet, magnis laboribus communis commodi cauſſa perfunctus, clariſſimus ille vir, cuius memoriam nulla umquam delebit oblivio, deceſſit pridie nonas iulias anno MDCCLXXV.; & pro hominis dignitate decoro funere elatus, in aede S. Mariae Tranſtiberim ſepultus eſt in monumento marmoreo cum inſcriptione, quam idem patruus meus, multis annis eius contubernalis, intimus, atque familiariſſimus confecit. En huius monumenti ſchema:

Porro,



Hieronymus Masius inven. et delin. *Jo. M.ª Cassini Som.ª Sculp.*

Porro, ut ad propoſitum revertar, Cardinalis Corſinius, prout ipſe naturali quadam propenſione non ſolum deſiderabat, verum etiam quibuſcumque modis poſſet incrementum bonis artibus afferre ſolebat, nihil cunctatus, maiores ſumptus, ſi opus eſſet, ad edendum Volumen quartum ſe facturum, Fogginio pollicitus eſt; & is etiam ſtatim eniti omni ſtudio coepit, ut reliqua Anaglypha ſcite, periteque quantocyus delinearentur, aereque inciderentur; tum ſubſecivis temporibus, propterea quod aliis ſtudiis, negotiiſque eſſet impeditus, priora quatuor, deinde alia novem, non ſervato eorum ordine, explicavit. Verum, cum experiundo intellexiſſet, ſe aetate provectum ſi ſolus eſſet, tam magnum laborem ſuſtinere, incoeptumque abſolvere non poſſe, ſibi Ioſephum Mariam Quercium ſocium, adiutoremque adiunxit, qui variis doctrinis, atque imprimis Graecae, Latinaeque linguae peritia valebat, & qui mox eius opera dictus fuerat primus Bibliothecae Corſiniae Praefectus. At vix ſeptem declarare Anaglypha fas Quercio fuit. Nam Florentiam demigravit, qua in urbe natus, altuſque fuerat, a Petro Leopoldo Magno Duce Etruriae, optimo Principe, accerſitus, ut celeberrimae Pinacothecae Regiae praeeſſet, quin eiuſmodi honoris gradum aut petiviſſet, aut de eodem petendo cogitaſſet. Et licet Roma decedens, numquam ſe commiſſurum, ut incoeptum deponeret, pollicitus fuiſſet; tamen, cum tempus vacuum, ac liberum, quo tot, tantiſque anaglyphis illuſtrandis operam diligentem daret, ſe nanciſci non poſſe deinde perſpiceret, neque retinere, quamdiu vellet, ei liceret commodatos libros, quibus continenter opus haberet, ſolutum ſe a praeſtando promiſſo iudicavit. Qua de re primum excuſationis litteras, deinde nactus occaſionem ſeptem illas cum Latinas, tum Italice a ſe redditas explicationes anaglyphorum, quae paucis commutatis, ut ſcribendi ratio reliquis ſimilis eſſet, hoc in Volumine editae ſunt ſuis locis, ad patruum meum miſit, cui, etſi incommode id accidiſſet, tanti non fuit tamen, ut ipſum a deligendo alio ſocio, adiutoreque ſuſcepti laboris deterreret. Itaque huic

oneri

oneri humeros me ſubiicere iuſſit, quemadmodum licet iuvenem pro Quercio Bibliothecae Corſiniae praeficiendum curaverat; fore ratus ut colligendo monumenta, & teſtimonia, quae ex uſu eſſe poſſent ad illuſtranda Anaglypha Capitolina, imagineſque in iiſdem expreſſas inſpiciendo, non modo harum inter ſe nexum, & rem ab artifice repraeſentatam facile coniicerem, ſed etiam brevi tempore copioſam haberem notitiam cum antiquitatum Romanarum, atque Graecarum, tum veterum, novorumque Scriptorum, qui aut eas poſterorum memoriae mandarunt, aut apud nos diligenter animadverterunt, atque illuſtrarunt. Interim vero, ne ego magnitudine, copiaque rerum deterritus incoeptum perſequi me poſſe diffiderem, mihi ille ſubſidio eſſe numquam deſtitit, & alia etiam nonnulla anaglypha, vacuis quandoque curis, explanare ſategit, ut celerius opus perficeretur. At ſaepe ac diu intermiſſum eſt tamen; cum minus commoda valetudine uti coeperim, & Florentiam propter ſalubritatem nativi aëris, recuperandae, aut confirmandae ſalutis cauſſa, iterum iterumque conceſſerim. Quare lentius, laborioſiuſque, quam erat in votis, hoc volumen confectum, abſolutumque eſt, ac tamdiu eius editio dilata.

Praeterea noſcunt quidem plerique omnes, qui non mediocrem in hoc genere ſtudiorum operam curamque conſumunt, quam ſit difficilis, atque obſcura ea facultatis antiquariae pars, quae figurata dicitur, inque explicandis ſigillatis vetuſtis monumentis, quae appellamus anaglypha, verſatur. Nam cum multae ſaepe figurae ita inter ſe nectendae, colligandaeque ſint, ut apte ad rem oſtendendam omnes congruere videantur; tot tantiſque quandoque res eſt implicata difficultatibus, ac veluti offuſa tenebris, ut quo te vertas interdum neſcias, etſi acer ſis, ac diligens antiquitatum inveſtigator. Enimvero libens aſſentior Winckelmannio (*a*) aienti, veteres ſculptores ex Mythologia, Heroumque hiſtoria excerpſiſſe, quae in anaglyphis repraeſentarunt; fatendum eſt tamen, illos non omnia ex iiſdem fontibus

 hauſiſ-

(*a*) In Praefat. operis, cui titulus: *Monumenti antichi &c.*

hauſiſſe, neque omnes eiuſmodi libros, unde minus aſpera ad anaglypha intelligenda muniretur via, ad nos perveniſſe. Quinetiam animadvertendum eſt, Ethnicos, quae de Diis narrabantur, fabulas, ut ipſis libebat, fingere, variiſque commentis, morem ſequutos Poëtarum, hominumque ingenioſorum, ornare conſueviſſe. Ex quo fiebat, ut a ſculptoribus eiuſmodi ornatus, atque commenta [quae, cum mandata non ſint monumentis litterarum; nos latent] in anaglypha inferrentur. Pauſanias periegetes doctiſſimus, atque ſagaciſſimus, cum Graeciam perambulaſſet, complures ſe vidiſſe a claris viris cum pictas, tum inſculptas fabulas teſtatus eſt, quarum nonnullae figurae, quidnam ſignificarent, explorate percipere, cognoſcereque non potuit. Quamobrem ubi illas deſcripſit, ſuas protulit coniecturas, ut aliqua ratione ſatis ſuis lectoribus faceret. Quid igitur mirum, ſi nos, qui tam procul a Pauſaniae aetate remoti ſumus, neque ſuperſtitioſam religionem colimus Ethnicorum, ſaepe lateat, quoſnam ſignificatus habeat unaquaeque figura, atque imprimis omnium nexus figurarum?

Porro inde etiam oriri declarandorum veterum anaglyphorum difficultatem intelligo, quod non Graeci modo, ſed etiam Romani occultari iis fabulis arcana, atque myſteria religionis dicerent, ne ſuorum Deorum flagitia, atque impudicitiae efferrentur. Nam ſi eae fabulae ſecundum verborum ſonum ac magis obvium ſenſum explicatae phyſice fuiſſent, adeo turpia ſe patraſſe vel ipſos mortales puduiſſet. Quamobrem Arnobius, ut maximam fuiſſe Ethnicorum dementiam oſtendat, iiſdem facete quidem Deorum flagitia obiicit, & hinc etiam ſaepe Deos ipſos acriter, ingenioſeque irridet Lucianus. Verum qui myſticos, atque allegoricos ſignificatus requirebant, curioſius id faciebant, quam neceſſe erat, proque ingeniis fictas coniecturas, commentitiaſque ſententias in contrarias partes ſaepe deducebant. Quorum opiniones tam variae, tamque inter ſe diſſidentes compertae ſunt, ut, ne immenſa, atque inexplicabilis rerum, atque Deorum confuſio eſſet, horum numerum auxerint, plureſque Veneres, Hercules,

Ioves,

Ioves, Liberos excogitarint; ut ex libris M. T. Ciceronis de Natura Deorum, atque ex Saturnalibus Macrobii cognoſci plane poteſt. Vult autem is, quem poſtremo loco nominavi, omnia Numina unum eſſe Solem, a quo omnia efficiantur, quae a tot Diis agi, adminiſtrarique dicuntur. Itaque ſculptores, cum unum aliquod ex myſteriis theologiae Ethnicorum exhibere ſaepe vellent, imagines ac ſymbola Deorum, ex praeceptis artis, quae magis explorate habebant percepta, interponere ſolebant. Plane enim norant, quae myſteriorum cum Diis coniunctio eſſet, quam nos aut confuſe tantum attingimus, aut penitus ignoramus. Scripſerunt quidem de eiuſmodi allegoriis, atque myſteriis Palaephatus in libro de hiſtoriis incredibilibus, Heraclitus, & Anonymus ſcriptor in eiuſdem argumenti libris, Heraclides Ponticus in allegoriis Homericis, & Phornutus, graviſſimus auctor, in Commentario de Natura Deorum, & Saluſtius Philoſophus de Diis, & Mundo, aliique praeſertim Graeci Grammatici, atque Scholiaſtae. At poteritne quiſpiam, omnia ab his expoſita fuiſſe, ſine temeritate defendere? Neque magnum nobis afferunt ad veteres ſculpturas explicandas adiumentum Everardi Feitii Antiquitatum Homericarum libri quatuor, & Danielis Claſſenii tractatio de theologia Ethnicorum. Nam ille ea potiſſimum declarare inſtituit, quae ab Homero fuerunt conficta ac celebrata; Claſſenius vero de peculiaribus opinionibus, atque fabellis, quae ad eorum religionem pertinerent, pauca ſcripſit. Nam doctiſſimus is auctor illud ſibi demonſtrandum ſumpſit, theologiam Ethnicorum nihil aliud fuiſſe, niſi ſacrilegam corruptelam, & abuſum Divinarum Scripturarum, ac religionis Hebraeorum.

Id autem, quod hactenus de fabulis breviter monuimus, de Heroum quoque hiſtoria dicendum eſt, quam in vetuſtis anaglyphis aeque obſcuram ſaepe eſſe, explicatuque difficilem certo conſtat. Tradita quidem ab Homero eſt in ſuis poëmatibus; & nulla fortaſse res a quoquam Heroum geſta inſculpta cernitur, quae non ab iis poëmatibus, veluti a quibuſdam magnis,

gnis, inexhauſtiſque fontibus, manet. At negarene quiſquam poteſt, res ipſas, quas Homerus ſimpliciter, breviterque narrat, apud nonnullos, ne dicam omnes, ſcriptores tam variis, tamque magnificis, excitandae maioris admirationis cauſsa, fabellis atque ornatibus inſtructas legi, ut cum nullus in iis naturalis inſit, ac non fucatus nitor, perdifficile ſit noſcere, an illae ipſae ſint, quae apud Homerum leguntur? Huius diſſimilitudinis accuſandos potiſſimum eſse video auctores Tragoediarum. Hi enim nulla ratione melius ſpectatores affici admiratione, atque delectatione poſse exiſtimarunt, quam ſi Tragoedias tali modo exornatas inſpexiſsent. Artifices autem anaglyphorum huiuſmodi hiſtorias, ſeu fabulas repraeſentaturi, Scriptores magis Tragoediarum, quam Homerum ſequi ſolebant; propterea quod iam in ſcenam productae ab omnibus perciperentur, maioremque in ſculpturis vim, atque nitorem haberent, ſi ex Homero deductae tragico inſtructu, ornatuque comitatae exhiberentur. Quamobrem Graecas Romanis praeferebant, quod illas elegantioribus, magiſque mirificis ornatibus inſignitas eſſe iudicarent. Igitur praeclare Winckelmannius ſtudioſos veterum monumentorum monet: oleum, & operam perdere, qui obſcuram aliquam mythologicam hiſtoriam inſculptam videns, eius inveſtigandae cauſſa, conſulit Scriptores rerum, & antiquitatum Romanarum: contra vero, ſi diligenter volvat auctores Graecarum Tragoediarum, raro futurum, quin aptam comperiat ſculpturae declarandae rationem. At enim plura Poëtarum Tragicorum opera deſiderantur, & ex iis, quae exſtant, non omnia exſtant nulla ex parte manca.

Ignoratio quoque loci, in quo explicandum monumentum repertum ſit, augere ſolet eius interpretandi difficultatem. Quid? Nonne, ſi ſcias, etſi percipere dilucide, diſtincteque non poſſis quidnam repraeſentet, inde tamen veri aliquam ſimilem coniecturam capies? Id norunt qui in hoc genere ſtudiorum verſati ſunt, quos latere non poteſt, ſaepe loci cognitionem, ex quo anaglyphum aliquod effoſſum fuit, magnam lucem attuliſſe, ut quid-

quidnam in eo repraeſentetur probe quis intelligat. Quod ſi antiquae urbis aedificia penitus ex eius ruderibus, quae adhuc ſuperſunt, non aſſequamur; ſatis tamen certiores hac de re facti ſumus, tum ex deſcriptionibus Regionum urbis, quas Sextus Rufus, Publiuſque Victor memoriae tradiderunt, tum ex pluribus obſervationibus aliorum novorum doctrinae laude praeſtantium auctorum, qui illos potiſſimum ſequuti, incredibili ſtudio, ac diligentia, atque ope veterum inſcriptionum, complures ſitus declaraverunt. Quam multas, eaſque veri maxime ſimiles ex notitia ſituum elicitas, atque cum ipſis monumentis veluti effoſſas coniecturas, accuratiſſimaſque explicationes legimus! Quam claram inde, atque mirificam lucem reliquae topographiae veteris urbis allatam videmus! Quam mirabiles utilitates huiuſmodi ſtudio deditis praebet praeclara Flaminii Vaccae ad Simonettum Anaſtaſium epiſtola, in qua non minus ille vir nobilis Sculptor, quam diligens Antiquarius ſingula monumenta, variis in locis, eius temporibus, detecta notavit! Itaque & nobis operae pretium viſum eſt, loca, in quibus Muſei Capitolini Anaglypha reperta fuerunt, dum novimus, indicare.

Poſtremo animadvertere iuvat, duas ob cauſſas nonnulla anaglypha vix explicari, ac ne vix quidem poſſe. Harum una eſt, quod iniuria temporum, aut incuria cavatorum tam magnum detrimentum coeperint, ut pars figurarum, quibus componebantur, non compareat, pars vero aut fracta ſit, aut deformata. Alia autem eſt, quod in illarum figurarum locum ab opificibus, tum praeteritae aetatis, tum noſtrae, reperiantur aliae ſuffectae aut ex arbitratu ſuo, aut alius conſilio, ſemper quidem incerto, etſi concedas reparatores adhibuiſſe ſemper eruditos, ſapienteſque conſiliarios. His de anaglyphis quid ſentiendum, & qua ratione explicanda ea ſint, prorſus non video. Quis umquam hiſce reparatoribus fidem dabit? Putaſne, te reperiſſe viam ad interpretationis ſcientiam, ſi veri maxime ſimilem coniecturam proferas? Nihil a te dictum, quod ſit reprehenſione dignum? quod omnibus probetur? Nonne quiſque arbitratu ſuo rem dubiam interpretatur?

pretatur? Variae profecto opiniones eſſe de anaglyphis ſolent, quorum aut fracta, aut deformata pars ſupereſt figurarum. Has enim quique confingunt, ut ſibi commodae, aptaeque ſunt ad id repraeſentandum, quod ipſi divinantes, aut ſomniantes vident. Atque utinam ſua ſomnia narrarent ſolum, litteriſque traderent! ſed etiam in anaglypha ita audacter, libereque inferunt, ut primi eorum auctores, atque ſculptores videantur. Hinc ſaepe virum transfigurant in feminam, ſenem in iuvenem, Iovem in Iunonem, Minervam in Liberum, atque ita porro. Ecquiſnam Oedipus, licet ingenio acutiſſimus, doctrinaque praeſtantiſſimus, eas veri ſimilibus ſaltem coniecturis innixus explicabit?

Quibus ex rebus breviter a nobis animadverſis intelligi ſane poteſt, facile eſſe falli eos, qui in anaglyphis enodandis, exponendiſque verſantur. Quamobrem curae nobis fuit, a rebus obſcuris, atque incertis aſſenſionem cohibere, deque iis ipſis, quae clarae nobis, certaeque viſae ſunt, numquam ſine dubitatione proponere. Quod ſi quid praetermiſimus, & ſi quando erravimus, veniam expoſcimus, quam pro nobis expoſtulat Venuſini Poëtae illa ſententia:

Opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.

Ceterum novimus, tria eſſe genera obiurgatorum: complures indoctos, nonnullos invidos, alios benevolos, ac diligentes veri inveſtigatores. Horum primos nihil quidem moramur, quoniam hominum ne leviter quidem eruditorum ſermunculos aucupantes loquuntur. Neque invidos repellendos, aut confutandos eſſe arbitramur, qui pilum in ovo, ut eſt in proverbio, inquirentes inimice inſectantur. Quinimmo eos comiter, benigneque complectimur: quid enim invideri, niſi bonum, laudeque dignum poteſt? Poſtremis vero meritam gratiam, debitamque moniti referemus; non enim ſumus ii, quibus nihil reprehenſione dignum dici a nobis potuiſſe videatur; ſed ii, qui ſcimus, homines, ut in ceteris artibus, ſic in hac potiſſimum poſſe falli. Profitemur tamen, omni nos ſtudio, diligentia, atque labore niſos fuiſſe,

ne

ne quidquam in lucem emitteremus, quod veri non eſſet ſimile, & vel ex probatis auctoribus, vel priſcis monumentis, vel probabilibus coniecturis plane concluſum. Quam ob cauſſam neque nos inſtituti noſtri poeniteret, ſi multa nos fefelliſſent. Nam, ut ſapienter animadverſum in epiſtola ad Titum Imperatorem a Plinio fuit (*a*), *etiam non aſſecutis, voluiſſe, abunde pulchrum, atque magnificum eſt*. Porro ſi quos legimus auctores, qui in aliquo ex his anaglyphis ſeparatim declarando elaborarunt, aut partem alicuius adnotationibus illuſtrarunt, aut ea ſcripſerunt, ex quibus lucem, & ornamentum hiſce noſtris lucubrationibus afferre conati ſumus, eorum quidem nomina ſilentio non praetermiſimus, ne alienis plumis, ut cornicula, ornati diceremur. *Eſt enim benignum*, inquit idem Plinius (*b*), *ut arbitror, & plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris*.

Extremum eſt, ut exponamus rationem eorum, quae hoc volumine complexi ſumus. Etſi ſchemata monumentorum, quae in ſuperioribus huius Operis voluminibus edita ſunt, inſcriptionibus ornantur; in hoc tamen quarto id eſſe praetermittendum iudicavimus, propterea quod multorum anaglyphorum ſignificatum ex coniecturis tantum colligere fas nobis fuit. Quare ſatius eſſe duximus omnes omittere inſcriptiones, quam aliquam falſam, aut ſane incertam ante oculos lectorum ponere. Unum ſchema, in quo exhibetur Ilias Homeri, & excidium Troiae, cum inſcriptione emiſimus; quoniam res eſt maxime clara, atque teſtata; utque eo ſchemate, multis priſcis, atque mirificis fabellis referto, ornari cubiculum a quopiam viro erudito, ſi velit, a reliquis ſeparatim poſſit. Eamdem ob cauſſam neque in claſſes, ſervato ordine, graduque Deorum, ad quos pertinere videbantur, anaglypha diſtribuenda putavimus: ſed ordinem ſequuti ſumus, quo collocata in Muſeo Capitolino cernuntur; ex quo fit, ut cuique liceat facillime archetypa invenire, cumque iis ſchemata conferre. Curavimus autem, ut elegans, variiſque aliorum veterum monumentorum ſchema-

(*a*) Pag.3. (*b*) Pag.4.

ſchematibus ornata editio eſſet ; eaque opportune & ante initium cuiuſque explicationis, & in calce, ubi ſpatium fuit, collocavimus. Atque hoc loco quidem non numerare modo iſtiuſmodi ſchemata, ſed etiam de iis copioſe proponere, atque unde accepta, quamque ob cauſſam edita a nobis ſint, declarare conſtitueramus. Verum poſtea eorum indicem brevibus quibuſdam notis adornatum in extremo volumine edere ſatius eſſe exiſtimavimus, ne iſta longior, quam oporteret, Praefatio videretur.

EXPLI-



Camp. del. *Cap. inc.*

EXPLICATIO
TABUL. I. II. III. ET IV.

INgens e marmore Sarcophagus, cuius ectypon priores quatuor Tabulae exhibent, prope viam Latinam extra Caelimontanam portam, quae nunc ad S. Iohannis dicitur, non autem in via Labicana, ut Aringhius ſcribit (*a*), regnante Urbano VIII. P. M. repertus eſt in eo loco, qui vulgo *Monte del grano* [nam frugifer modo eſt colliculus, quod olim Mauſoleum] appellatur, diſtans ab aquae Felicis ductibus a Sixto V. exaedificatis mille fere paſſus. Veri eſt autem ſimile hoc Mauſoleum, cuius interior proſpectus aere inciſus exſtat apud Raphaëlem Fabrettum (*b*), & Petrum Sanctem Bartolum (*c*), a barbaris, cum in agro Romano caſtrametati pulcherrimas quaſque aedes, delubra, fana vaſtarent, atque exinanirent, expoliatum omnibus, quae ſub aſpectum caderent, ornamentis fuiſſe: humum vero, qua modo contegitur, non fuiſſe eo aſportatam, quod Sanctes Bartolus exiſtimaſſe videtur, ſed ex ruderibus, dirutiſque parietibus pluvialium aquarum, frigoris, atque ſolis opera compactam, ac deinde fruticibus, ac vepribus veſtitam. Sed tempore agri Romani cultura reſtituta, cum is quoque colliculus coli coepiſſet, ſublatere concameratum opus ex ſonitu colonus animadvertit, confidenſque fore, ut quidpiam magni pretii occuleretur, fornicem perfodit, reperiitque huiuſmodi Sarcophagum, incluſumque cinerarium vas, quorum primus in Capitolio, alterum in Muſeo Barberino collocatum eſt, quod inciſum aere, ornamenti gratia, huic Diſſertationi praefiximus. Vetus autem opinio eſt iam ab illis ducta temporibus, eaque virorum eruditionis laude praeſtantium conſenſu firmata, conditos ibi Alexandri Severi, & Iuliae Mammaeae eius matris cineres fuiſſe; quam tamen nonnulli deinceps veluti falſam, aut ſaltem valde dubiam reiecerunt, quibus aſſenſus eſt Rodulphinus Venutus in libro, quem an. 1756. de Anaglyphis eiuſdem Sarcophagi vulgavit.

(*a*) Lib. IV. cap. 8. num. 33.

(*b*) *De aquis, & aquaeductibus veteris Romae* Diſſert. I. pag. 60.

(*c*) *Antichi ſepolcri* Tab. 80.

Impoſitum urnae operculum lectulum craſſa matta ſtratum repraeſentat ; quae matta ſignis , faſciis , & multiformibus imaginibus , atque effigiebus acu pictis eleganter exornata fingitur : eique vir , & mulier inſidentes laeva manu ad pulvinar nituntur ; ac dextera lauream coronam mulier geſtat. Nemini dubium eſſe poteſt , quin hae duae figurae imagines illorum exhibeant , quorum cineres conditi in ea urna fuerunt. Quamobrem laudatus Venutus, cui minime placuit concedere, conditos in ea fuiſſe Imp. Alexandri Severi , & matris eius cineres , animadvertit , viri oris ſpeciem annos amplius triginta oſtendere , cum tamen hac aetate nondum exacta Alexander Severus interfectus fuerit : mulieris vero caeſariem parum aut nihil caeſariei Iuliae Mammaeae , ut in antiquis nummis cernitur , eſſe ſimilem . At vero pervulgatam opinionem *communis virorum doctiſſimorum conſenſus*, ut Fabrettus ait , *& indiſtincta cum nummis ſimilitudo* maxime confirmant . Acceperant illi forte a maioribus , ſepultum ibi Severum fuiſſe : neque alia re , quam oculis opus eſt , ut de ſimilitudinis veritate iudicare per ſe quiſque poſſit . Sed neceſſum omnino eſt , ut nummi cum Sarcophago ipſo marmoreo , non autem cum ectypis conferantur ; propterea quod aere inciſae tabulae ad veritatem minus accedunt , eaque imprimis , quae exſtat expreſſa apud Sanctem Bartolum . Enimvero cl. vir Barthelemyus Nummophylax Regis Chriſtianiſſimi , cum anno 1756. rem cum re contuliſſet , negari huiuſmodi ſimilitudinem non poſſe cenſuit , ut a Piraneſio , qui praeſens aderat , accepimus . Neque vero quod Venutus de Alexandri aetate praedicat vim obtinet . Nam ſi lineamenta oris in Sarcophago diligenter inſpicias , haec talem Alexandrum referunt , qualem fuiſſe Auctor illius elogii ad Conſtantinum (*a*) ſcribit . Habet autem , ut Salmaſius legit , hoc modo : *Et erat eius corporis , ut praeter venuſtatem , qualemque hodieque & in picturis , & in ſtatuis videmus decorem , ineſſet ſtaturae militari robur militis* . Deinde ſi mulieris effigiem contempleris , eam natu quidem maiorem viro dices . Haec tamen omnia in aere inciſis exemplis non comparent .

Praeterea cum locus , ex quo haec urna eruta fuit , non longe a ruderibus aquaeductus Alexandri Severi diſtet , indeque aquaeductus proſpectum omnem , quouſque aquae ſcaturiunt , conſpicari liceat ; Fabrettus coniicit decretum Imperatori Mauſoleum a Senatu eo in loco fuiſſe ad memoriam accepti beneficii ſempiternam . Quinetiam in eadem agri Romani parte Iuliae Mammaeae thermae , hortique erant : quod cognitum eſt ex tubis plumbeis , quos Ficoronus (*b*) prope Lugnanum reperiit cum hac inſcriptione : IVLIA MAMAEA AVG. , & quos ille Muſeo Kirkeriano dono dedit . Accedit ad haec , nullam ſupereſſe notitiam alius loci , in quo conſtitutum Mauſoleum Alexandri fuerit , ſi ingentem hanc molem vulgo dictam *Monte del grano* non fuiſſe contendas . Verum ſupra indicati elogii Auctor , quem nonnulli (*c*) Aelium Spartianum eſſe putant , alii Aelium Lampridium , *ampliſſimum* vocat Alexandri Severi , quod Romae exſtabat , ſepulcrum ; quare aliqua illius ſupereſſe rudera exiſtimandum eſt . *Cenotaphium* , inquit (*d*), *in Gallia* , *Romae ſepulcrum ampliſſimum meruit* . Itaque vetus , pervulgataque de conditis in hac urna Alexandri Severi , & Iuliae Mammaeae cineribus opinio mul-

(*a*) Num. 4. (*b*) *Memorie del Labico* pag. 44. (*c*) Ex quibuſdam mſs. (*d*) Num.63.

multo probabilis videtur; quam nemo unus adhuc demonſtravit eſſe falſam. Quod ſi vera ſit; dici coniiciendo poteſt, lauream coronam idcirco manu a Mammaea teneri, non autem capiti Alexandri impoſitam eſſe, propterea quod is, ut idem elogii Auctor tradit, *egit omnia ex conſilio matris, cum qua occiſus eſt* (*a*).

Iamvero de quatuor Sarcophagi anaglyphis proponendum eſt. His quaenam hiſtoria, aut fabula exhibeatur intuenti ſtatim iudicare non licet. Petrus Sanctes Bartolus temere quidem ſcripſit, res ab Alexandro geſtas in iis exprimi. Vir autem cl. Montfauconus (*b*) repraeſentari ludos funebres pedeſtrium, equeſtriumque copiarum coniiciendo tradidit. Demum vulgo dici ſolet, inſculptum eſſe in antica parte foedus inter populum Romanum, & Sabinos ictum, multis iam ob raptas a Romanis virgines Sabinas praeliis factis: in uno ex lateribus Romulum, qui Romanis illas adoleſcentibus dat nuptum: in altero initum a Sabinis cum finitimis populis conſilium de ulciſcenda iniuria, deque deſtruenda naſcente Roma: in poſtica demum Acronem Caecinenſium Regem, qui omnium primus cum Romanis congreſſus a Romulo in acie interfectus eſt, ipſumque Romulum, qui Acrone victo in Urbem ovans reverſus opima hoſtium ſpolia Iovi Feretrio primus omnium dedicavit. Atque hanc quidem Antiquariorum hominum opinionem eſſe intelligo, qui neque plurimum ingenio, neque ſatis Graeca eruditione valent. Nam alii qui praeſtant, illam veri non eſſe omnino ſimilem contendunt; propterea quod ſtatuae omnes, atque imagines ornatu Graeco exhibeantur, collocataeque ita ſint, ut nihil conveniens, congruenſque iis reperias, quae ab hiſtoriae Romanae ſcriptoribus tradita de ſupralaudatis rebus geſtis memoriae fuerunt poſterorum. Itaque ſic ſentio: initam a Rodulphino Venuto rationem [etſi is nequaquam ſatis diligenter, atque perſpicue verſatus in rerum explicatione eſt] non modo reliquis probabiliorem eſſe, ſed etiam unam profecto veram. Namque inquirendo ille comperiit, facta feralia, quae Homerus in Iliade prodidit, & quorum in cauſſa ira Achillis fuit, in his anaglyphis inſculpta fuiſſe quatuor. Nae ita res eſt.

In antica parte [*Tab. I.*] conſilium ducum exercitus Achivorum opera Achillis habitum de reſtituenda necne Aſtynome Chryſi patri ſuo repraeſentatur; quam Chryſi poſcenti, etſi is Apollinis ſacerdos eſſet, eiuſque coronam in manu geſtaret, Agamemnon nimis duriter, atque inhumaniter negarat: quare Apollo ulciſcendae contumeliae cauſſa exercitum gravi peſte premebat. In marmore inſculptus Agamemnon ille eſt, qui diademate ornatus, ac veluti in ſolio ſedens dextera manu ſceptrum tenet: quod ipſe & Rex, & Dux Achivarum legionum in Troianos eſſet. Nam Agamemnon cum captivam Aſtynomen, quam deperibat, retinere diutius ſe non poſſe perſpiceret (*c*), ira incenſus publice profeſſus eſt, pro illa ſibi Achillis mancipium Briſeidem fore abducturum. Quamobrem Achilles furens (*d*) eduxit ſtatim e vagina gladium. Ac ſane eum in Sarcophago repraeſentat iuvenis ille ſtans, & cultrum evaginatum extento brachio diſtringens, ac iracundus retro ſe vertens ad reſpiciendam mulierem utraque manu ipſum remorantem, quae

(*a*) Num. 20.
(*b*) *Diar. Ital.* pag. 138. & 170. Vid. *Antiq. expliq.* Tom. v. par. I. lib. III. pag. 100.
(*c*) *Iliad.* lib. I. v. 183.
(*d*) Ibi lib. I. v. 193.

Minervam exprimit a Iunone ad illum placandum miſſam : ſed quae flavam Achillis comam , ut tradit Homerus , prehendit, a Sculptore vero brachia prehendens expreſſa eſt, forte ut facilius res geſta intelligeretur. Nullum ei inſigne Minervae proprium : idque de induſtria praetermiſſum, ut ſoli Achilli, qui ex coruſcis, terrificiſque illam oculis novit, viſa oſtenderetur, quemadmodum idem habet Homerus.

Adoleſcentula , quae e medio veluti abſcedens , timenſque Achillem minaciter diſtringentem gladium reſtitat, Aſtynomen , aut Briſeidem repraeſentat. Nam haec quoque , ut colligi ex Homero poſſe videtur, conſilio Achivorum aderat (*a*).

Vir miti , hilarique vultu contra Agamemnonem in ſcamno ferina neſcio qua pelle cooperto ſedet. Hunc Menelaum ſine regiis expreſſum inſignibus , quod Agamemnon illius frater primas tunc in exercitu partes obtineret, Winckelmannius putat (*b*) : Venutus vero eſſe Neſtorem ſenem, quem ad pacificandos Agamemnonem, & Achillem in conſeſſu gravem orationem habuiſſe Homerus prodit.

Reliqui Heroës ſtantes , interque ſe habitu , geſtuque diſcrepantes, quorum nonnulli armati, alii nudi, atque ex his tres ſinguli ſingulos equos freno continent , ſunt equitatus , peditatuſque Achivorum duces , qui conſeſſui adfuerunt. Cuique quod ſit nomen docere velle, ridiculi eſſet capitis. Ulyſſem Venutus eum eſſe exiſtimat, qui barbatus, tunica ſuccinctus, pileatus, diſtrictoque gladio armatus prope Agamemnonem viſitur ; & qui innuere videtur, ſibi mandatum ab eo fuiſſe datum de Chryſeide reducenda ad patrem. Atque probabilis haec quidem Venuti coniectura eſt; quia in omnibus fere veteribus monumentis marmoreis pileatus Ulyſſes comparet : ſed conſequi quidpiam coniectura non licet, quia huius ſimulacri brachia refecta ſunt, quod cum ex ipſo Sarcophago, tum ex eius forma , nondum eodem inſtaurato , aere inciſa apud Sanctem Bartolum *Tab. VIII, de veteribus ſepulcris* cognoſcimus. Neque vero idem de refecta parte elati brachii Achillis, & cultro dicendum eſt. Nam reliquorum membrorum figura , ac veluti motio in marmore expreſſa, & ea, quae Homerus habet, huius , non autem aliuſmodi refectionem poſcebant.

Exſtat in hortis Burgheſiorum ſimile huic anaglyphum a Winckelmannio in opere *de veteribus monumentis ineditis Tab.CXXIV.* vulgatum : interque illud, & Capitolinum hoc maxime intereſt , quod in Burgheſio Briſeis quoque meticuloſa, Achilles praeterea ſcutatus, atque vir ille pileatus, prope ſedentem Neſtorem, aut Menelaum, non vero prope Agamemnonem, exhibeantur.

In utriuſque lateris anaglyphis res rebus nexas in antica praecipua parte expreſſis repraeſentari iudicandum eſt : ſed eae difficiliores explicatus habent. In ſiniſtro latere [*Tab. II.*] vir aetate provectus ſedens Venuto Chryſes, cum in caelum ſublatis oculis ab Apolline precaretur , ut exercitum peſte liberaret, viſus eſt : mulier vero ſtans, eumque pene complectens ſenem Chryſeis , ubi patri reddita ab Ulyſſe fuit . Stant contra heroës duo, unus palliolo tantum coniecto in humerum , alter armifer , neuter ulla inſignitus nota : quaeque circumſtant ſedentem ſenem ſimulacra duo

(*a*) Ibi lib. I. v. 126. & 133.

(*b*) *Monumenti antichi inediti &c.* pag. 166.

duo mulieres eſſe videntur. Sed Venutus unum ex iis eſſe puerum ſcribit, & utrumque manu retinere *mannarias molas*, quibus far, & legumina molebantur pro placentis ad ſacrificia. Winckelmannius glomeres, non autem molas putat, eoſque omnino ſimiles illius, quem in manu tenet Hercules Omphales mentitus veſtem, exculptus in vetere marmoreo monumento, quod in aede vulgo *Farneſina* ſervatur. Incertum eſt mihi, quid de hoc anaglypho ſentiam. Verum cum animadverterem, huiuſmodi anaglyphum primum tenere locum, tum ſequi alterum, in quo diximus exprimi de reſtituenda Chryſeide conſilium, & praeterea, quae ſedentem ſenem complectitur, aliaſque illi proximas mulieres duas improviſo perculſas timore videri, coniiciebam, repraeſentare Achillem ubi is Chryſeidem captivam duxit. Eam victis, ſubactiſque Thebis captam fuiſſe Homerus docet (*a*): qua in urbe illam tunc egiſſe, ut ſacrificiis Dianae intereſſet, nonnulli, qui in Homerum libros commentarios ſcripſerunt, arbitrantur; alii vero quia eo ſe receperat velut in tutiorem ab Achivorum impetu, incurſuque locum. Itaque incertam rem arbitratu forte ſuo Sculptor effinxit, nudumque fecit Achillem, ac veluti exſpectantem Chryſeidem, ut a patre abſcederet. Nam coniicere facile quidem Sculptor potuit, Chryſim, etſi alibi domicilium haberet, attamen una cum filia tunc commoratum Thebis fuiſſe. Ceteras autem mulieres Chryſeidis eſſe ancillas, atque ſodales, quae penſa tractent, coniicio. Hanc opinionem falſam non eſſe, equidem non pugno; veri autem non eſſe ſimilem numquam dabo.

Sequitur [*Tab. III.*] dexteri lateris anaglyphum. Auctor eſt Venutus, in eo exhiberi legatorum Agamemnonis cum Achille colloquium; qui miſſi quidem ad eum fuerunt, ut Achilles exercitui Achivorum [a quo propter abductam ab Agamemnone Briſeidem iratus magno belli adminiſtrandi detrimento defecerat] iterum iungere ſe, ſuaſque Myrmidonum copias vellet. Ulyſſem, Aiacem, & Phoenicem eam legationem obiiſſe Homerus tradit, largitoſque Achilli munera, imprimiſque veredos duodecim, quorum indices eſſe poſſunt equi duo in anaglypho inſculpti. Achillem, atque eius amicum Patroclum, cum ſederent, pulſanſque ille citharam res praeclare a veteribus Heroibus geſtas caneret, adventu legatorum cognito aſſurrexiſſe, eoſque comiter complexos fuiſſe ex eodem Homero diſcimus. Quae ſi ita ſe habent, virum, uti ex facie colligitur, qui aures veluti praebet loquenti, dicere Achillem fas eſto: humique depoſitam loricam ſignificare, Achilli decretum fuiſſe deinceps eo non dimicare in bello; Aiacem, & Phoenicem eos eſſe, qui circumſtant Achillem: Ulyſſem vero, qui tunica ſuccinctus, barbatus, pileatus gladium diſtringit. Haec fere de anaglypho dexteri lateris Venutus proponit. At vero huic ſimillimum in hortis Burgheſiorum anaglyphum exhibet Achillem ad dimicandum cum Hectore properantem. Nam & loricatus, & capiti, dum neſcio quae mulier dexterum eius crus ocrea tegit, aptans ipſe, comprimenſque galeam videtur. Winckelmannius quoque in eo anaglypho, cuius exemplar aere inciſum edidit *num.*132. Ulyſſem eum eſſe putat, quem pene eamdem, ac noſtrum Capitolinum, habere figuram videmus, tunica ſuccinctum, pileatum, diſtringentemque gladium: virum autem nudum, qui prope Achillem ſtans ſiniſtra telum, dexteraque habenam tenet, eſſe Automedontem Achillis

(*a*) *Iliad.* lib. I. v. 365. &c.

lis ſcutiferum. Haec in noſtro anaglypho ita repraeſentantur, ut eamdem oſtendi hiſtoriam dixeris: etſi non eadem ratione, perſpicuitateque expoſitam. Nam proſtant hic quoque arma, quibus Achilles ſe induat; certo autem conſtat, eum comiter quidem Agamemnonis legatos complexum fuiſſe, ſed nequaquam eorum voluntati obtemperaſſe: atque tum demum arma cepiſſe cum Patroclum amicum ſuum ab Hectore interfectum fuiſſe intellexit. Praeterea haec reliquis, quae in poſtico anaglypho inſculpta ſunt, magis conveniunt. Quoniam vero cum Automedon, & Alcimus, ut Homerus ait (*a*), currum, in quem Achilles ad pugnae locum profecturus aſcendit, ferocibus iunctis duobus equis Xantho, & Balio, inſtruxerint; cumque, quod idem Homerus fabuloſe narrat (*b*), tunc Xanthus vaticinatus fuerit, Achillem victorem quidem futurum, ſed moriturum: veri videtur ſimile, Xanthum, & Balium iis duobus equis deſignari, quos in noſtro anaglypho eſſe diximus, & Xanthum vaticinatorem eum eſſe, quem crure, & capite inter ceteras figuras medium vir retrorſus reſpiciens, admiranſque freno continet. Denique viros, quorum aliquos nudos, alios armatos circumſtare Achillem videmus, dicere Alcimum, Automedontem, reliquoſque Achivos poſſumus, quos inter Achilles medius, teſte Homero (*c*), caeleſtia arma a Thetide eius matre parata induit.

Poſticae partis Sarcophagi anaglyphum [*Tab. IV.*] impolitum, minus operoſum, minuſque eminens corporis Hectoris redemptionem oſtendit: qua de re XXIV. Iliadis libro Homerus agit. Aelianus (*d*) hunc librum λύτρα appellat: nam ex argumentis, rebuſque, quas imprimis continent, tum Iliadis (*e*), tum Odyſſeae (*f*) libros, veteres Scriptores nominabant, non autem per numeros recenſebant. Itaque Hyginus caput 106. libri fabularum, quo in capite paucis eam redemptionem narrat, inſcripſit: *Hectoris lytra*. Feſtus vero, ac Nonius laudant Ennium in *Hectoris lytris*, ut typis editi eorum libri habent: ſed apud eumdem Nonium v. *Occupo* legitur in *Hectoris luſtris*, & apud Diomedem *Ennius in luſtris*. Igitur conſtat ſcriptam ab Ennio de eiuſmodi argumento tragoediam fuiſſe, quem proprie *luſtra* inſcripſit, quod graece λύτρον ſolutam pro redemptione pecuniam ſignificet: & latine *luſtrum*, ut auctor eſt Varro (*g*), *a luendo* dicatur, quod quinto quoque anno tributa penderentur. Huius tragoediae nonnulla tantum fragmenta exſtant, ex quibus colligi poſſe videtur, Ennium vertiſſe Aeſchyli tragoediam, quae penitus intercidit, laudaturque a vetere auctore Catalogi operum Aeſchyli ſub titulo: Φρύγες ἢ Ἕκτορος λύτρα. Scriptor quoque Graecus vitae Aeſchyli, ut oſtendat hunc immoderate ſublimitati rerum ſtuduiſſe, poſtquam tragoediam inſcriptam *Niobe* laudavit, in qua Niobem tres integros dies obtecto vultu, ac nihil loquentem ſepulcro liberorum inſediſſe Aeſchylus induxit, haec habet: Ἐν δὲ δὴ τοῖς Ἕκτορος λύτροις Ἀχιλλεὺς ἐμοὶ ὡς δοκεῖ ἐγκεκαλυμμένος, ὀ φθέγγεται· πλὴν ἐν ἀρχαῖς ὀλίγα πρὸς Ἑρμῆν ἀμοιβαῖα. *Quin etiam in Hectoris luſtris Achilles ſimiliter obtectus nihil effatur, praeter pauca in principio ad Mercurium alternatim.*

Huic

(*a*) Lib. XIX. v. 391.
(*b*) Ibi v. 403.
(*c*) Lib. XIX. v. 364.
(*d*) *Var. hiſt.* lib. XIII. cap. 14.
(*e*) Vid. Athen. *Deipnoſ.* lib. I. c. 14. p. 18.
(*f*) Strab. *Geograph.* lib. I. pag. 17. ſect. 32.
(*g*) *De ling. Latin.* lib. v. pag. 46.

Huic pene ſimile, & quidem magis affabre factum, pluribuſque, quam noſtrum, figuris ornatum anaglyphum exſtat in hortis Burgheſiorum, quod Winckelmannius aere inciſum *num.* 134. edidit, inque eo explicando verſatus de noſtro etiam Capitolino nonnulla ſcripſit.

Miles iuvenis, qui, depoſitis armis, animo perturbato, ſiniſtra nixus ſedet, permotuſque videtur precibus viri ſenectute venerabilis, & coram flexis genibus orantis, & lato pallio, quo vel ipſum caput tegit, amicti, eſt Achilles; ſenex autem eſt Priamus, qui demiſſis genibus illius dexteram, qua tot eius liberos interfecerat, oſculatur. Homerus (*a*) inducit Priamum, qui ex conſilio Mercurii Achilli primum ob oculos ponit, ſe eſſe aetate aequalem Peleo patri eius, & quanto gaudio idem Peleus afficeretur, ſciens eum vivere, & ſperans a Troia victorem quamprimum reverſurum. Tum pietate in Peleum patrem, inque Patroclum amicum una cum Priamo fleviſſe Achillem. Haec in utroque anaglypho mirifice exprimuntur.

Proximus Achilli nudus, ac mirabundus iuvenis Automedon eſt, aut Alcimus: illi, Patroclo vita functo, ambo ſummi, atque intimi; quos in tentorio Achillis, ubi Priamus eo advenit, egiſſe Homerus ſcripſit (*b*). In Burgheſio anaglypho uterque viſitur.

Pone inſculpta eſt biga currum repraeſentans, quo vectus Priamus, & cui is, cum inde deſcendiſſet, Idaeum cuſtodem dedit. Idaeum Winckelmannius arbitratur eum militem eſſe, qui currui coërcens equos ſuperſtat. At ego Homerum ſequutus, Automedontem, & Alcimum puto armatum eum iuvenem, alterumque nudum, qui equorum uni frenum detrahit; nam is Auctor narrat, hos (*c*) e iugis equos, & mulos ſubtraxiſſe: equos quidem currui iunctos, mulos carrui, in quo capſa armis, vaſiſque onuſta, ſcilicet pretioſis donis a Priamo pro corporis Hectoris redemptione delatis. De his illud Statii: *Supplex Priami potentis aurum* (*d*).

De duobus viris, quorum unus nudus, alter veſtitus, uterque capſam exonerat, deque ſene, qui e carru thoracem uni ex iis porrigit, ſic exiſtimo: illos quoque Automedontem, & Alcimum repraeſentare, qui Homero (*e*) auctore ex eleganti carru infinitum prope pretium pro redemptione Hectorei capitis extraxerunt: ſenem vero cum phrygio pileo Idaeum eſſe, qui Priami currum antecedens aurigavit carrum, huiuſque, & currus, poſtquam Priamus ad Achillem adiit, cuſtos fuit. Haec de diſceſſu, deque itinere Priami colligere ex Homero licet (*f*). Namque ait:

Σπερχόμενος δὲ γέρων ξεστοῦ ἐπεβήσετο δίφρου
Ἐκ δ' ἔλασε προθύροιο καὶ αἰθούσης ἐριδούπου
Πρόσθε μὲν ἡμίονοι ἕλκον τετράκυκλον ἀπήνην,
Τὰς Ἰδαῖος ἔλαυνε δαΐφρων· αὐτὰρ ὄπισθεν
Ἵπποι, τοὺς ὁ γέρων ἐφέπων μάστιγι κέλευε
Καρπαλίμως κατὰ ἄστυ . . . .

Feſti-

(*a*) Lib. xxiv. verſ. 484.
(*b*) Verſ. 573., & 574.
(*c*) Verſ. 575.
(*d*) *Sylv.* lib. II. carm. 7. v. 56.
(*e*) Ibi v. 577.
(*f*) Verſ. 310.

Feſtinans autem ſenex politum conſcendit currum,
Exegitque veſtibulo, & porticu valde reboante.
Ante quidem muli trahebant quatuor rotarum currum,
Quos Idaeus agebat peritus, ſed pone
Equi, quos ſenex regens flagello urgebat
Statim per urbem &c.

Δίφρος tum Priami, tum Minervae, & Hectoris currus ab Homero appellantur. Δίφρος autem, ut animadverſum ab Euſtathio fuit, nihil aliud eſt, quam is, in quo herus, & auriga conſiſtebant, locus, propterea quod duos ferret διὰ, δύο φέρειν. At Pindarus (*a*) currum quoque Muſarum δίφρον nominat; & in multis veteribus nummis, marmoreiſque monumentis unus, ut ſuo Priamus, non autem duo huiuſmodi currui inſident. Carrum, in quo dona aſportabantur, ἅμαξαν Homerus dicit, latine *plauſtrum* (*b*), vel *ploſtrum*, & notat τετράκυκλον fuiſſe, quatuor nempe rotarum, quae in noſtro non comparent. Capſa, ſeu arca dona ipſa continens aſſeribus extructa in marmore apparet, attamen, cum ab Homero appelletur πείρινθα, eam contextam viminibus iunci, & ſalicis eſſe oportebat, & tunc aut cum Catullo (*c*) *ploxemum*, aut cum Ovidio (*d*) *ſirpeam* latine dicerem. Atque haec quidem tradita ab Euſtathio, Heſychio, & Didymo vocabuli πείρινθα interpretatio eſt.

Homerica haec hiſtoria in Burgheſio anaglypho, ut diximus, maiore figurarum numero deſcribitur. Nam in eo praeterea corpus Hectoris humi iacet, nonnullaeque mulieres Achillem circumſtant; indices forte illarum, [quod Homerus memoriae prodidit] quae iuſſu Achillis corpus cruore, & pulvere deturpatum laverunt, veſtibuſque ornarunt, priuſquam illius conſpiciendi Priamo facultas daretur. Sed quo maior in Sarcophagis, inque reliquis inſculptis marmoribus copia figurarum eſt, eo maior rerum eſſe confuſio ſolet (*e*). Nam proſpectivae facultatis praecepta (*f*) tunc aut minus percepta, aut ſane neglecta fuiſſe, ex iis ipſis anaglyphis, quae figuras affabre, elegantiſſimoque artificio factas continent, plane cognoſcimus (*g*).

Similis forte huic Burgheſio magis, quam Capitolino anaglypho ea pictura fuit, quam in templo, iuſſu Didonis Reginae, Carthagine exſtructo, & Iunoni Sidoniae dedicato, & hiſtoria belli Troiani exornato, Aeneam conſpexiſſe Virgilius (*h*) ſcripſit. Nam in ea quoque

Exanimumque auro corpus vendebat Achilles:

& pius, fortiſque Aeneas temperare ſibi nequivit quin fleret:

Ut ſpolia, ut currus, ut ipſum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum reſpexit inermes.

(*a*) *Olymp.* od. 9. v. 121., *Iſthm.* od. 2. v. 3.
(*b*) Vid. Iohan. Scheffer. *de re vehicular. veter.* lib. I. cap. 7.
(*c*) Ep. 95.
(*d*) *Faſtor.* lib. VI. v. 680.
(*e*) Vid. Vitruv. Praefat. ad lib. VII.
(*f*) Sallier. Diſſert. *ſulla Proſpettiva degli antichi* Tom. VIII. Monumentor. Acad. Inſcript. &c. pag. 97.
(*g*) Vid. Bonarrotum *Oſſervazioni ſopra i Medaglioni* pag. 255.
(*h*) *Aeneid.* lib. I. v. 488. & 490.

EXPLI-



EXPLICATIO

TABUL. V. VI. VII. ET VIII.

QUum Albae, antiqui imprimis in Latio oppidi, in villa Sabellia, nunc Paulutia, diu obvia cuique, & expoſita haec Ara fuerit, quatuor cuius latera ortum, educationem, inque Deos imperii Iovis primordia repraeſentant; ibi, aut in vicinia eam fuiſſe repertam praeſtantes eruditionis laude viri exiſtimarunt. Ac illud ipſum forte eſt marmoreum monumentum, quod in Crypta-Ferrata Pyrrhus Ligorius vidit, & in quo imagines maiorum duodecim Deorum inſculptas ſe vidiſſe adnotavit. Inſignis autem profecto eſt, non quod affabre facta, ſed quod rem exhibeat pene ſingularem. Nam, ut a Gorio in eiuſdem Arae anaglyphis explicandis, in *Prooëmio Inſcriptionum Donianarum*, animadverſum fuit, vetus nullum, quod ad nos pervenerit, monumentum adeo diſtincte Iovis ortum exprimit.

Eſt autem veri admodum ſimilis ipſius Gorii coniectura: aram hanc Iovi Latiali dedicatam fuiſſe, propterea quod hoc Numen in monte Albano, qui quatuor fere millia paſſuum a Crypta-Ferrata diſtat, coleretur: eique unoquoque anno feriis Latinis propter inſtauratum inter Tarquinium Regem, & Latinos foedus cultus, honores, preces, ſacra a populis totius Latii adhiberentur, ut Macrobius (*a*), & Dionyſius Halicarnaſſeus (*b*) tradunt; eademque de re ſunt Lucani verſus (*c*):

Nec non Iliacae Numen, quod praeſidet Albae,
Haud meritum Latio ſolemnia ſacra ſubacto
Vidit flammifera confectas nocte Latinas.

(*a*) *Saturnal.* lib. I. cap. 16.
(*b*) Lib. IV. cap. 49. pag. 240.
(*c*) *Pharſal.* lib. V. verſ. 400.

Pellerinus (*a*) numiſma, cuius antica facies caput cum caſſide, criſtaque exhibet, poſtica aquilam cum fulmine in vocem ALBA verſo collo, aere inciſum edidit, alterumque eiuſdem formae in Muſeo Pembroëckiano ſervari tradidit. Ait autem, illud Albae ad Fucinum lacum adſcribi, quod lateat quam ad urbem eius nominis ſpectet. Quid? nonne probabilius videtur tribuendum eſſe Albae Latii, quod ea urbs & bellicoſa, & *potens* eſſet, unde Propertius cecinit (*b*):

Et ſtetit Alba potens, albae ſuis omine nata;

& quod ſub Albano monte ſtaret, ubi Iuppiter, cuius ſymbola ſunt aquila, & fulmen, ſolemnibus imprimis ſacris colebatur?

Iam vero quadrata eſt Ara, totidemque anaglyphis ornatur, quorum unum Tabula V. inciſum, in ſuperiore parte corroſum, labefactatumque, in inferiore parte iacentem humi Rheam, ſeu Opem exhibet, demiſſis crinibus, & veſte, qua caput, inferaſque corporis partes tegit. Morem profecto parturarum Sculptor ſequutus eſt, quae veſtem diſcingebant, ut ex Oppiano (*c*) colligitur, idque Spanhemius (*d*) animadvertit, ac de Rhea imprimis Callimachus (*e*) ſcribit. Igitur tali modo in poſtica rari numiſmatis Antonini Pii, apud Seguinum (*f*), Rhea, capite tamen haud tecto, exprimitur.

Porro animadvertendum eſt, Rheam in huiuſmodi anaglypho non cubare in lecto, ſed ſuper humum ſedere. Cum enim Saturnus vel ex pactione cum Titane fratre, vel quod timeret, ne regno pelleretur, Rheam, ut filium ex ea naſciturum devoraret, inſectaretur, haec Lyttum aufugiens, cum eo pervenire, quod praegnans eſſet, non potuiſſet, in itinere Iovem enixa eſt, ut Heſiodus (*g*) narrat, copioſiuſque in doctiſſimis ſuis adnotationibus in Poëtam ipſum (*h*), plurimis collectis veterum auctorum teſtimoniis, Iohannes Clericus declarat. Quod ſi nullum ſpeluncae Taumaſii montis, in quam Metridienſes Rheam ſe recepiſſe, ibique Iovem edidiſſe contendebant, & quo eius tantum Deae adminiſtris aditus patebat (*i*), indicium in anaglypho compareat; id praetermiſſum ab artifice fortaſſe fuit, quod eam eſſe opinionem Metridienſium ignoravit, aut quod veluti fabulam reiecit. Etenim non Metridienſes modo, ſed alii quoque plerique veteres populi apud ſe Iovem natum fuiſſe oſtentabant, quos numerare nimis longum, ac difficile eſſe Pauſanias putat (*k*). In iis fuerunt imprimis Arcades, Thebani, Meſſenii, Boeotii, Cretenſes; quorum poſtremi, ut habent Lucianus (*l*), Cicero (*m*), & Callimachus (*n*), nedum locum ortus, ſed etiam ſepulcrum Iovis oſtendebant. Ac Callimachi quidem teſtimonium Clemens Alexandrinus (*o*) profert, ut Gentiles amentiae arguat, quod Deos morti eſſe obnoxios crederent.

Rhea

(*a*) *Recueil des Medailles &c.* Tom. I. Tab. 7. num. 5.
(*b*) Lib. IV. eleg. I. verſ. 35.
(*c*) *Cyneget.* lib. I. verſ. 493.
(*d*) *In Callimachi hymn.* verſ. 209.
(*e*) *Hymn. in Iov.* verſ. 21. Vid. Stephanum, Meurſium, & Spanhem. ad hunc verſ.
(*f*) *Selecta numiſmata Imperator.* n. IX. p. 127.
(*g*) *Theogon.* verſ. 482.
(*h*) Ad hunc verſ.
(*i*) Pauſanias *Arcadic.* lib. VIII. cap. 36.
(*k*) *Meſſen.* lib. IV. cap. 33.
(*l*) *De ſacrific.* §. 10. Tom. I. Opp. pag. 534.
(*m*) *De nat. Deor.* lib. III. cap. 21.
(*n*) *Hymn. in Iov.* verſ. 8.
(*o*) *In Protreptico ad Gentes.* Vid. etiam Lactant. *de falſ. relig.* lib. I. cap. 2.

Rhea terram verſus dextera extenta, & laeva ſurſum elata, veluti Deos orans cernitur. Eam Heſiodus (*a*) ſcribit mox parituram imploraſſe, atque appellaſſe Caelum, & Terram, ut ſibi ſuppetias ferrent; idque ex ſuperiore forte anaglyphi parte, quam corroſam diximus, clarius apparebat:

Ἀλλ' ὅτε δὴ Δί' ἔμελλε θεῶν πατέρ' ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν
Τέξεσθαι, τότ' ἔπειτα φίλους λιτάνευε τοκῆας
Τοὺς αὐτῆς, Γαῖάν τε καὶ Ὀυρανον ἀστερόεντα
Μῆτιν συμφράσασθαι, ὅπως λελάθοιτο τεκοῦσα
Παῖδα φίλον, τίσαιτο δ' ἐριννῦς πατρὸς ἑοῖο
Παίδων, οὓς κατέπινε μέγας Κρόνος ἀγκυλομήτης.

Sed quando iam Iovem erat Deorum patrem, atque virorum
Paritura, iam tum caris ſupplicabat parentibus
Suis Terraeque, & Caelo ſtellis aptato,
Conſilium ut ſuggererent, quo pacto lateret pariendo
Filium carum, poſſetque ulciſci furias patris ſui
Contra filios, quos devorabat ingens Saturnus verſipellis.

Gorius Rheam orantem exhiberi arbitratur, quod idipſum facere ceterae parturientes conſueſcerent, laudatque Alcmenae apud Ovidium verſus (*b*):

Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus,
Feſſa malis, tendenſque ad caelum brachia, magno
Lucinam ad nixos partus clamore vocabam.

At planius quidem figura hoc loco expreſſa Rheae, cui ſubducere Saturno prolem, quam bene, feliciterque parere, maiori curae fuit, laudatis Heſiodi verſibus explicatur.

Voti compos, Caelo, Terraque iuvantibus, Rhea facta natum Iovem clam Saturno nonnullis diebus nutrivit, tum in inſulam Cretam miſit. Saturno vero puerum poſcenti lapidem pannis involutum tradidit, qui ab eo ſtatim devoratus eſt, ut legere eſt apud Pauſaniam (*c*). Haec alterum Arae latus Tab. VI. exhibet: & de voracitate Saturni, ut cetera a compluribus Scriptoribus tradita mittam, Lycophronis ſunt illa (*d*):

Τὴν πρόσθ' ἄνασσαν ἐμβαλοῦσα Ταρτάρῳ
Ὠδῖνας ἐξέλυσε λαθραίας γονῆς
Τὰς παιδοβρώτους ἐκφυγοῦσ' ὁμευνέτου
Θοίνας ἀσέπτους, οὐδ' ἐπίανεν βορᾷ
Νηδὺν, τὸν ἀντίποινον ἐκλάψας πέτρον,
Ἐν γυιοκόλλοις σπαργάνοις εἱλιγμένον,
Τύμβος γεγὼς κένταυρος ὠμόφρων σπορᾶς.

Regina prima pulſa ad ima Tartara eſt,
Mox ipſa partus a dolore ſolvitur
Clam, quod videre coniugis convivia
Nefanda nollet, involutum faſciis
Saxum ille deglutivit, haud ſit pinguior,
Crudis ſepulcrum quod ſit ipſe filiis.

 Heſio-

(*a*) *Theogon.* verſ. 468.
(*b*) *Metamorphoſ.* lib. IX. verſ. 292.
(*c*) *Arcadic.* lib. VIII. cap. 8.
(*d*) *Alexandr.* verſ. 1197.

Heſiodus quoque ſimilia narrat, deque Rheae calliditate in fallendo viro ait (*a*):

> Τῷ δὲ σπαργανίσασα μέγαν λίθον ἐγγυάλιξεν
> Οὐρανίδῃ μὲν ἄνακτι θεῶν προτέρῳ βασιλῆϊ
> Τὸν τόθ' ἑλὼν χείρεσσιν ἑὴν ἐγκάτθετο νηδὺν
> Σχέτλιος.
>
> *Huic autem faſciis involutum magnum lapidem in manus dedit*
> *Caeli filia praepotenti Deorum priori Regi,*
> *Quem tum arreptum manibus ſuum condidit in alvum,*
> *Miſer.*

Iohannes Clericus coniicit, fabulam vorati a Saturno lapidis ex interpretatione Phoeniciae vocis *Eben* manaſſe: nam ea vox & lapidem, & filium ſignificat. Rheam vero, ut virum Saturnum falleret, qui filios vorabat, ideſt in carcerem coniiciebat, ne ipſis ambiendi regnum facultas daretur, ei filium, non quidem ſuum Iovem, aut lapidem, ſed alienum tradidiſſe. Sed appoſite magis Fornutus (*b*) hanc fabellam explicat. Ea enim ait adumbratam a veteribus temporis naturam fuiſſe, quia tempus omnia, quibus initium, ortumque dedit, devorat, atque conſumit. Cicero quoque ſecundo *de natura Deorum* libro (*c*) *Saturnus autem*, inquit, *appellatus eſt, quod ſaturaretur annis. Ex ſe enim natos comeſſe fingitur ſolitus, quia conſumit aetas temporum ſpatia, anniſque praeteritis inſaturabiliter expletur.* Sed Mythologi (*d*) fabulam fabulae ſubnectunt, aiuntque, Saturnum propinato a Metyde Oceani filia medicamento eſum evomuiſſe lapidem: ac praeterea Pauſanias (*e*) narrat, in ambitu aedis Apollinis Delphici parvum oſtendi, colique lapidem, quem fama erat, eumdem illum eſſe, quem Saturnus evomuerat.

Iam vero inſpice nunc Saturnum in eleganti ſella ſedentem ad ſumendum a Rhea lapidem dexteram porrigere, multaque fere cogitantem ſuſtinere ſiniſtra caput opertum pallio, quod & inferas corporis partes operit; crepidatum, prolixaque barba, ut antiquiſſimum omnium Deorum patrem decet. Tali forma, reliquaque figura, ut Virgilius tradit (*f*), in veſtibulo aulae Regis Latinorum expreſſus videbatur; animadverſumque etiam ab Albrico Philoſopho (*g*) fuit, veteres ſic eum pinxiſſe, ut *ſenex prolixa barba, tecto capite* oſtenderetur. Itaque Deos, ſi qui dormientibus ignoti apparerent, ex aetate diſtinguendos eſſe Artemidorus docuit (*h*): ut *parvulus puer* Mercurium indicaret, *adoleſcentulus* Herculem, *vir* Iovem, *ſenex* Saturnum. Inſuper Lucianus (*i*) cuidam ſuo ſacerdoti vehementer iratum, quaſi ſenectutis ſuae contemptori, Saturnum inducit, quod hic ab illo percunctatus eſſet, num zelotypia regni ductus, cum filios devoraret, lapidem pro Iove deglutiviſſet: eique dixiſſe, ſponte ſe Iovi regnum conceſſiſſe, quia ſenectute, ac podagra maiorem in modum conflictabatur.

Rhea

(*a*) *Theogon.* verſ. 485,
(*b*) *De nat. Deor.* cap. 6.
(*c*) Cap. 25.
(*d*) Vide Apollodorum in *Biblioth.* lib. I. pag. 2. & 3.
(*e*) *Phocic.* lib. x. cap. 24.
(*f*) *Aeneid.* lib. VII. verſ. 180.
(*g*) *De Deor. imagin.* cap. 1.
(*h*) *Oneirocrit.* lib. II. cap. 49.
(*i*) *Saturnal.* §. 5. & ſeqq. To. III. Opp. p. 388.

Rhea expreſſa eſt cum palla, & tecto cum ea capite, & calceata: lapis vero, quem Saturno porrigit, faſciis, veluti puer, circumligatus; quam Rheae figuram ſimilem omnino dixeris figurae eiuſdem a Praxitele ſculptae in veſtibulo magnifici apud Plateenſes Iunonis templi (*a*). Quo autem in loco Rhea eiuſmodi dolo virum deceperit, Mythologi inter ſe diſſident. Nam Cretenſes (*b*), Arcades, Cherſoneſii (*c*), quique apud ſe accidiſſe pugnant; ſed de his inquirere amentis eſſet. Illud ex anaglypho colligimus, veteres quoque faſciis, ut nunc mos eſt, pueros circumligare conſueviſſe; atque id quoque ex poſtica laudati numiſmatis Antonini Pii, qua Rheae puerperium exhibetur, comprobatur. In hoc numiſmate, edito a Seguino primum, deinde a Montfauconio Tom. I. Part. I. Tab. VIII. *Antiquitatum* (*d*), & a Spanhemio in fronte obſervationum in Callimachi *hymnum in Iovem*, Iuppiter puer faſciis involutus a muliere ſurſum effertur. Et ſane multi veteres Scriptores tradunt de more, uſuque faſciandorum vix editorum in lucem puerorum (*e*): ac Philoſtratus quidem narrat (*f*), vix natum Mercurium ab Horis involutum faſciis fuiſſe, talique modo illius imaginem olim pictam. Iovis autem faſcias, de quibus Callimachus (*g*) loquitur, a Cretenſibus, memoriae tanti ortus cauſſa, adeo ſancte, religioſeque ſervatas fuiſſe, ut nemini eas inſpiciendi facultas daretur, Antonius Liberalis ſcribit (*h*), viroſque quatuor, quos is auctor nominat, cum illo, ubi ſervabantur, immigraſſent, iis vix inſpectis, continuo in totidem aves transformatos fuiſſe.

Alterum Arae latus Tab. VII. Iovem clam in inſula Creta educatum, ab Amalthea capra altum, & Curetum, ſeu Corybantum opera ſervatum repraeſentat. In eminenti ſcopulo Rhea ſedet, quam triſtem, atque itinere defatigatam dixeris; propterea quod ſiniſtra prope vultum ita veſtem continet, ut hac detergere lacrimas, aut ſudorem videatur. Nihilominus cernitur decora veſte induta, & crine compto, & coronato turribus capite, qualis a Virgilio deſcribitur his verſibus (*i*):

. . . . . Qualis Berecynthia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Laeta Deûm partu, centum complexa nepotes
Omnes caelicolas, omnes ſupera alta tenentes.

Id coronae genus tributum eſt Rheae, auctore Arnobio (*k*), quod illa capite muros Mydae urbis ſuſtinuit, aut, quae Ovidii opinio eſt (*l*), quod

. . . . primis turres urbibus illa dedit;

aut quod Dea tutelaris urbium ſit, ut intelligi ex Lucretio poteſt, qui ait (*m*):

Muralique caput ſummum cinxere corona,
Eximiis munita locis, quod ſuſtinet urbes.

Iuppi-

(*a*) Pauſan. *Boeotic.* lib. IX. cap. 2.
(*b*) Pauſan. ibi cap. 41.
(*c*) Id. *Arcadic.* lib. VIII. cap. 36.
(*d*) Pag. 34.
(*e*) Vid. Athenaeum in *Deipnoſoph.* lib. XIII. cap. 8. pag. 606., Lucian. *Dial. Deor. Apollin.*, *& Vulcan.* num. 7. §. 2., Pauſan. *Attic.* lib. I. cap. 38., *Boeotic.* lib. IX. cap. 2., alioſque.
(*f*) *Icon.* lib. I. num. 26.
(*g*) *Hymn. in Iov.* verſ. 33.
(*h*) *Metamorphoſ.* cap. 19.
(*i*) *Aeneid.* lib. VI. verſ. 784.
(*k*) *Adverſ. gent.* lib. V. cap. 7. pag. 157.
(*l*) *Faſtor.* lib. IV. verſ. 220.
(*m*) Lib. II. verſ. 606.

Iuppiter puer ex lapide, in quo iacet, feſtive exſurgit ad capiendas caprae Amaltheae mamillas, & lac ſugendum. Quamobrem *Αἰγίοχος* dictus Iuppiter fuit παρὰ τὴν ἐξ αἰγὸς ὀχὴν ὅ ἐστι τροφὴν, quod nutritus a capra, quemadmodum cum veteribus Grammaticis Spanhemius (*a*) animadvertit; non autem quod aegidem geſtarit, ut Fornutus (*b*), aliique Scriptores contendunt. Hanc Iuppiter capram, primam ſui nutricem, habuit cariſſimam, cuius dorſo adhuc puer inſidere cernitur cum in poſtica numiſmatis Antonino Pio Imperatore cuſi, quod in Muſeo Regis Gallorum aſſervatur, atque editum a Spanhemio fuit (*c*), tum in quibuſdam argenteis numiſmatibus Valeriani Iunioris, in quibus legitur: IOVI CRESCENTI. Itaque eamdem & voluit ſacram ſibi, & in ſidera retulit. Quare Aratus de illa ſic loquitur (*d*):

. . . Σκαιῷ δ' ἐπελήλαται ὤμῳ
Αἲξ ἱερὴ, τὴν μέν τε λόγος Διὶ μαζὸν ἐπισχεῖν
Ὠλενίην δέ μιν αἶγα Διὸς καλέουσ' ὑποφῆται,

quae Cicero vertit:

At capra laevum humerum clara obtinet: illa putatur
Vbera adhuc parvo lactenda dediſſe Tonanti:
Hanc Iovis Oleniam capram dixere miniſtri;

& Ovidius (*e*):

Ab Iove ſurgat opus: prima mihi nocte videnda
Stella eſt in cunis officioſa Iovis.
Naſcitur Oleniae ſidus pluviale capellae:
Illa dati caelum praemia lactis habet.

Nonnulli vero aiunt ab apibus quidem, ſonitus ſtrepituſque Curetum gladiis ſcuta pulſantium ſecutis, non autem a capra nutritum Iovem fuiſſe; idque Virgilius docet his verſibus (*f*):

Nunc age naturas apibus, quas Iuppiter ipſe
Addidit, expediam: pro qua mercede canoros
Curetum ſonitus crepitantiaque aera ſecutae
Dictaeo caeli regem pavere ſub antro.

At capram, & apes Callimachus (*g*) memorat: contra Apollodorus (*h*) pervulgatam opinionem ſecutus, de apibus ne verbum quidem habet: immo vero non capram ipſam, ut in anaglypho videmus, ſed Adraſteam, & Idam lacte Amaltheae caprae Iovem aluiſſe docet. Itaque in vetere monumento marmoreo Muſei Iuſtiniani, a Bellorio (*i*) primum, deinde a Montfauconio (*k*) vulgato, vides Iovem puerum ſcopulo inſidentem lac caprinum cornu Acheloi a Nympha propinatum potare. Demum ex Didymo apud Lactantium (*l*) plane colliges, Amaltheam, & Meliſſam Meliſſei Regis Cretenſium filias *Iovem puerum caprino lacte, & melle nutriviſſe.*

Sed

(*a*) *In hymn. in Iov.* ad verſ. 49.
(*b*) *De nat. Deor.* cap. 9.
(*c*) *In Callimach. hymn. in Iov.* ad v. 49.
(*d*) Verſ. 162.
(*e*) *Faſtor.* lib. v. verſ. 3.
(*f*) *Georg.* lib. IV. verſ. 149.
(*g*) *Hymn. in Iov.* verſ. 49.
(*h*) *Biblioth.* lib. I. pag. 2.
(*i*) *Admirand. Rom. antiquit.* Tab. 26.
(*k*) *Antiq. expliq.* To. I. Par. I. Tab. VII. p. 32.
(*l*) *De falſa relig.* lib. I. c. 22. Tom. I. p. 106.

Sed Iovis cuſtodiendi onus Curetes ſibi imprimis ſuſceperunt. Hi circum puerum iugiter ſaltarunt, gladiiſque ſcuta pulſarunt, ne Saturnus, qui illius vitae inſidiabatur, vagientem audiret; uti Plinius, Diodorus (*a*), Pauſanias (*b*), & Callimachus (*c*) tradunt. In noſtro anaglypho Curetes chlamydati tantum, caſſide neque criſtata, neque galeata, prolixaque caeſarie, pulſant ſcuta gladiis, choreaſque ducunt: ex quo illa Lucretii (*d*):

Dictaeos referunt Curetas, qui Iovis illum
Vagitum in Creta quondam occultaſſe feruntur,
Cum pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum pulſarent aeribus aera.

Inde genus illud chorearum, quas ducere armati viri ſolebant, manavit, atque πυῤῥίχη a Pyrrichio Curete appellatur. Hac de ſaltatione nedum Pollux (*e*), ſed Apollonius (*f*) quoque, huiuſque Scholiaſtae, aliique veteres Scriptores agunt, laudati a Spanhemio, ut Callimachi verſus, quos exſcripſimus, illuſtret. Variis nominibus Curetes appellatos eſſe intelligo. Nam & Dactylos Idaeos, & Corybantes, & Cabires dictos: ſed iis vocibus eamdem ineſſe ſignificationem Strabo (*g*) putat. Alii negant, atque imprimis Orpheus in Argonautico (*h*), & in hymnis eius nomine vulgatis (*i*); qua in ſententia Nonnus (*k*) quoque, & Ovidius verſantur. Atque hic quidem ita in quarto Faſtorum libro ſcribit (*l*):

Ardua iamdudum reſonat tinnitibus Ida,
Tutus ut infanti vagiat ore puer.
Pars clypeos ſudibus, galeas pars tundit inanes,
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.

De numero quoque Curetum, qui Saturno Iovem occuluerunt, controverſia eſt. Nam a nonnullis tres, ab aliis quinque, & a Pherecide apud Strabonem (*m*) recenſentur novem. In omnibus fere veteribus monumentis Curetes repraeſentantur tres, ut videre eſt in numiſmate Phrygio Magneſiorum Maximino Imperatore cuſo, apud Patinum (*n*), & in altero item Phrygio Laodicenſium cuſo in honorem Caracallae, primum ab eodem Patino (*o*) editum, deinde a Spanhemio in fronte obſervationum ad Callimachi hymnum in Iovem: quo in Laodicenſi Rhea ſedens laevo brachio ſuſtinet Iovem puerum: Curetes, ſeu Corybantes tres gladiis ſcuta pulſantes circum ſaltant: praetereaque ſtat Fortuna laevo extento brachio: Caperque, & Lycus Laodicenſium fluvii prope Rheae pedes utrimque ſedent. Huius commentarioli frontem, nedum utroque numiſmate Magneſio, atque Laodicenſi, ſed alio quoque minoris formae Seleuciae cuſo, quod ad Macrinum ſpectat, commodo litteratorum exornavimus. In hoc Seleucienſi Iuppiter puer in lectulo exhibetur, figuraeque illum circumſtant tres; atque has quoque facile Curetas

(*a*) Lib v. §. 65. & ſeq. pag. 382.
(*b*) *Eliacor. prior.* lib. v. cap. 7.
(*c*) *Hymn. in Iov.* verſ. 52.
(*d*) Lib. II. verſ. 633.
(*e*) *Onomaſt.* lib. IV. c. 13. & 14. ſegm. 96. & 99.
(*f*) *Argon.* lib. I. v. 1135., & lib. II. v. 1136.
(*g*) Lib. IX. pag. 466., ſeu 715. in antiq. edit.
(*h*) Verſ. 25. & 27.
(*i*) Hymn. I.
(*k*) *Dionyſ.* lib. XIV. verſ. 21. & ſeq.
(*l*) Verſ. 207.
(*m*) Lib. X. pag. 472. ſeu 724.
(*n*) *Theſaur. numiſm. Maurocoen.* pag. 82.
(*o*) Ibi pag. 74.

retas dixeris. Sed Pellerinus (*a*), qui huiuſmodi numiſma aere inciſum vulgavit, mulieres eſſe, & quidem Curetum uxores putat, proptereaquod mulierum, non autem virorum ſit nutrire pueros. Ceterum etiam inter imagines inſculptas in columna Traiani Curetes tres Fabrettus (*b*) animadvertit: atque inde occaſionem nactus copioſe, doctiſſimeque, ut ſolet, de Curetibus agit. Sed cum in noſtra Ara Iovi cuſtodes adſint Curetes tantum duo, Sculptor iis forte aſſenſus eſt, qui Caſtorem, & Pollucem eo munere perfunctos fuiſſe docuerunt. In his Pauſanias (*c*) fuit, qui varias de Curetibus pervulgatas opiniones refert. Ac Sanconiaton quidem, apud Euſebium Caeſarienſem (*d*), Dioſcuros, Cabires, & Corybantes nomine tantum inter ſe diſcrepare ait, re autem vera eoſdem eſſe. Id ex Graeca quoque inſcriptione, cum a Grutero (*e*), aliiſque compluribus Scriptoribus, tum praeſertim ab Aſtorio (*f*), qui ſingularem de eadem diſſertationem ſcripſit, edita plane colligi poſſe videtur. Praeterea hanc Sculptoris mentem etiam duarum figurarum amictus forma oſtendit. Nam amictui Dioſcurorum, ſive Caſtoris, & Pollucis, qui nudi, chlamydati, galeatique in ſtatuis Capitolinis, & Quirinalibus exhibentur, ea forma ſimilis quidem eſt, non autem amictui Curetum, qui in laudatis numiſmatibus armati ſunt, armatique a laudatis Auctoribus deſcribuntur. Neque obſtat, quod hae ſtatuae pileatae, non autem galeatae videantur: etenim in aliis quoque veteribus monumentis, ut videre eſt apud Montfauconium (*g*), & Begerum (*h*), Dioſcuri, ſive Caſtor & Pollux, pileati repraeſentantur.

Vulpius hoc ipſum huius noſtrae Arae anaglyphum infabre inciſum edidit, inepteque, ne gravius dicam, explicavit (*i*). Nam Curetes duos Romulum, & Remum dixit, qui de nomine novae urbi Romae imponendo pugnent; cumque capram, ex cuius mamillis lac puer ſugit, in lupam transformaſſet, geminos eoſdem duos a lupa ſub ficu Ruminali lactatos videre ſibi finxit. Quo fit, ut de hoc lectores monitos velim, ut ſibi ab huiuſmodi Scriptoribus caveant, qui indiligenter, temere, nulloque conſilio de re quacumque proponunt.

Iuppiter cum adoleviſſet, Saturnum aut vi, aut eodem in Olympicis victo, ut Pauſanias ait (*k*), regno pepulit, imperiumque cum fratribus Neptuno, & Plutone diviſit. Caelum Iovi obtigit, Neptuno mare, inferi Plutoni. Qua de diviſione Neptunus apud Homerum haec pronuntiat (*l*):

Τριχθὰ δὲ πάντα δέδασαι, ἕκαστον δ' ἔμμορε τιμῆς
Ἤτοι ἐγὼ ἔλαχον πολιὴν ἅλα ναιέμεν αἰεὶ
Παλλομένων Ἀΐδης δ' ἔλαχεν ζόφον ἠερόεντα,
Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι.

Trifariam autem omnia diviſa ſunt, quiſque vero nactus eſt honorem,
Quippe ego ſortitus ſum canum mare habitare ſemper,
Motis ſortibus: Pluto autem ſortitus eſt caliginem obſcuram:
Iuppiter autem ſortitus eſt caelum latum in aethere, & nubibus.

Ita-

(*a*) *Lettres ſur les medailles* epiſt.I. Tab.I. n.6.
(*b*) *De column. Traian.* cap. 3. pag.80.
(*c*) *Phocic.* lib.x. c.38., *Boeotic.* lib.III. c.24.
(*d*) *Praeparat. evang.* lib.I. cap. 7. al. 10.
(*e*) Tom I. Par. I. pag. 319. num. 2.
(*f*) *De Diis Cabiris* in Supplem. Polen. To.II. pag. 882.
(*g*) *Antiquit. expliq.* Tom.I. Par.II. Tab.194. pag. 304.
(*h*) *Theſaur. Brandemburg.* Tom.II. pag. 585. Vid. Gor. *Muſ. Etr.* Tom.II. claſs.1. Tab.74.
(*i*) *Latii &c.* Tom.VII. lib.XII. Tab.III.
(*k*) *Eliac. prior.* cap.7. *Arcad.* cap. 2.
(*l*) *Iliad.* lib. XV. v. 188.

Itaque in Arae latere, quod Tab. VIII. exhibetur, iam caeli imperio potitus, in ſolio, aſpectu decorus, inque eminenti, quem pedibus calcat, ſcopulo collocatus, Iuppiter reliquos inter Deos medius ſedet. Is ſcopulus inſulam Cretam forte indicat, in qua Iovem altum fuiſſe fabulatores narrant, quia inde manaſſe religio dicebatur; ut Saluſtius apud Servium in tertio Aeneidum libro tradit (*a*). Prope eum ſcopulum reliqui ſic ſubſtant Dii, ut appareat *Iovis altiſſimi maieſtas*, Ζηνὸς ὑψίστου σέβας, ut Sophoclis verbis utar (*b*). Quapropter πανυπέρτατος, *exſuperantiſſimus* a Callimacho (*c*). Iuppiter appellatur, quo nomine etiam in numiſmate a Spanhemio (*d*) laudato, & in Ara apud Sponium (*e*) inſcribitur. Globus ſub ſolio cernitur, fortaſſis imperii Iovis ſuper orbem terrarum, ut vulgus credit, index. Attamen ſecundum Homerum (*f*) neque Terra, neque Olympus partes eius diviſionis fuerunt; inquit enim:

Γαῖα δ' ἔτι ξυνὴ πάντων καὶ μακρὸς ὄλυμπος.

Terra autem adhuc communis omnium, & altus Olympus.

Atque in eadem opinione Callimachum (*g*) quoque verſatum fuiſſe Anna Daceria eruditiſſima femina, atque Spanhemius arbitrantur. Inſpiciendo autem comperies, Iovem ita capite compto, ut mulieres ſolent, colligatis nempe ad occipitium capillis, indeque ad aures apte retractis, ac diademate, ſeu vitta, quam veteres mitram vocant, compreſſis; quemadmodum, Plinio (*h*) teſte, Cteſilocus Apellis diſcipulus Iovem, cum pareret Liberum, pinxit. In dextera ſceptrum, ſui imperii inſigne, tenet; quamobrem mos apud veteres fuit per ſceptrum Iovis iurare (*i*): & Cherronenſes, cum illud ipſum, quod, teſte Homero, Vulcanus Iovi confecerat, apud ſe ſervari pugnarent, veluti principem ſuorum Deorum, ſingulari cultu, ut Pauſanias (*k*) memoriae prodidit poſterorum, ſceptrum Iovis venerabantur. Tenet autem ſiniſtra fulmina, non ſparſa tamen, & fuſa, ut exhiberi ſolent, ſed compreſſa, ſimulque iuncta (*l*): quae pacificum ſane Iovem oſtendunt. At ſaepius, auctore Albrico Philoſopho (*m*), *pingebatur in throno eburneo in ſua maieſtatis ſede ſedens, ſceptrum regium in manu tenens, ſcilicet ſiniſtra: ex altera vero, ſcilicet dextra, fulmina ad inferos mittens*. Cauſſam, ob quam Iuppiter ſiniſtra manu, non autem dextera ſceptrum teneat, allegorice Porphyrius apud Euſebium (*n*) exponit; praetereaque cur partes tantum inferiores corporis pallio tegat, & cur ſedens fingi ſoleat. Rerum, ait, effectricem, atque altricem vim in caeleſtibus quidem, inque iis, quae mente praedita ſunt, conſpici; in reliquis autem inferis, terreniſque obſcuritate involvi: ſedere vero Iovem, ut eadem vis immutabilis oſtendatur. Etſi vero neque liliis, neque aliis floribus, neque ullis animantibus ornatum a Sculptore pallium Iovis fuerit, quemadmodum ornatum fuiſſe pallium ſtatuae Iovis Olympici apud Pauſaniam (*o*) legimus; tamen in eius fimbria nonnulli flocculi ovalis figurae ſunt, quorum ſimiles, elegantiae cauſſa, veſtibus adpingere veteres conſueſcebant. Praeterea crepidatus eſt Iuppiter; reliqui autem,

(*a*) Verſ. 104.
(*b*) *Philoct.* v. 1082.
(*c*) *Hymn. in Iov.* v. 91.
(*d*) In notis ad cit. loc. Callimachi.
(*e*) *Miſcellan.* ſect. III. num. I.
(*f*) *Iliad.* lib. XV. v. 192.
(*g*) *Hymn. in Iov.* v. 59.
(*h*) Lib. XXXV. cap. 11.
(*i*) Vid. *Antholog.* lib. I. cap. 9. num. 10.
(*k*) *Boeotic.* lib. IX. cap. 40. & 41.
(*l*) Vid. Lucian. in *Timon.* To. I. Opp. p. 98.
(*m*) *De Deor. imagin.* cap. 2.
(*n*) *Praepar. evang.* lib. III. cap. 9.
(*o*) *Eliacor. prior.* cap. 2.

autem, qui eum circumſtant; Dii, pedibus nudis; ſi Iunonem excipias, quae contra Iovem ſtat cum uſitatis calceolis, & redimito mitella capite, uti Iovis ſororem; & uxorem, adeoque Reginam decet. Ceterarum Dearum vittis tantum capilli conſtricti.

Quum figurae non amplius duodecim in hoc anaglypho numerentur; his maiores Deos duodecim deſignari Pyrrhus Ligorius arbitratus eſt, quos ab Aegyptiis Graecos accepiſſe, auctor eſt Herodotus (*a*), atque a Graecis acceperunt Romani, illoſque *conſentes*, quod in conſilium ab Iove adhiberentur (*b*); appellarunt. Artificem repraeſentare voluiſſe eorum conventum ad Iovis natalem diem ſacro anniverſario celebrandum Gorius putat; ſed ipſe malim effingere voluiſſe Iovis imperii *in Deos primordia*, eique a Diis datam primum fidem. Siquidem Neptunus, qui in Diis maioribus numerabatur; abeſt; forte quod ipſe regnum aliud obtinuiſſet; duodecimaque figura Hebem Iovis; & Iunonis filiam, Deorumque adminiſtram exprimi veri eſt ſimile. Mirandum autem eſt, duodecim figuras in arctum quidem huius anaglyphi ſpatium adeo apte collocatas, inſertaſque a Sculptore fuiſſe; ut nulla earum nihil agat, ſed unaquaeque aut cum Iove, aut cum alio Deo; Deaque colloqui videatur. Iuno illa eſt, quae ſtat contra Iovem: Minerva galeata ſtat ad dexteram; ad laevam Mercurius chlamydatus; ac petaſatus, manuque marſupium, caduceumque alatum tenens. Proximus Iunoni Apollo, non laurea quidem cinctus, ſed ex ſuis crinibus duplici nexu decuſſatim implexis contexta elegantiſſima, ac pene ſingulari corona. Conſimilem capitis cultum, atque corónam in Apollinis ſtatua prope Antium eruta, quae in aedibus Ducum Comitum ſervatur, inque capite eiuſdem Dei in aureae domus Neronis ruderibus reperto, videre licet. Apollini eius ſoror ſuperſtat Diana; inque Dianae conſpectu forte Veſta. Huius ſolummodo caput apparet. Illi proximum puto Martem, ſed in hac marmoris fracta parte crura tantum ſuperſunt. Minervae perpetuum inimica Venus convertit in illam tergum, atque cum Cerere, quae pone Iovis thronum ſubſtat, inſtituere ſermonem videtur. Deinde Vulcanus pileatus; poſtremoque pro Neptuno [qui alius regni, ut ſupra diximus, imperio potiebatur] Hebe iuventutis Dea; Deorumque ad conſilium congregatorum adminiſtra.

(*a*) *Euterp.* lib. II. cap. 4.

(*b*) Vid. Arnob. lib. III. cap. 16. pag. 123.

EXPLI-



EXPLICATIO
TAB. IX.

Titi Statilii Apri ſepulcralis cippus , quem Num. IX. aere inciſum vides, ex Ianiculo monte effoſſus , cum diu in Pontificiis hortis Vaticanis iacuiſſet , tandem in Muſeo Capitolino cum aliis nonnullis praeclaris monumentis marmoreis veteres menſuras exhibentibus iuſſu Benedicti XIV. collocatus eſt ; ſed iamdiu litteratis viris innotuerat. *Romae* , inquit Gruterus (*a*) , *ad oſtium exterius horti Pontificii , quem Belvedere a proſpectus amoenitate vulgo vocant , eſt ara marmorea , in qua ſuperne in tympano ſtemma femininum in concha inter duos delphines ſculptum eſt . Paullo inferius in media ara ſtat iuvenis togatus , cui a dextris adſtat Genius , & inter utrumque aper ſubiacet . A ſiniſtris autem capſula obſerata poſita eſt , & ſuper ipſa capſula chartae convolutae .*

Menſorem aedificiorum , non autem agrorum , ut Aldovrandus putavit (*b*) , T. Statilium fuiſſe , ex inſcriptione , quam eidem T. Statilius Proculus , & Argentaria Eutychia parentes poſuerunt , plane ad veritatem conſtat ; qua de inſcriptione paullo poſt agemus . Sculptus eſt ille tunicatus, palliatus, ſiniſtraque manu volumen occluſum retinens ; ſed recenter reſtituta fuit ſiniſtra haec manus, nec non magna pars ſtantis ad latus dexterum pueri . Nam huius thorax tantum vetus ; ut inſpicienti marmoreum cippum, aut eius exemplum apud Boiſardum (*c*) , atque Montfauconium (*d*) , patet . Sed hi errant, quod prolixam Statilio annos nato XXII. barbam appingunt : neque enim ita barbatus ille in cippo eſt .

Ad ſiniſtrum Statilii latus capſula , ſive theca obſerata poſita eſt , & ſuper eam occluſum volumen . Multigenerum fortaſſe menſuras , aliaque minora ſuae artis inſtrumenta in ea includebat : in hoc vero menſuras adnotabat, & calculos ſubducebat . In monumento cuiuſdam Medici a cl. Paciaudo edito (*e*) , inque alio item Medici [quod hic aere inciſum apponimus , quia nobis inſpicientibus effoſſum eſt in agro , qui vocatur *Mezza ſelva* ,

(*a*) Pag. DCXXIV. num. I.
(*b*) *Delle ſtatue di Roma* pag. 121.
(*c*) *Antiquit. Romanar.* Part. VI. Tab. 115.
(*d*) *Antiq. expliq.* Tom. III. Part. I. Tab. 189.
(*e*) *Animadv. philolog.* ſect. X. pag. 92.

& III. mille paſſus Praeneſte diſtat, unde in Praeneſtinas Principum Barberinorum minores aedes exportatum fuit] theca viſitur aperta continens apte diſpoſita complura inſtrumenta chirurgica; & ita multis in aliis marmoribus expreſſa occurrunt variarum artium inſtrumenta, quas ii exercebant, quibus marmorea illa monumenta dedicata fuerunt. De puero autem ad ſiniſtrum latus T. Statilii poſitum ſic habeto: paullo eſſe maiorem in cippo, quam in aere delineatus repraeſentatur; cumque recenter, ut diximus, praeter thoracem, reliquae illius partes reſtitutae fuerint, quid indicet, quamque ob cauſſam prope Statilium inſculptus fuit, coniici certo non poſſe. A Pyrrho Ligorio [in Codice monumentorum veterum ab eodem delineatorum in Bibliotheca Vaticana adſervato (*a*)] ut alatum Genium utraque manu faculam retinentem eum puerum figuratum fuiſſe animadvertimus. Atque aptius id quidem ad morem ethnicorum, qui Genios in ſarcophagis exprimere ſolebant; & veri fortaſſe eſt ſimile, tempore, quo Ligorius floruit, non fuiſſe eliſum cippum, uti nunc eſt, nonnullaque lineamenta exſtaſſe, ex quibus Genii figura perciperetur.

Deinde arbor in cippo cernitur, index fortaſſe Elyſiorum, quo animam Statilii demigraſſe Proculus, atque Eutychia parentes confiderent. Iacet ad Statilii pedes aper cognominis inſigne, ut ex epigrammate Latino perſpicuum eſt. Non enim, ut ille Calidonius ira virginis Atalantae ſaucius, virtuteque Meleagri interfectus, iacere dicitur; ſed mortis atrocitate, a qua admodum iuvenis raptus fuerat. Epigramma a Panvinio (*b*) mendoſe editum, habet in cippo hoc modo:

Innocuus Aper ecce iaces, non virginis ira,
Nec Meleager atrox perfodit viſcera ferro;
Mors tacita obrepſit ſubito, fecitque ruinam,
Quae tibi creſcenti rapuit iuvenile figuram.

In tympano cippi inter duas roſas, quibus extremitates ornantur, medius eſt adoleſcentulae truncus, Orciviae Anthidis fortaſſe Statilii uxoris, atque utrimque delphini duo, quemadmodum in multis ſarcophagis aut Fati, aut Elyſiorum, ut nonnulli volunt, ſymbola. Sed hoc loco & amorem, & fidem coniugum, quibus unum commune poſitum monumentum fuit, fortaſſis indicant.


In baſe inſculpta inſcriptio huiuſmodi:

T. STATILIO . VOL. APRO . MENSORI
AEDIFICIOR. VIXIT . ANN. XXII. M. VIII. D. XV
T. STATILIVS . VOL. PROCVLVS
ACCENSVS . VELATVS . ET . ARGENTARIA
EVTYCHIA . PARENTES . FILIO . OPTVMO . ET
ORCIVIAE . ANTHIDI . VXORI . EIVS . SIBIQ. ET . SVIS
LIBERTIS . LIBERTABVS . POSTERISQ. EORVM

Titi Statilii Apri ſtirpem ad Voltiniam tribum, quam M. T. Cicero nonnullis in locis memorat, pertinuiſſe Panvinius (*c*) cenſuit notam VOL. explicans VOLTINIA, & verſum tertium exſcripſit hoc plane modo: TITVS . STATIVS . VOLTINIA . PROCVLVS: contra in cippo legitur VOL., non autem VOLTINIA, neque STATIVS, ſed STATILIVS, neque T. F., ut ille habet poſt STATILIO in primo verſu.

Iam

(*a*) Cod. 3439. pag. 126. (*b*) *De Civit. Rom.* cap. 50. (*c*) Idem *ibid.*


D · M
P·AELIO·PIO
CVRTIANO
MEDICO·AMICO
BENE·MERITO
CVRTIVS·CRISPINVS
ARRVNTIANVS

Iam vero ex inſcriptione patet, Statilium menſorem aedificiorum fuiſſe, atque annos XXII. vixiſſe. Munus fuit eorum menſorum diligenter de menſuris aedificiorum inquirere, omnium partium rationem habere, omniaque ad calculum fideliter ſubducere, ne operum curatores dolis malis, atque mendaciis, ut ſolent, pretium maius iuſto ſibi exſolvendum contenderent. Qua de re Plinius (*a*) Pruſa, quod Bithiniae oppidum erat, haec ad Traianum ſcripſit: *Diſpice, Domine, ſi neceſſarium putes mittere huc menſorem. Videntur enim non mediocres pecuniae poſſe revocari a curatoribus operum, ſi menſurae fideliter agantur. Ita certe proſpicio ex ratione Pruſenſium, quam cum Maximo tracto*. Atque Traianus ad Plinium ita (*b*): *Menſores vix etiam iis operibus, quae aut Romae, aut in proximo fiunt, ſufficientes habeo: ſed in omni provincia inveniuntur, quibus credi poſſit, & ideo non deerunt tibi, modo velis diligenter excutere*. In aliis multis titulis ſepulcrorum menſores aedificiorum nominantur, ut videre apud veterum inſcriptionum collectores, atque imprimis apud Barnabam Briſſonium (*c*) licet. Is autem praeter principium huius inſcriptionis STATILII, aliam Caecilii Maximi in villa Iuſtinianea repertam, tertiamque Auguſti Sempronii edidit; & poſtrema haec, etſi paullo diſſimilis initio, eadem videtur, ac illa, quae apud Gruterum (*d*), & Muratorium (*e*) legitur.

Porro ex tanto eiuſmodi inſcriptionum a Muratorio (*f*), Reineſio (*g*), Sponio (*h*), Donio (*i*), aliiſque doctiſſimis viris editarum numero, longe diſcrepaſſe conſtat menſores aedificiorum ab Architectorum arte. Sed modo nonnulli, qui Menſores, & Architecti: qui Architecti, & Menſores; equidem puto non ſine magno architectonicae artis detrimento. Praeterea aedificiorum menſores ingenuos, & libertinos exſtitiſſe, & nonnullos publica auctoritate adlectos, ut ſi qua de menſuris controverſia eſſet, ſi bene coniicio, decernerent, ex iiſdem inſcriptionibus colligimus. En, quam Marquardus Gudius (*k*) vulgavit, apta ad id oſtendendum inſcriptio Caio cuidam Memmio dedicata, in qua is dicitur: MENSOR AEDIFIC. PVBL.; & apud Gruterum (*l*) quidam M. Aurelius Tullus CVST. OPER. MESORVM AEDIFICIORVM appellatur. Cuſtodem autem dicere inſpectorem, praeſidemque poſſumus. Viguiſſe quoque collegium Menſorum aedificiorum, uti vigebant collegia aliorum opificum, cum ex inſcriptione Patientis Liberti Auguſti apud Gruterum (*m*) compertum eſt, in qua Patiens TABVL. MESORVM AEDIFICIORVM, Tabularius inquam, ideſt Archivo praefectus, nominatur, tum ex cippo rotundo Romae in aedibus Alteriorum adſervato (*n*), in quo Collegium Meſorum Machinariorum legitur. Idem autem munus fuiſſe menſorum machinarum, atque aedificiorum ex veterum teſtimoniis colligi ſatis explorate poſſe videtur.

Venio ad Statilium Proculum, qui, ut aeternam filii ſui memoriam redderet, non illius tantum artificium, ſed ſuum quoque munus expreſſum in

(*a*) Lib. X. epiſt. 28.
(*b*) Plin. lib. X. epiſt. 29.
(*c*) *De formul.* lib. VI. pag. 578.
(*d*) Pag. DCXXIII. num. 8.
(*e*) *Nov. theſ. inſcript.* pag. 976. num. 8.
(*f*) *Nov. theſ. inſcript.* pag. 924. num. 8., pag. 960. num. 5., & pag. 962. num. 8.
(*g*) *Inſcript. antiq.* pag. 583. num. 85.
(*h*) *Miſcellan. erud. antiquit.* ſect. 6. pag. 225.
(*i*) *Inſcript. antiq.* pag. 335. num. 86.
(*k*) *Antiq. inſcript.* pag. 220. num. 5.
(*l*) Pag. DCXXIII. num. 6.
(*m*) Pag. DXCIX. num. 1.
(*n*) Gruter. pag. XCIX. num. 1.

in cippo voluit. Is enim *Accenſus Velatus* dicitur, quemadmodum plures alii in veteribus inſcriptionibus cum liberti, tum ingenui nominantur. Accenſos Velatos conſtituiſſe olim collegium aliquod ex inſcriptione plane liquet, quam Fabrettus (*a*) vulgavit: idemque praeterea cenſuit eos eſſe in ſacris miniſtris adnumerandos, uti fuſius, uberiuſque a Turrio declaratum eſt (*b*); qui tamen ſingulari eruditionis apparatu diſputat, utrum forent Accenſi aut palatii, aut praetorii miniſtri, ideo Velati dicti, quod aut ibi Caeſareorum cubiculorum velis ſuſtollendis praeficerentur, aut hic ea vela ſummoverent, quibus iudices de rebus graviſſimis deliberaturi occulebantur. Quod ſi quis Accenſos Velatos fuiſſe diceret aut ſacerdotes quoſdam ultra numerum, aut quoſdam extra ordinem adiunctos iudicibus viros de maioris momenti negotiis conſulturos, quae poſt tribunalium vela expedire veteres conſueverunt; eius quidem opinionem minime improbandam arbitraremur. Verum inſtituti noſtri minime eſt, veteres inſcriptiones in Muſeo Capitolino exſiſtentes, ſed eiuſdem Muſei dumtaxat anaglypha explicare; & idcirco hanc, aliaſque Antiquariorum, & Criticorum opiniones editoribus Voluminis V. huius operis expendendas relinquimus: praeſertim cum eiuſmodi diſquiſitio nihil ad illuſtrandam noſtram ſculpturam conferat. Id unum hic adnotabimus, eas inſcriptiones, in quibus Accenſi Velati memorantur, ad prima Imperii Romani tempora veriſimiliter non pertinere: idemque iudicium de hac Statiliana ferimus. Ex familia enim ipſa deſumpta erant, non vero ex arbitrio impoſita, tum temporis nomina, cuiuſmodi illa videntur eſſe Argentariae Eutychiae, & Orciviae Anthidis; etſi nomen Orcivia in quibuſdam aliis occurrit inſcriptionibus, & praecipue in C. Plinii inſcriptione, apud Polycarpum Palermum (*c*), qui illius illuſtrandae cauſſa hanc etiam noſtram Statilii, mendoſam tamen, in medium addúcit.

De menſuris in anaglyphi lateribus inſculptis agendum modo eſt. Has menſuras plerique doctrina, eruditioneque excellentes viri, atque imprimis P. Abbas D. Didacus Revillaſius, quondam Matheſis in Romanae Sapientiae Archigymnaſio Doctor, memorant (*d*). Atque is quidem non Statilianas modo, ſed & alias menſuras ſingulari in Diſſertatione de ſepulcro P. Alphii Mercatoris lignarii, quam edidit quaſi ſpecimen copioſioris, perfectioriſque de iiſdem, quod conficere meditabatur, operis, quam diligentiſſime illuſtravit. Nos hic cum Statilianas, tum reliquas, quae in Muſeo Capitolino ſervantur, menſuras, ex ipſis marmoreis monumentis, ideſt ex fronte cippi M. Ebutii, & ex monumento Capponiano [in quibus Architectorum] atque ex latere arae Cn. Coſſutii [in quo Sculptorum menſurae exhibentur] accurate delineatas expreſſimus: ne quidquam quod ad eam rem, ſculpturaſque Capitolinas pertinet, noſtro in hoc opere deſideretur, atque ne ſatis iis facere, quibus ea monumenta diſpicere ſuis oculis non licet, praetermittamus.


In

(*a*) *Inſcript. antiq.* cap. 6. pag. 433.

(*b*) *Monument. veter. Antii* cap. 3. pag. 35. & ſeq.

(*c*) *De verâ C. Plin. ſec. Patria* lib. II. c. 5.

(*d*) *Saggi di Diſſertazioni Accademiche dell' Accademia Etruſca di Cortona &c.* Tom. III. pag. 111.



N. 5.
N. 2.
N. 6.
N. 1.
N. 3.
N. 4.
Menſuræ Statilianæ
Lapis Æbutianus
Lapis Capponianus
Lapis Coſsutianus
C. Antonini
Scala di Palmi quattro Romani
del. et sculp.

In Statilianis *num.* 1. veterem Rom. pedem, qui in ſiniſtro latere marmoris inſculptus eſt, habes: qua de menſura tantopere inter ſe Scriptores diffidunt. Dividitur hoc loco pes in digitos non amuſſim inter ſe aequales ſexdecim, punctiſque rurſus, ſive orbiculis tribus totus in partes aequales quatuor, quarum ſingulae palmum deſignant. Nam antiqui pedis pars quarta, digitos quatuor complectens, erat palmus (*a*). Alienum vero hoc loco eſt varias Auctorum, diſcrepanteſque de vi, quantitateque Rom. pedis recitare ſententias. De iis laudatus Revillaſius, cui aſſentimur, diligenter, copioſeque propoſuit. Illud unum animadvertam: veterem Rom. pedem aequalem palmo, quo nunc menſores utuntur, eſſe, ſi uncias fere quatuor huic adiicias. Unciis enim fere ſexdecim continetur. Quare parum noſtra a Revillaſii pedis Rom. menſura diſtat. Praeterea Statilianus pes pedi in monumento Cn. Coſsutii inſculpto *num.* 4. aequalis eſt; ſed Coſſutianus neque dividitur in digitos ſexdecim, ut apud Gruterum (*b*) cernitur, neque nullo modo dividitur, ut Revillaſius ſcribit. Nam tribus lineis, ut vides, in quatuor partes ſecatur. Capponianus quoque *num.* 3. parum, aut nihil a Statiliano, a Coſſutiano, atque ab Ebutiano *num.* 2. diſcrepat: quorum poſtremi ab aliis diſcrepantia comprehendi ſenſu vix, ac ne vix quidem poteſt. Itaque haec inſtrumenta non temere Sculptores appoſuerunt indicandae artis, in qua ille, cui monumentum ponebatur, ſeſe exercuit, cauſſa, ut Lucas Petus (*c*), & Fabrettus (*d*) cenſuerunt; ſed de induſtria ita ut adamuſſim pedis Romani, quae tum vigebat, menſuram exprimerent. Quod ſi unius, atque alterius menſura diſcrepat, quemadmodum animadverſum a compluribus, iiſque peritiſſimis viris fuit, id aut operi, quod nondum abſolutum fuerit, aut aliis cum corporibus colliſioni, aut diuturnitati temporis, & caeli intemperiei tribuendum eſt; hinc enim hae menſurae anaglyphice inſculptae ita alliſae, corroſaeque ſunt, ut qua parte eminebant extremitates cognoſci certo tota pedis longitudo non poſſit. Itaque coniectura potius, arbitratuque ſuo, quam rei veritate adducti nonnulli ea de longitudine iudicarunt. Aereas autem quaſdam virgas exſtaſſe ſupralaudatus Petus ſcribit, quae etſi neque aequales inter ſe, neque pedi Romano in marmoreis veteribus monumentis expreſſo congruentes eſſent, eiuſdem tamen pedis menſurae dicebantur. Sed quid tam indignum ſapiente, quam de iſtiuſmodi rebus, quas ſuis oculis non diſpicit, diſputare? Certa in promptu habeo; & ea comperta eſſe facile cuique, ſi quaerat, poſſunt. Pedes in marmoribus Capitolinis inſculpti unico aereo pedi antiquo Rom. examuſſim congruunt, qui in Caeliolo repertus, atque Benedicto XIV. Pont. Max. a cl. viro, Romanarumque Antiquitatum peritiſſimo Franciſco Ficoronio dono datus, in Muſeo profano Bibliothecae Vaticanae adſervatur. Integer eſt autem is aeneus pes, atque ita intactus, ut ex uſu adhuc eſſe menſoribus certe poſſit, dividiturque in uncias ſexdecim, quemadmodum in illius exemplis aere inciſis apud Ficoronium

(*a*) Vid. Philandr. in not. ad Vitruv. *de Architect.* lib. v. cap. 10.

(*b*) Pag. DCXLIV. num. 1.

(*c*) *De Romanor. & Graecor. Menſ.* lib. I. In Theſ. Graevii Tom. II. pag. 1619.

(*d*) *De aquaeduct.* Diſsert. 2. num. 128.

ronium eumdem in libro de priſcis Labicis (*a*), & apud Gorium de veteribus Inſcriptionibus, quae exſtant in Etruria, videre eſt.

Aliud inſtrumentum *Num.* 2. in eodem cippi dextero latere oblique expreſſum videtur eſſe oblonga canna in nonnullas partes inaequales diſtincta, quarum unaquaeque peculiarem menſuram exhibeat. Hanc Revillaſius, nonnullique alii ſcriptores, Decempedam, perticam videlicet, ſeu cannam decem pedum, contractam in arctum dixerunt. Verum diligenter inquirendo, metiendoque comperi, nullam earum partium cum decempeda congruere. Sit enim *A C* aequalis *E G* unius menſura pedis; *C D* pedes amplius ſex, *D E* minus contineri neceſſe eſt. Rurſus *A B*, *F G* ſit pedis menſura; *B D* pedes fere decem, & ſeptem continet, *D F* fere undecim. Itaque *D F* ad ſummum [quae amplius decies *A B*, & *F G* minores partes continet] videri Decempeda cuiquam poſſet. Quid? Ulla ne eſt cum reliqua canna proportio? At aliqua ſaltem eſt, inquis, ſi alio modo metiaris, proportio non modo partis cum parte, ſed etiam totius. Eſto: ſed accidentalis, ut aiunt, videtur profecto iſta proportio ſpatio, ſeu menſura *D F* comprehenſa. Igitur univerſis proportionibus, atque menſuris, quae accommodari huic inſtrumento aliqua ratione poſſunt, ſtudioſe exploratis, illud veriſimilius eſſe puto *A B*, *F G* eſſe orbes, ſeu circulos aeneos circumpoſitos menſurae extremitatibus, ut fieri nunc ſolet, ne uſu continenti eliſa detrimento cuiquam eſſet: *A C* vero, & *E G* eſſe palmum; propterea quod cum quarta pedis parte in eodem cippi latere inſculpta, congruat. Cumque *A C*, *E G* ſexies in *C D* contineatur, *C D* eſſe cubiti menſuram. Cubitum enim, auctore Vitruvio (*b*), ſex palmis conſtat. Atque eſt quidem *D E* ipſiſſima menſura pedis. Itaque ſi has omnes menſuras computes, ſumma *A G* erit duodecim veterum palmorum, ſive pedum trium menſura, quae Tripedanea appellabatur (*c*). Verum illius, qui noſtram hanc aeneam tabulam ſculpſit, factum negligentia eſt, ut menſurae menſuris exempli amuſſim delineati non congruant.

Numeris autem 3. & 4. neſcio quae deformata inſtrumenta occurrunt. Nobis de tertio diligenter inquirentibus, pene ovatus glomus funiculi viſus eſt, ſimilis illi, quo nunc menſores aedificiorum maiora intervalla, atque potiſſimum altitudines metiuntur, quae alio modo, niſi maxima difficultate, quantae ſint cognoſci non poſſunt. Sed Pyrrhus Ligorius loco ſupra indicato ita figuravit, ut appareat vagina cum pugione, cuius capulum extrinſecus. Fortaſſe tamen ei viſum eſt videre graphium, aut circinum in theca reconditum. Porro theca etiam videtur inſtrumentum 4. *Num.* inciſum, quae claudi, religarique faſciola, ut vides, poſſet; idque clarius in exemplo a Ligorio delineato, quam in marmoreo monumento, hac in parte reſtituto, dignoſcitur. Thecam quoque dicam, quae *Num.* 5. exhibetur. Huius extremitas concava, atque rotunda, in ſuperficie autem nonnulli canaliculi, in quibus, ut eſt veriſimile, minora inſtrumenta ſervarentur. Attamen marmor hic quoque deformatum eſt. Iam illud, quod *Num.* 6. integrum repraeſentatur, inſpiciamus.

 Quadra-

(*a*) Pag. 93.
(*b*) De *Architect.* lib. III. cap. 1.
(*c*) Vid. Columell. lib. V. cap. 5., Plin. lib. XXXIV. cap. 6.

Quadrata tabella haec quidem, lineis ad perpendiculum ductis, parique intervallo diſtantibus diſtinguitur, faſciaque media ſecatur. Huius ſimilis eſt tabella in Alphii cippo inſculpta, praeclareque a Revillaſio explicata. Is vero aut thecam repraeſentari putavit librorum, atque chartarum, aut potius abacum, nimirum tabulam calculatoriam, a Perſio (*a*) laudatam, in qua numeros lineaſque ducere, ductaſque delere veteres, ut ipſis libebat, conſueſcerent. Huius tabellae praeſidio Statilius computationum, artiſque ſuae cauſſa indigebat. At idem Revillaſius, cum animum ad utriuſque tabellae proportionem advertiſſet, coniectando ſcripſit: Geometricos quoſdam abacos fuiſſe, quorum ope linearum fortaſſe multiplicationem, totiuſque quadratae areae ſummam, ſive corporum dimenſionem, omnemque ſuperficiem facilius cognoſcere liceret. Nam percepta quantitate linearum altitudinis, atque longitudinis parietis, ex multiplicatis ſimul lineis quanta ſit area, ſive ſuperficies parietis plane perſpicitur. Sit igitur faſcia illa media *BC*, *FG* omnium linearum, ex quibus tabellae quadratum conſtituitur, communis, ut revera eſt dimenſio [nam quae ſit altitudo determinare, ut lubet, poteris] eamdem eſſe reliquarum partium quantitatem, atque proportionem dilucide colliges. Itaque faſciae altitudo ex. gr. ſit pedum 20., linea *AB* erit pedum 90. quod quater cum dimidio in *AB* altitudo pedum 20. contineatur: linea vero *AH* ſexies eamdem altitudinem complectens erit pedum 120., ac tandem omnibus ſimul ſumptis tota area *ABGH* 1080. pedum. Quod ſi huiuſmodi faſciam ſuſdeque ad quodvis punctum tabellae ducere fas erat, inde quae eſſet cuiuſcumque areae quantitas cognoſci facili negotio potuit, dum decem ex. gr. quadrata areae quadratis totidem tabellae reſponderent. Poſtremo ex reliquis tabellae faſciis perpendicularibus, in quas tabella dividitur, fortaſſe colligere fas eſt, varias, diſcrepanteſque inter ſe dimenſiones illarum ope multiplicari conſueviſſe, ſi damus ſignatas in iis faſciis notas numerorum fuiſſe, quas Sculptor fortaſſe praetermiſit, quemadmodum in teſſeris, ſeu tabellis Neperianis videmus; media autem, de qua diximus, faſcia perpendiculares illas conſtringi. Has eſſe coniecturas intelligo: ſed aio eſſe veri maxime ſimile, illorum quoque temporum menſores inſtrumentis non caruiſſe, quibus menſuras aedificiorum, atque menſurarum ſummam, multiplicationemque facilius cognoſcerent, atque dinumerarent.

(*a*) Satyr. I. verſ. 131.

EXPLI-



EXPLICATIO

TAB. X.

QUum acceſſionis Bibliothecae Caſanatenſi adiunctae an. 1719. fundamenta excavarentur, reperta ibi eſt ſacrata Iſidi ara quam Tab. X. cum inſcriptione ISIDI SACR. exhibet. Iohannes Oliva vir editis libris clarus, qui Bibliothecae Cardinalis Soubiſii praefectus Lutetiae Pariſiorum deceſſit, quum eo anno Romae eſſet, Latinam diſſertationem de eiuſmodi ara accurate, copioſeque ſcripſit, ex qua nonnulla, cum inciderit ut id apte fieri poſſit, in hanc qualemcumque noſtram explicationem transferemus.

Ut autem a ſitu ordiamur, ex quo effoſſa haec ara fuit, defendi iam ſine dubitatione poſſe videtur, circa eum locum Iſium exſtaſſe; quod ante id tempus ex nonnullis tantum Aegyptiis monumentis, atque imprimis, Donato teſte (*a*), ex ſtatua Oſiridis, quae nunc in aedibus Barberinorum ſervatur, non longe ab eadem ara repertis, colligere viris eruditis licuerat. Praeterea cum Iſium, Pantheon, Villa publica, templum Bellonae, Septa, Serapium, atque Minervium in nona Regione, quae Flaminia a Circo Flaminio dicta eſt, conſtituta, ut Sextus Rufus, & Pub. Victor tradunt, parvo inter ſe ſpatio diſtarent, eaque Aegyptia monumenta prope Pantheon effoſſa ſint; exiſtimandum eſt, illum, quem indicavimus, fuiſſe Iſii ſitum. Sed & Iuvenalis (*b*), atque Martialis (*c*) non longe a Septis Iſium collocant. Septa vero, quae a Dione (*d*) ſuburbana, inque Campo Martio (*e*) ſita dicun-

(*a*) *De urbe Roma* lib. I. cap. 22.
(*b*) Satyr. VI. verſ. 528.
(*c*) Lib. II. epigr. 14.
(*d*) Lib. LVI. cap. 1. pag. 572. edit. Reimari.
(*e*) Lib. LIII. cap. 23. pag. 717.

dicuntur, prope aderant Villae publicae in extremo eodem campo Martio, teſte locuplete Varrone (*a*). A radicibus autem Capitolii prope templum Bellonae, quo loco Monaſterium, quod *Torre di ſpecchj* dicimus, nunc exſtat, Campus Martius initium quidem ſumebat: ſi vera narrant, exauditas in Bellonae templo fuiſſe lamentationes, clamoreſque militum Marianorum, iuſſu Syllae in Villa publica interfectorum. Quamobrem Vignolius cenſuit (*b*), Villam publicam paullulum ultra Circum Flaminium fuiſſe, cuius Circi finis iis aedibus, quas *le botteghe oſcure* appellamus, terminabatur, non autem prope Circum maximum in media urbe, ut falſo eruditi nonnulli putarunt. Contra vero nulla Kirkerio (*c*), qui ampliſſimum in ſua Iconographia Iſium facit, adhibenda eſt fides. Temere quoque unum idemque templum fuiſſe Iſium, atque Serapium hic Auctor ſcribit. Nam & P. Victor Iſium prope Serapium fuiſſe plane docet, & Xiphilinus (*d*) in aedificiis, Tito Imperatore, incenſis, *Serapidis*, *&* *Iſidis fana* numerat; & Lampridius (*e*) ait: *Iſium*, *&* *Serapium* [Alexander Severus] *decenter ornavit*, *additis ſignis*, *&* *deliciis*, *&* *omnibus myſticis*: & Eutropius (*f*) *Iſium*, inquit, *&* *Serapeum* [Domitianus] *fecit*.

His de ſitu cognitis, Iſiacum noſtrum monumentum inſpiciendum nobis explicandumque eſt. Dubitari autem principio poteſt, utrum baſis cuiuſquam ſimulacri, an ara ad ſacrificia, ut nonnulli, cum primum repertum eſt, exiſtimarunt, an vero ara votiva fuerit. Nos votivam fuiſſe aram Iſidi poſitam, Olivae (*g*), & Montfauconio (*h*) aſſenſi, colligimus ex illius forma, atque ex more veterum, qui, ut pleraeque inſcriptiones declarant, votivas ſaepe aras huic numini ponebant. Sed a quo, & quam ob cauſſam dicata Iſidi haec ara fuerit, divinare quî poſſumus? Illud perſpicuum eſt, multis de cauſſis Iſidi vota ethnicos nuncupaſſe, quod eſſet *Omnia*, ut legimus in inſcriptione (*i*), quae habet hoc modo:

TE TIBI
VNA QVAE
ES OMNIA
DEA ISIS
ARRIVS BAL
BINVS V. C

Quare Myrionyma, ideſt Dea millium nominum, in alia inſcriptione appellatur (*k*):

ISIDI
MYRIONIMAE
SACRVM

Ac pro fertilitate quidem agrorum, copiaque frugum Iſidi, ubi veluti Ceres colebatur, vota nuncupabantur, ut paullo poſt videbimus; aut pro incolumitate

(*a*) *De re ruſtic.* lib. III. cap. 2.
(*b*) *De column. Anton.* cap. 2.
(*c*) *De obeliſc. Aegypt. inter Iſei rud. effoſs.* cap. 2.
(*d*) In Vita Titi pag. 227.
(*e*) In Vita Alexand. Sever. pag. 122.
(*f*) *Breviar. hiſtor. Rom.* lib. VII. cap. 15.
(*g*) Cap. 4.
(*h*) *Antiquit. expliq. ſupplem.* Tom. II. Tab. XI. lib. II. cap. 3. pag. 54.
(*i*) Gruter. pag. LXXXII. num. 2.
(*k*) Ibi pag. LXXXIII. num. XI.

mitate a nautis, quod ipſa velorum ad navigandum, cum Harpocratem filium quaeritaret, inventrix haberetur, quemadmodum Hyginus (*a*), & Caſſiodorus (*b*) tradunt; aut ab aegrotis pro ſalute tamquam tutelari ipſorum Deae, quod medicamina (*c*) reperiſſet: qua de re Tibullus inquit (*d*):

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi; nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Igitur cum multas votivas tabellas, teſte Tibullo, ad templa Iſidis appendere, eique votivas aras, ut ex pleriſque inſcriptionibus apud Gruterum, Reineſium, alioſque exploratum eſt, Romani pro ſalute recuperata dicare ſolerent; noſtram quoque aram Iſidi dicatam ob eamdem cauſſam fuiſſe laudatus Oliva veri eſſe ſimilius iudicavit (*e*).

Anticum, illudque praecipuum arae latus urnam exhibet affabre inſculptam, cuius operculum ſerpens circumdat, medium vero luna corniculata, ſpicaeque tritici duae obtinent. Si Apuleium conſulas (*f*), qui probe Iſidis myſteria novit, urnae illius ſymbolo Iſidem ipſam repraeſentari facile coniicies. *Gerebat*, inquit, *alius felici ſuo gremio ſummi Numinis venerandam effigiem, non pecoris, non avis, non ferae, ac ne hominis quidem ipſius conſimilem, ſed ſolerti repertu, etiam ipſa novitate reverendam, altioris utcumque, & magno ſilentio tegendae religionis argumentum ineffabile; ſed & ad iſtum plane modum fulgente auro figurata. Urnula faberrime cavata, fundo quam rotundo, miris extrinſecus ſimulacris Aegyptiorum effigiata. Eius orificium non altiuſcule levatum, in canalem porrectum longo rivulo prominebat. Ex alia vero parte multum recedens ſpatioſa dilatatione adhaerebat anſa, quam contorto nodulo ſuperſedebat aſpis, ſquameae cervicis ſtriato tumore ſublimis.* Nonne his verbis urna, quae in noſtra etiam ara inſculpta eſt, deſcribi ab Apuleio videtur; in qua, etſi anſa, ſuper quam aſpis ſedeat, non occurrit: tamen ad arae operculum adhaerere ſerpentem cernis? Neque vero mirum, novumque eſt, informibus figuris numina exhiberi ab ethnicis conſueviſſe. Apud Aegyptios praeſertim eum morem invaluiſſe eruditorum eſt nemo, qui ignoret; exſtatque quintadecima in illos a Iuvenali ſcripta ſatyra, cuius initium ita habet:

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Aegyptus portenta colat?

Sed & alias nationes eiuſmodi dementia depravatas fuiſſe ex Maximo Tyrio (*g*), ex Tertulliano (*h*), ex Arnobio (*i*), ex Pauſania (*k*), exque aliis compluribus Latinis, Graeciſque Scriptoribus cognoſci poteſt: ipſamque Venerem pulchritudinis, & gratiarum Deam a Cypriis ſic coli conſueviſſe Tacitus ſcribit, ut *ſimulacrum Deae, non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metae exſurgens*, eſſet (*l*).

Neque vero ex urna ſolum, ſed etiam ex figura ſerpentis, qui totum illius operculum ambit, Iſidem hoc in latere repraeſentari colligi poteſt. Ita enim reprae-

(*a*) Fab. ult.
(*b*) *Variar.* lib. v. epiſt. 17.
(*c*) Vid. Diodor. lib. I. cap. 25. pag. 29.
(*d*) Lib. I. eleg. 3. verſ. 27.
(*e*) Cap. 5.
(*f*) *Metamorph.* lib. xi. pag. 374. edit. *ad uſum Delphini.*
(*g*) Diſſert. 8. ſect. 5. & ſeq. pag. 84. & ſeq. edit. Londin. 1740.
(*h*) *Apolog. adv. gent.* cap. 16. pag. 46.
(*i*) *Adv. gent.* lib. vi. cap. 11. & ſeq. p. 192.
(*k*) *Achaic.* lib. vii. cap. 22., *Boeot.* lib. ix. cap. 24. Vid. ibi cap. 38., atque alibi.
(*l*) *Hiſt.* lib. ii. cap. 3. pag. 338.

repraeſentabant Aegyptii, quod plures numi a Spanhemio (*a*) editi teſtantur, & forte duo numi Hadriani in Aegypto cuſi confirmant, in quorum uno ſiſtrum, & caduceum, quod eſt virga ſerpentibus duobus circumdata; in altero caduceum, & tritici ſpicae inſculptae ſunt. Ac Iſis profecto in eo numiſmate Fauſtinae ſenioris in Aegypto item cuſo repraeſentatur (*b*), in quo expreſſus eſt ſerpens capite flore loto, ſpica tritici, & papaveribus duobus ornatus. Neque alia ſane de cauſſa ab Aegyptiis tanto in honore ſerpentes habebantur, ut illorum Reges, teſte Aeliano (*c*), figuras ſerpentum in diademate religionis cauſſa, ferrent; niſi quod Iſidi imprimis ſacri erant ſerpentes, quemadmodum Apuleius, & Valerius Flaccus teſtantur. En huius teſtimonium (*d*):

. . . . Haec procul Io
Spectat ab arce Phari iam Divis addita, iamque
Aſpide cincta comas, & ovanti perſona ſiſtro.

Igitur & in tabula Bembiana a Pignorio (*e*) illuſtrata, Iſidem cum ſerpente vides: & in numo apud Oiſelium (*f*) Iſides alatas duas, utramque cum ſerpente; & in vetere monumento Ducum Matthaeiorum, apud Sanctem Bartolum (*g*), nedum Apis, ſed etiam ſerpens in Iſiaca pompa traducitur: qua de pompa Ovidius agens inquit (*h*):

Pigraque labatur circum donaria ſerpens,
Et comes in pompa corniger Apis eat.

Porro ex laudatis nummis ita etiam tritici ſpicas lunae adhaerentes interpretamur, ut urnae non ſint ornamento, ſed Iſidem oſtendant. Nam Iſis, & Ceres idem erat Numen, ut Herodotus prodidit (*i*): Ἶσις δέ ἐστι κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν Δημήτηρ, *Iſis autem eſt ſecundum Graecorum linguam Ceres*; & Apollodorus ait (*k*): ἱδρύσατο δὲ ἄγαλμα Δήμητρος, ἣν ἐκάλεσαν Ἶσιν αἰγύπτιοι, *erexit vero ſtatuam Cereris, quam vocaverunt Iſim Agyptii*. Praeterea Theodoretus (*l*) Plutarchum, Diodorum, & Demoſthenem ſequutus, ſacrificia Iſidis ex Aegypto in myſteria, orgiaque Cereris, & Liberi Orpheum tranſtuliſſe ſcribit; Tertullianus vero (*m*) *primam Iſidem repertas ſpicas capite circumtuliſſe*: exſtantque apud Vaillantium aere inciſi nonnulli nummi, atque ille imprimis, qui in Aegialea inſula cuſus fuit, in quorum poſtica parte Iſis manu ſpicas tenens cernitur. Igitur cum praeeſſe agris, eoſque tueri Iſis crederetur, *Fructifera* (*n*) in veteribus inſcriptionibus dicitur, quod Cereris proprium fuiſſe nomen Callimachus (*o*), Theocritus (*p*), Ariſtophanes, aliique antiqui Scriptores memoriae tradiderunt. In inſcriptione Iſidi a Phiſia ſacerdote dicata apud Gruterum (*q*) legitur: SAECVLO FELICI, quod ſane Iſidem, & Cererem unum idemque fuiſſe Numen declarat. Frugum enim copia, ſine

(*a*) *De praeſt.*, *& uſu numiſm.* Diſſert. 6. Tom. I. pag. 305. & 306. Vid. Smetium *Antiq. Neom.* pag. 134.
(*b*) Vid. Spanhem. ibi Diſſert. 4. pag. 223.
(*c*) *Hiſt. animal.* lib. VI. cap. 38.
(*d*) *Argonaut.* lib. IV. verſ. 417.
(*e*) Pag. 26.
(*f*) Tab. 47. num. 6.
(*g*) *Admir. Rom. antiquit.* Tab. 16.
(*h*) *Amor.* lib. II. eleg. 13. verſ. 13.
(*i*) *Euterpe* lib. II. cap. 59. edit. Weſſeling. pag. 132.
(*k*) *Biblioth.* lib. II. pag. 41.
(*l*) *Serm. de fide* Tom. IV. edit. Sirmond. pag. 468.
(*m*) *De coron.* cap. 7. pag. 290.
(*n*) Vid. Gruter. pag. LXXXIII. num. 10.
(*o*) *Hymn. in Cerer.* verſ. 2.
(*p*) *Idyl.* 10. verſ. 42.
(*q*) Cit. pag. LXXXIII. num. 15.

ſine qua felix eſſe ſaeculum numquam poteſt, Iſidi aeque ac Cereri tribuebatur; & hinc compluribus in nummis, quorum epigraphe eſt huiuſmodi: FELICITAS SAECVLI, aut cornucopiae, aut caduceum, aut utrumque ubertatis frugum ſymbolum expreſſum videmus.

Verum enim vero, ſi quid ſapio, Iſidem praecipue repraeſentat Luna corniculata; etenim apud Aegyptios Iſidem non aliud, quam Lunam fuiſſe ex Diodoro (*a*) conſtat; eaque in natione non aliorum Deorum, quam Solis, & Lunae, quibus Oſiridis, & Iſidis vocabula tribuerunt, Euſebius Caeſarienſis (*b*) docet initio exſtitiſſe religionem. Eadem Romanorum quoque opinio fuit, ut ex inſcriptione huiuſmodi

LVNAE ET ISIDI

AVG. SAC

a Grutero (*c*) edita cognoſci poteſt. Tradit vero Plutarchus (*d*) Iſidis ſimulacra, ut creſcentis lunae indicio eſſent, fingi conſueviſſe κερασφόρα, hoc eſt *cornigera*, quia nimirum, ut puto, luna corniculata capiti illorum ſuperponebatur; quemadmodum in laudata tabula Bembiana apud Pignorium, inque alia Aegyptia figura a Queringo explicata apud eumdem Pignorium, & in Canopo Muſei Chiſii a Cauſaeo (*e*) diligenter illuſtrato Iſidem conſpicimus. Qua de re Ovidii illa ſunt (*f*):

Inachis ante torum pompa comitata ſuorum
Aut ſtetit, aut viſa eſt: inerant LVNARIA fronti
CORNVA cum ſpicis nitido flaventibus auro,
Et regale decus.

Haec autem cum ita ſint, potuit ſatis apte arae noſtrae artifex in corniculata Luna Iſidem oſtendere, & hoc poſito laudatum Apuleii teſtimonium, quod ſane aptius Iſiacum ſimulacrum illuſtrat a Begero editum (*g*), praetermittam, & quod urnam dixi, quandam potius dicam ciſtam myſticam, aut calathum aliquem dicam, nam & calathi in feſtis Iſidis ſolemni pompa, apparatuque ferebantur. Ac Ariſtophanes (*h*) quidem teſtatur, calathiſcos ferri a mulieribus conſueſſe, cum Theſmophoria, quae Cerealia a Latinis appellantur, celebrarent. Ovidius vero de iiſdem loquens ait (*i*):

Feſta piae Cereris celebrabant annua matres
Illa, quibus nivea velatae corpora veſte
Primitias frugum dant ſpicea ſerta ſuarum.

Huius lateris arae noſtrae faſtigium fructibus plenus caniſter occupat, utrimque ſecus aves duae, & ad acutos angulos capita totidem. Sed, ut apud Olivam (*k*), & Montfauconium (*l*) videre licet, ſine capite ad dexterum angulum, ſine ave ei capiti proxima, & ſine ſuperiore caniſtri dimidia parte inventum hoc arae latus fuit. Igitur recens quidem illa refecta ſunt; at diligenter, utque ratio, proportioque poſtulant. Uno ex his capitibus Oſirim,

(*a*) Lib. I. cap. 25.
(*b*) *Praeparat. evang.* lib. I. cap. 9.
(*c*) Pag. XLII. num. I.
(*d*) *De Iſid., & Oſir.* Operum To. II. pag. 372.
(*e*) *De Deor. ſimulacr.* Tab. 23. & 24. in Theſ. Graevii Tom. V. pag. 787.
(*f*) *Metamorph.* lib. IX. verſ. 686.
(*g*) *Theſaur. Brandeburg.* Tom. III. pag. 302.
(*h*) *Theſmoph.* verſ. 829.
(*i*) *Metamorph.* lib. X. verſ. 431.
(*k*) *In marm. Iſiac. exercitat.* cap. 3.
(*l*) Loc. cit.

Oſirim, altero aut Iſim, aut eius filium Horum exprimi, facile eſt exiſtimare. Nam Oſirim, qui & Serapis, teſte Plutarcho (*a*), dicebatur, una cum Iſide coluiſſe Aegyptios Macrobius (*b*) ſcribit, propterea quod & ipſe Iſidis frater, & vir eſſet, atque uterque ſementem facere docuiſſet. Ex hoc illa Tibulli (*c*):

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitavit humum.

Accedit ad haec, quod Iſis eadem, ut diximus, ac Luna: Oſiris vero idem ac Sol eſſet, atque utrique Numini pro ſalute aegrotorum, ut ex multis inſcriptionibus conſtat, vota nuncuparentur (*d*). Quinetiam ne dum Aegyptii, ſed Romani quoque aegrotos, poſtquam illos neſcio quibus caerimoniis expiaſſent, in fanis Oſiridis collocare ſolebant; ut ipſis per ſomnium is Deus valetudinis praeſcriberet curationem. Id vero ab Artemidoro (*e*), atque ab aliis veteribus Scriptoribus mandatum monumentis litterarum fuit, cognoſcique ex inſcriptione apud Fabrettum (*f*) poteſt, quae habet hoc modo: DEO SERAPI M. VIBIVS ONESIMVS EX VISV. Unus in hac inſcriptione Serapis nominatur; ſed eſt ex marmore deſcripta, ad cuius latera cum Serapis, tum Iſis cernitur: idque promiſcue utrique Numini cultum adhibitum fuiſſe oſtendit. Qua de re copioſe Chiffletius (*g*) Abraxeam gemmam explicans (*h*), & Oiſelius (*i*) Iuliani nummum illuſtrans agunt: exſtantque apud Choulium (*k*) Aegyptii nummi Hadriani duo, quorum alter Serapim aquilae dorſo inſidentem exhibet, alter vero aquilam item praefert, quae ala dextera Serapim, ſiniſtra vero Iſim ſuſtinet. Hiſce nummis aere inciſis huius noſtrae lucubrationis frontem ornavimus. Sed illud etiam, quod diximus, veri videtur eſſe ſimile: uno ex his capitibus repraeſentari Serapim, ideſt Solem, altero Horum filium. Namque & Horus ſaluti aegrotantium praeerat. Illum Aegyptii una cum Serapide, Iſideque colebant, eiuſque Numini terras, & maria parere aiebant: & Plutarcho teſte (*l*), Solem, & Lunam nonnulli Aegyptii Hori oculos fuiſſe arbitrabantur, quod iis planetis mundus longe lateque colluceret.

Praeterea commentitia, futiliſque Poëtarum ſententia fuit, Horum pietate permotum Oſiridis patris a Typhone interfecti mortem vindicaſſe; ex quo colligere coniectura poſſumus, quid aves illae duae oſtendant. Veteres enim upupis duabus Hori in patrem pietatem exprimebant [idque ex gemma apud Nicolaum Fabricium, & apud Pignorium (*m*) conſtat]; propterea quod upupas Aegyptii, ut Aelianus tradit (*n*), tamquam grati animi ſymbolum ſingulari veneratione proſequebantur. Verum ſi Oſiris, atque Iſis iis capitibus repraeſentantur, licebit quoque unam ex duabus avibus anſerem, alteram accipitrem dicere. Proditum enim memoriae eſt Oſiridi accipitres, Iſidi vero anſeres conſecratos fuiſſe, inque Iſidis templis anſeres altos, ut Artemidorus ſcribit (*o*); atque Iſiacum ſacerdotem non modo fructuum, florum-

(*a*) *De Iſid.*, *&* *Oſir.* Tom. II. pag. 362.
(*b*) *Saturnal.* lib. I. cap. 20.
(*c*) Lib. I. eleg. 8. v. 29.
(*d*) Vid. Oliv. cap. 10.
(*e*) *Oneirocrit.* lib. v. ſomn. 92. & 93. &c.
(*f*) *Inſcript. domeſt.* cap. 6. num. 20. p. 467.
(*g*) Num. 112.
(*h*) Cap. 15. pag. 135.
(*i*) Tab. 43. num. 2.
(*k*) Pag. 45.
(*l*) *De Iſid.*, *&* *Oſir.* Tom. II. pag. 372.
(*m*) *Menſae Iſiac. expoſit.* pag. 52.
(*n*) *Hiſt. animal.* lib. x. c. 16., & lib. xvi. c. 5.
(*o*) *Oneirocrit.* lib. iv. cap. 85.

florumque primitias, ſed complures quoque anſeres geſtantem apud laudatum Spanhemium (*a*) cernimus. Accipiter autem ita Oſiridi proprius fuit, ut is capite accipitris, teſte Plutarcho (*b*), quandoque exprimeretur, qualem videre cuique Oſiridem Barbarinorum apud Donatum (*c*), alterumque Muſei Brandenburgici apud Begerum (*d*) licet. Poſtremo illum, quem nos diximus caniſtrum, eſſe vaſculum, quod cibum ad eas aves in templis alendas contineret, Oliva (*e*) putat. Sed veri fortaſſe ſimilius eſt, primitias florum Iſidi conſecrandas ſervatas in eo fuiſſe. Supereſt modo, ut huius ſuperioris partis arae vicem doleam. Refecta, & quidem diligenter fuerat ea ratione, qua aere inciſam eam vides; at nunc haec ſcribens intelligo, ab imperitis, ne gravius dicam, hominibus defectam illam, alioque translatam fuiſſe, ut aut vetuſti vaſis, aut ſtatuae baſis reliquum arae eſſet.

Alio in latere, *num.* 2., exhibetur Anubis canino capite, talaribus indutus, ſiniſtra ſitulam, palmamque, dextera caduceum retinens: quod caduceum appoſite diligenterque reſtitutum fuit. Anubis Oſiridis, & Nephthyos nothus fuit, ut Plutarchus (*f*) prodidit. Sub illius forma Mercurius colebatur, & idcirco talaribus indutus in noſtra ara, inque gemma Abraxea apud Chiffletium (*g*) conſpicitur. Apuleius (*h*) ita eum deſcribit: *Hic horrendum attollens canis cervices arduas, ille ſuperûm commeator, & inferum, nunc atra, nunc aurea facie ſublimis, laeva caduceum gerens, dextra palmam virentem quatiens*. Animadverſum a Servio eſt, quod veteres, ut Mercurii ſagacitatem indicarent, canino exhibere Anubim capite conſueverunt. Habet enim Servius in Virgilii verſum (*i*):

Omnigenumque Deum monſtra, & latrator Anubis,

hoc modo: *Hunc volunt eſſe Mercurium: ideo capite canino pingitur, quia nihil eſt cane ſagacius*. Sed Diodorus (*k*) hanc caninae formae cauſſam profert: quod cuſtos corporis Oſiridis, & Iſidis canis fuerit, aut quod Iſidem ſequutus, cum haec Oſiridem virum ſuum quaeritaret, latratu ubi ille ageret indicarit. Id etiam apud Euſebium Caeſarienſem (*l*) legitur. Quo factum eſt, ut ante pompas Iſiacas edocti canes irent. Illam quoque ab eodem Diodoro (*m*) traditam fuiſſe cauſſam video; quod Anubis canina pelle indutus, aut inſigne, in quo forma canis erat, praeſeferens in bello Oſiridem ſequutus ſit. Hunc portentoſum Deum, quaecumque taliter illius fingendi cauſſa fuerit, Iuvenalis (*n*) per iocum irridet, acriuſque carpit Sedulius Poëta Chriſtianus (*o*); etenim Romam quoque tam demens ſuperſtitio pervagavit, Lucano teſte (*p*), qui ait:

Nos in templa tuam Romana accepimus Iſin,
Semideoſque canes, & ſiſtra iubentia luctum.

(*a*) *De praeſt., & uſu numiſm.* Diſſertat. 4. Tom. I. pag. 307.
(*b*) *De Iſid., & Oſir.* Tom II. pag. 371.
(*c*) *De urbe Roma* lib. I. cap. 22.
(*d*) Tom. III. pag. 306.
(*e*) Cap. 10.
(*f*) *De Iſid., & Oſir.* Tom. II. pag. 366.
(*g*) Tab. 13. num. 54.
(*h*) *Metamorph.* lib. XI. pag. 373.
(*i*) *Aeneid.* lib. VIII. verſ. 698.
(*k*) Lib. I. cap. 87.
(*l*) *Praeparat. Evangel.* lib. II. cap. I. pag. 49.
(*m*) Lib. I. cap. 18.
(*n*) Satyr. 15. verſ. 8.
(*o*) *Carm. Paſchal.* lib. I. verſ. 229.
(*p*) *Pharſal.* lib. VIII. verſ. 831.

In Aegypto hominum animos ea ſuperſtitio ſic infecit, ut maximi luctus, quemadmodum Herodotus, & Diodorus tradunt, ſignificandi cauſſa herus domi, in qua canis mortuus fuerat, totum corpus abraderet; gratiaque adhibendi cultum cum Anubi, tum ceteris canibus urbs Cynopolis conſtituta ſit, de qua ſic Strabo (*a*): Ἑξῆς δ᾽ ἐστὶν ὁ Κυνοπολίτης νόμος καὶ κυνῶν πόλις, ἐν ᾗ ὁ Ἄνουβις τιμᾶται, καὶ τοῖς κυσὶ τιμὴ καὶ σίτησις τέτακταί τις ἱερά. *Inde ſequitur Praefectura Cynopolitana, quae urbs eſt canum, in qua Anubis honoratur, & canibus certus cultus adhibetur, & ſacer cibus apponitur.*

Praeterea Anubis ne dum palmam, quam illi, fortaſſe quod magna in Aegypto palmarum copia eſſet, Apuleius quoque tribuit, ſed etiam ſitulam, quae in aliis pleriſque Aegyptiis monumentis conſpicitur, ſiniſtra tenet. Nam Aegyptii aquam omnium dixerunt eſſe initium rerum; quam deinde ſententiam, ut proditum ab Ariſtotele (*b*), a Plutarcho (*c*), atque a S. Iuſtino fuit (*d*), magna animi contentione Thales Mileſius docuit. Quamobrem religioſe quidem eiuſmodi ſitulae, ſive hydriae aqua plenae in ſacrificiis, feſtiſque Iſidis, & Oſiridis deferebantur: uti apud ſaepe laudatum Apuleium (*e*), atque Vitruvium (*f*) legitur: *Ex eo etiam*, inquit Vitruvius, *qui ſacerdotia gerunt moribus Aegyptiorum, oſtendunt omnes res e liquoris poteſtate conſiſtere. Itaque cum hydriam tegunt, quae ad templum, aedemque caſta religione refertur, tunc in terra procumbentes, manibus ad caelum ſublatis, inventionibus gratias agunt divinae benignitatis.* Similia Plutarchus habet (*g*).

Num 3. vaſculum, diſcus, & dolabra occurrunt, quibus ſane inſtrumentis opus erat ad ſacrificium Iſidi faciendum, & forte uſus ille fuit, qui votivam hanc aram eidem Numini dedicavit. Hunc veterum fuiſſe morem, ut non inſtrumenta modo, ſed etiam ipſarum victimarum capita in aris, aliiſque marmoreis anathematibus inſculpi quandoque curarent, eiuſmodi monumenta intuentibus eſſe cognitum, ſatiſque exploratum poteſt. Nos vaſculum aere inciſum exhibemus, quale nunc inſtauratum comparet. Sed fractum, uti repertum fuit, ab Oliva (*h*) repraeſentatur, aliquantulum quidem diſſimili forma, ut calix, aut minime anſatus cyathus videatur. Poculum eſſe Alexandrinum ea praeſertim ratione oſtendi poſſe laudatus Oliva putat, quod poculorum Alexandrinorum forma a R. Maimonide (*i*) deſcripta, & in nonnullis nummis Samaritanis apud Relandum (*k*) expreſſa prope ad eiuſdem poculi ſimilitudinem accedat. Verum inde colligi id planius poſſe arbitror; quod poculis, ſeu vaſculis Alexandrinis Aegyptii in ſacris faciendis uterentur. Intelligo autem ex vitraria quadam terra, quae in Aegypto fodiebatur (*l*), ea vaſcula perfecta fuiſſe: quare facili negotio in iiſdem arbores, varioſque ornatus formari conſueviſſe; cumque Alexandriae imprimis fingerentur, Alexandrina appellata fuiſſe. In noſtro quoque vaſculo aliquod ornatus indicium

(*a*) Strab. *Geograph.* lib. XVII. pag. 1166. edit. Almeloveen. an. 1707.
(*b*) *Metaph.* lib. I. cap. 3.
(*c*) *De placit. Philoſoph.* lib. I. cap. 3.
(*d*) *Cohort. ad Graec.* §. 3.
(*e*) *Metamorph.* lib. XI. pag. 373.
(*f*) *In praefat.* ad lib. VIII.
(*g*) *De Iſid., & Oſir.* ibi pag. 365.
(*h*) Cap. 3.
(*i*) Tract. *de Sanctuar.* cap. 3.
(*k*) *De numm. Samarit.* in Theſaur. Ugolini Tom. XXVIII. Tab. I. pag. 1281.
(*l*) Strab. *Geograph.* lib. XVI. pag. 1099.

dicium cernitur; ſed quis ornatus fuerit, vaſculo inſtaurato, percipi non poteſt. Gallienus in epiſtola ad Venuſtum apud Trebellium (*a*) *calices Aegyptios*, *operiſque diverſi* decem a ſe dono Claudio datos fuiſſe ſcribit; & Hadrianus in epiſtola ad Servianum, quam a Phlegonte liberto Hadriani acceptam vulgavit Vopiſcus (*b*), ait ſibi in Aegypto agenti a ſacerdote cuiuſdam templi, nonnullos huiuſmodi calices, quibus in menſa diebus ſacratioribus uteretur, donatos fuiſſe. Mitto de variis, interque ſe diſcrepantibus huius generis vaſculis, deque ratione eorumdem in ſacris faciendis adhibendorum dicere; quod de iis Iohannes Saubertus (*c*), aliique, qui de Ethnicorum ſacrificiis ſcripſerunt, copioſe egerint, noſque ipſi hoc in opere interdum loquuti ſimus.

Diſcus, quem vaſculo proximum vides, lanx quaedam erat ad exta excipienda victimarum. S. Iſidorus Hiſpalenſis (*d*), *Diſcus*, inquit, *antea iſcus vocabatur a ſpecie ſcuti, unde & ſcutella poſtea diſcus vocatus, quod det eſcas, ideſt apponat*. Dolabra autem latus culter, quo victimae, malleo percuſſae, iugulataeque, glubebantur, a dolando dicta, quod illa carnium partes aequarentur, translato vocabulo ex dolabra fabrorum lignariorum, ut animadverſum a Stuchio fuit (*e*). Sed alia apud Graecos huius nominis etymologia eſt. Nam δορίς a verbo Graeco δέρω ducitur, quod glubere, ſeu decorticare ſignificat, inque coquinariis inſtrumentis δορίδας αἷς ἔδερον *doridas*, *ſeu cultros ad glubendum* Pollux numerat (*f*). Verum etiam menſam, in qua poſita animantia a coquis decorticabantur, doridam appellatam fuiſſe idem eſt auctor Pollux, & Euſtathius. Atque hic quidem ita habet (*g*): ἐντεῦθεν δὲ δορίδες κατὰ Αἴλιον Διονύσιον μαγειρικαὶ τράπεζαι: *Inde & dorides ſecundum Aelium Dionyſium coquinariae menſae*. Sed ab Eſychio δορίς σκεῦος μαγειρικόν (*h*) *inſtrumentum coquinarium* quodcumque generatim dicitur, non autem culter, ut Stuchius (*i*) interpretatur. In ſummitate huius quoque lateris capita conſpiciuntur recens perfecta duo; ſed globuli primum ibidem duo cornutas totidem Lunulas, ut videre eſt apud Olivam, exhibebant, iiſque, ut ſupra diximus, Iſis indicabatur.

Poſtremo in latere *num.* 4. repraeſentatur Harpocrates loto flore capite ornato, ſiniſtro brachio cornucopiae ſuſtinens, indiceque digito ad os admoto ſilentium imperans, vel ut Iſidis, atque Oſiridis, quibuſcum ipſe colebatur Deus, myſteria religioſe occulerentur, ut nonnulli Scriptores putant, vel ne quiſquam, ut aliis placet, mortales illos fuiſſe efferre auderet.

In Numinibus Aegyptiis Harpocrates quoque numerabatur, magnumque in Iſiacis pompis locum obtinebat, ut ex Ovidii teſtimonio perſpicuum eſt, quod habet hoc modo (*k*):

. . . . . . cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubaſtis, variiſque coloribus Apis,
Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet.

(*a*) In Vita Claud. inter Scriptor. Hiſt. Aug. pag. 208. edit. Pariſien. an. 1620.
(*b*) Ibi pag. 243. in Vita Saturnini. Vid. not. Salmaſ. ad hunc loc.
(*c*) *De ſacrific.* cap. 17.
(*d*) *Orig.* lib. xx. cap. 4.
(*e*) *De ſacrific. Gentil.* pag. 166.
(*f*) *Onomaſt.* lib. vi. cap. 13. ſegm. 89.
(*g*) Ad lib. I. *Iliad.* v. 381. p. 243. edit. Rom.
(*h*) V. δορίς.
(*i*) Ibi pag. 180.
(*k*) *Metamorph.* lib. ix. verſ. 689.

Itaque teſte locuplete S. Auguſtino, *fere in omnibus templis, ubi colebatur Iſis, & Serapis, erat ſimulacrum, quod digito labiis impreſſo admonere videretur, ut ſilentium fieret* (*a*). Praeterea Harpocratem ita coniunctum Iſidi, ſociali veluti foedere, Ethnici putabant, ut gratiſſimum Iſidi cultum ſe adhibere crederent, ubi illi ſigna Harpocratis, voti cauſſa, dedicarent; quod ex hac inſcriptione:

ISIDI
SIGNVM HARPOCRATIS
C. DIVIVS ACVTIANVS
DON. DED

colligere quiſque poteſt.

Figura puerili Harpocrates, omni corporis parte nuda, ſiniſtro brachio nedum cornucopiae, ut diximus, ſed etiam neſcio quem pannum ad imos fere pedes profluentem ſuſtinet. Tali modo in innumeris paene aliis, iiſque priſcis monumentis hoc Numen exprimitur, quorum multa Cuperus aere inciſa vulgavit, deque eodem Aegyptio Numine ita docte, diligenter, copioſeque ſcripſit, ut quidquam novi ſcribi vix poſſe videatur. Itaque de loto ſolum flore, quo noſtri Harpocratis caput ornatur, deque folio, quod e fructibus in cornucopiae ſervatis eminet, hoc loco pauca dicam: ut florem tamquam in ſua ſede ab arae reſtitutore collocatum fuiſſe; folium vero, etſi indiligenter expreſſum, folii perſeae formam oſtendere, animadvertas.

Perſea περσία, & περσέη Aegypti propria, peculiariſque arbor, ut Theophraſtus (*b*), Dioſcorides (*c*), Plutarchus (*d*), & Athenaeus (*e*) tradunt, a Perſica plane differt. Hanc ex Perſide, unde advecta, mirifice iam propagata in Europa, ac praeſertim in Italia fuit, Perſicam appellatam fuiſſe Galenus (*f*), Columella (*g*), & Plinius (*h*) dicunt; ſed is, quem poſtremo loco nominavi, auctor quandoque Perſeam Aegyptiam a Perſica non diſtinguit. Igitur cum Harpocrati imprimis conſecrata Perſea eſſet (*i*), propterea quod ad linguae ſimilitudinem eius folia, Plutarcho teſte (*k*), quamproxime accederent; eiuſdem folium appoſite in ſuprema cornucopiae parte inſculptum fuit. Lotum etiam florem, nedum appoſite recens additum, ſed & olim affixum, ut Oliva quoque cenſet (*l*), capiti Harpocratis fuiſſe, cavatum ibidem foramen plane declarat. Iam vero nemini dubium eſt, eum lilio ſimilem, immo ipſum Aegyptiacum lilium eſſe, ut Herodotus (*m*), Theophraſtus (*n*), & Dioſcorides (*o*) illuſtres hiſtoriae plantarum Scriptores docent: & eo ornari conſueviſſe capita ſimulacrorum cum Harpocratis, tum ceterorum Numinum Aegyptiorum.

In nummo Hadriani apud Spanhemium (*p*) loto inſidens Harpocrates cernitur. Nam veteres ἐπὶ λωτῷ καθίζεσθαι, inquit Iamblicus (*q*), *ſuper lotum ſede-*

(*a*) *De Civ. Dei* lib. xviii. cap. 5.
(*b*) *Hiſtor. plantar.* lib. iii. cap. v., & lib. iv. cap. 2. Vid. Iohan. Brodaeum ad hunc locum.
(*c*) Lib. I. cap. 187.
(*d*) *De Iſid., & Oſir.* pag. 378.
(*e*) *Deipnoſoph.* lib. v. pag. 198.
(*f*) *De aliment. facult.* lib. II. cap. 19.
(*g*) Lib. x. pag. 355.
(*h*) Lib. xv. cap. 11.
(*i*) Vid. Cuper. *Harpocrates* in Theſ. Poleni Tom. II. pag. 418. & 516.
(*k*) *De Iſid. &c.* ibi pag. 378.
(*l*) Cap. 12.
(*m*) Lib. II. cap. 92.
(*n*) *Hiſt. plant.* lib. iv. cap. 10.
(*o*) Lib. iv. cap. 114.
(*p*) *De praeſt., & uſu numiſm.* Diſſert. vi. p. 302.
(*q*) *De myſter.* ſect. 7. pag. 151.

ſedere Harpocratem aiebant, ut illius eminentiam, ac poteſtatem, intellectuſque vim, qua omnibus praeſtabat, huiuſmodi ſymbolo demonſtrarent. Praeterea cum flores, ac praeſertim fructus loti circulares eſſent, ſimileſque papaverum fructibus; iis forte exiſtimabant repraeſentari orbem univerſum poſſe. Denique cum Aegyptii floribus loti mirifice oblectarentur, coronas ex iis componere, hiſque coronari eorum Reges, atque Reginae, ut in nonnullis nummis conſpicimus, conſueſcebant. Quo factum eſt, ut huiuſmodi coronae a Theocrito (*a*), ab Athenaeo (*b*), atque ab aliis veteribus Poëtis, Scriptoribuſque paſſim celebrentur.

His de noſtrae arae anaglyphis diſputatis, illud a me fortaſſe petent Lectores, ut pauca ſaltem de tempore addam, quo Iſidis, aliorumque Numinum Aegyptiorum myſteria colere, illiſque templa dedicare Romani coeperint. Sed ex veteribus Scriptoribus illud tantum conſtat, Romae nonnullas varietates, viciſſitudineſque cultum Iſidis eſſe paſſum, cum Senatus, Caeſarumque decreto cautum quandoque fuerit, ne ullibi Iſidis myſteria, quod plena impudicitiae eſſent, celebrarentur. Quare *vix*, *aegreque a Romanis admiſſum* fuiſſe Iſidis cultum Macrobius (*c*.) ſcripſit. Ac vetita illa quidem fuerunt Cn. Domitio Calvino, & M. Valerio Meſſala Coſs., ideſt anno U. C. 701., ut Dio (*d*); & L. Aemilio Paullo Conſule, ut Valerius Maximus (*e*) teſtatur. Hunc Aemilium illum Paullum credimus, qui anno U. C. 703., non autem, ut Cantelius putat, qui anno 534. Conſulatum geſſit. Nam iam inde ab an. 534. Iſiacae ſuperſtitioni Romanos deditos fuiſſe ex nullo colligi veterum auctorum teſtimonio poteſt. Sed etiam Conſulibus Iulio Caeſare ſecundum, & P. Servilio Vatia Iſaurico ann. U. C. 705. flagitante collegio Haruſpicum, iterum Iſidis fana deſtructa fuiſſe ſupra laudatus Dio (*f*) narrat. Neque vero mirandum eſt adeo brevi annorum ſpatio eamdem fuiſſe promulgatam legem. Namque adeo dediti eiuſmodi ſuperſtitioni, praeſtigiiſque, teſte Valerio Maximo (*g*), Romani erant, ut ipſe *L. Aemilius Paullus Conſul*, *cum Senatus Iſidis*, *& Serapidis fana diruenda cenſuiſſet*, *eaque nemo opificum attingere auderet*, *poſita praetexta ſecurim arripuerit*, *templique eius foribus inflixerit*.

At enim Tertullianus (*h*), atque Arnobius (*i*) ab an. U.C. *696*. Piſone, & Gabinio Coſs. eas leges repetunt. Mirum ſane eiuſmodi ſtudio Piſonem flagraſſe, quem M. T. Cicero ſceleris, atque impietatis accuſat, quod cum Conſul eſſet, aequo animo tulerat, ut reſtituta a Clodio collegia conſiſterent, quae ante annos paucos Senatus, ne improbi, ſeditioſique cives in iis noctu conciones contra Rempublicam conflarent, diruenda decreverat. Quod ſi Gabinia quaedam lex, qua ſancitum fuerat, *ut qui conciones clandeſtinas in Urbe conflaviſſet*, *more maiorum capitali ſupplicio mulctaretur*, a Porcio Latrone in declamatione in Catilinam laudatur, eadem Iſidis cultum improbari non conſtat. Ac Porcium quidem Gabiniam aliam legem laudaſſe cre-

(*a*) Idyl. 18. verſ. 43.
(*b*) *Deipnoſoph.* lib. xv. cap. *6*. pag. *667*.
(*c*) *Saturnal.* lib. I. cap. 7.
(*d*) Lib. xl. cap. 47. pag. 252.
(*e*) Lib. I. cap. 3.
(*f*) Lib. xlii. cap. *26*. pag. 321.
(*g*) Loc. cit.
(*h*) *In Apolog.* cap. *6*.
(*i*) *Adv. gent.* lib. II. cap. 52. pag. *97*.

crediderim, eius fortaſſe Gabinii, qui an. U. C. 604. Tribunus Pleb. fuit. Perruptae namque illius legis Gabiniae accuſari a Porcio Piſo non poterat, quae annos quinque poſt conſtitutam in eum ſceleris poenam lata fuerat an. U. C. 690. M. T. Cicerone, & C. Antonio Coſs. Verum haec coniiciendo ſcribimus; contra vero urget nos Tertulliani, Arnobiique auctoritas, qui niſi quod maxime clarum, atque teſtatum fuiſſet, Romanis ſuorum temporum non exprobraſſent. Et eo ſane tempore Iſiaca ſuperſtitio maiorem in modum Romae vigebat; propterea quod ab Auguſto, qui, Aegypto in provinciae formam redacta, νεὼν τῷ τε Σαράπιδι καὶ τῇ Ἴσιδι *templum Serapidi, & Iſidi*, ut Dio (*a*) habet, decreverat, probari videretur. Quamobrem Propertius (*b*), atque Lucanus (*c*) ſic de Iſidis cultu ſcribunt, ut paullo ante, ſin minus primo in Urbem invectum, vulgatum quidem in ea, ac propagatum fuiſſe oſtendant. Attamen ne ullum Iſidi intra Urbem templum dedicaretur, Auguſtus (*d*) cavit; Agrippa vero, ne propius quidem Urbem, quam m. paſſuum ſpatio, offerri eidem ſacrificia fas cuiquam eſſet (*e*). Itaque nona in regione primum extra muros, deinde Aureliano Imp. eorum ambitu producto, intra muros Iſium fuit. Sed deinceps haec ſuperſtitio quamcelerrime, Principum imprimis auctoritate, animos infecit Romanorum. Nam etſi Tiberius externas (*f*) caeremonias, Aegyptioſque ritus ita compeſcere conatus ſit, ut non aedem Iſidis modo deſtructam, eiuſque ſimulacrum in Tyberim proiectum, ſed etiam plexos ſacerdotes fuiſſe conſtet, quorum dolis malis Decius Mundus ſpeciem Anubidis praebens Paullinam Saturnini uxorem illa in aede conſtuprarat (*g*); tamen & ipſe Otho deinde ſacra Iſidis ſaepe *in lintea, religioſaque veſte propalam* celebravit (*h*); & incenſa paullo ante (*i*) Titi iuſſu Iſidis templa Domitianus (*k*) reſtituit: & Hadrianus, & Commodus, & Caracalla Iſiacis praeſtigiis mirum in modum dediti: & Alexander Severus, ut ſupra diximus, multis ornamentis Iſium, Serapiumque decoravit. Quinetiam ipſis in Tabulis publicis feſti Iſidis deſcripti dies: ut ex Calendario Ruſtico Farneſiano a Fulvio Urſino in lucem edito (*l*), multiſque adnotationibus illuſtrato liquet. Nam in eo ad Aprilem menſem haec leguntur: *ſacrum Phariae, item Serapia*. Itaque Ethnici iure, ac merito reprehenſi, huius inconſtantiae cauſſa, a Tertulliano (*m*) fuerunt. *Serapidem*, inquit, *& Iſidem, & Harpocratem cum ſuo Cynocephalo, Capitolio prohibitos inferri, ideſt curia Deorum pulſos, Piſo, & Gabinius Coſſ., non utique Chriſtiani, everſis etiam aris eorum, abdicaverunt, turpium, & otioſarum ſuperſtitionum vitia cohibentes. His vos reſtitutis ſummam maieſtatem contuliſtis.*

(*a*) Lib. XLVII. cap. 15. pag. 501.
(*b*) Lib. III. eleg. 9. v. 41.
(*c*) *Pharſal*, lib. VIII. verſ. 831.
(*d*) Dio lib. LIII. cap. 2. pag. 697.
(*e*) Id. lib. LIV. cap. 6. pag. 735.
(*f*) Svet. in Vita Tiber. cap. 36.
(*g*) Ioſeph Hebr. *Antiq.* lib. XVIII. cap. 3. §. 4. Egeſippus *de bello Iud.* lib. II. cap. 4.
(*h*) Svet. in Vita Othon. cap. 12.
(*i*) Vid. Xiphilin. in Vita Titi pag. 227.,
(*k*) Eutrop. lib. VII. c. 15., itemque Caſſiodor. in Chron. num. 9. pag. 387.
(*l*) Adi Theſaur. Graevii Tom. VIII. pag. 21.
(*m*) *Apolog.* cap. 6.

EXPLI-



EXPLICATIO
TABUL. XI. ET XII.

TOtius Arcus Portugallienſis (*a*), quod magna illius pars deſtructa, reliqua vero paene ruinoſa eſſet, an. 1662. Alexandro VII. Pontifice Maximo, viae Flaminiae, quam *Curſum* dicimus, dirigendae cauſſa, demolitione facta, anaglypha inde, quibus exornabatur, duo translata in Capitolium fuerunt. Quare de eiuſdem arcus antiquitate (*b*), conſtructioneque principio dicendum eſt; ut de ſimulacris horum anaglyphorum clare, diſtincteque proponamus. Etſi illius ne rudera quidem noſtra hac aetate ſuperſunt; complures tamen, iique aequales temporum, quibus arcus exſtabat, ſcriptores praeſto ſunt, quorum nonnulli ea, quae ſuis ipſi oculis in eodem conſpexerunt, memoriae prodiderunt poſterorum. Haud longe ab aede S. Laurentii in Lucina is arcus aberat. Aedificatum autem fuiſſe, ut tramitem praeberet inter utrinque conſtructas ex adverſo domos, & ex veteribus quidem fragmentis incogniti aedificii ornatum cenſuere Octavius Falconerius, Marcellus Severolius, & Iohan. Petrus Bellorius (*c*), uti Montfauconius (*d*) teſtimonio ductus

(*a*) Is arcus ita nominatus videtur, quia in aedibus, quibus erat proximus, diu egit Michael de Sylva Epiſcopus Viſenſium, quem Paullus III. in S. R. E. Cardinalium Collegium an. 1541. cooptavit, Regis Portugalliae ad Pontificem Legatus. Iis aedibus Cardinales Tit. S. Laurentii in Lucina tunc potiebantur, nunc vero Ottobonii Fiani Duces. Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita S. Hadriani num. 94. hunc arcum primus omnium memorat *Tres Falciolis* eum appellans, ſeu, ut alii legunt, *Saccidas*, *Facciclas*, aut *Faccicelas*; & ſic barbaris quidem ſaeculis vulgo dictus videtur, quod totidem in illius anaglyphis facies conſpicerentur. Deinceps vero *di Tripoli*, *Trifali*, & *Trofoli* cognominatus invenitur: quod nonnulla trophaea, teſte Flaminio Vacca, inſculpta in eo eſſent.

(*b*) Bernardus Gamuccius in opere inſcripto: *Le Antichità della città di Roma*, editoque Venetiis an. 1569. aere inciſum, quomodo tunc temporis exſtabat, exemplar huius arcus vulgavit.

(*c*) Legeſis Bellorii opus inſcriptum: *Veteres Arcus Auguſtorum triumphis inſignes* Tab. XLVIII. edit. Rom. 1690. apud Ioh. Iacob. de Rubeis; quo loco aere inciſum huius arcus exemplar exſtat, auctorque eam ſane opinionem, ut veram defendit.

(*d*) *Antiq. expliq. Supplem.* Tom. IV. cap. 2. num. 1. & ſeq.

ductus Equitis Alexandri Maffei narrat; & idcirco Alexandrum VII. Pont. Max. iis aſſenſum facile iuſſiſſe, ut deſtrueretur, ne amplitudo, & perpetua proportio Flaminiae viae, qua ingreſſus in urbem patet, impediretur; indeque quidquid antiquum inſculptumque eſſet alio transferretur. At non video, quomodo memoriae ſit proditum, in ea Severolium fuiſſe opinione verſatum, a quo peculiaris, docta ſane ac laborioſa, exarata fuit Diſſertatio contra pugnans, quae edita eſt a Sociis Academiae Cortonenſis (*a*). Itaque Severolius, aliique complures antiquitatum inveſtigatores, totum eum arcum fuiſſe antiquum, & inter arcus triumphales Romanos adnumerandum putant, etſi inter ſe diſſident, cuinam Imperatori a Senatu, Populoque R. decretus fuerit.

Intelligo autem Pyrrhi Ligorii ſingularem hac de re eſſe ſententiam. Nam a Claudio huiuſmodi arcum, veluti caſtellum ad recipiendam aquam Virginem exaedificatum fuiſſe docet, inque fornice veſtigia aquaeductus, quem Cardinalis Gonzaga deſtruendum curaverat, ſe vidiſſe teſtatur. Itaque inſculptis in eo ſimulacris ſacrificium a Claudio Imperatore factum Victoriae, Famae, & Fonti deſignatum fuiſſe. At falſum Ligorius ſentit. Nam totus ab eo diverſus aquae Virginis curſus fuit. Frontinus enim in primo de Romae aquaeductibus libro ait (*b*): *Arcus Virginis initium habent ſub hortis Lucullianis, finiuntur in Campo Martio ſecundum frontem Septorum.* Iam vero hortos Lucullianos pone fontem Trivium, & cloacam, ut aiunt, *del Bufalo*, ac non longe ab aede S. Andreae vulgo *delle Fratte*, monaſterioque Monialium S. Ioſephi ſitos fuiſſe Nardinius ſcribit (*c*), ibique primum aquae Virginis arcum, reliquos a fonte Trivio per plateam, quam dicunt *di Sciarra* in campum Martium, & thermas Agrippae ſecus frontem templi Ignatiani, poſtremumque arcum coenobio Minervae proximum. Id ex arcuato aquaeductu ſub ſolo eius templi, cum fundamenta egerentur, invento colligitur; quem aquaeductum Alexander Donatus auctor eſt (*d*) cruſtis marmoreis opertum fuiſſe, & ſtriatis columnis opere Corinthio ornatum, corona item marmorea, impoſitiſque fortaſſe ſtatuis ſuper columnis. Horum ſimilia de aquae Virginis ductu Plinius tradit (*e*). Canalis quoque amplitudo, nam latus erat palmos quatuor, altus ſeptem, maiorem aquae Virginis copiam per eum effluxiſſe oſtendit. Contra vero diameter canalis, quo ad templum Matidiae quaedam eiuſdem aquae portio ducebatur, ſemipalmaris erat, qualis inventus eſt, teſte eodem Donato (*f*), prope Pantheon cum hac inſcriptione: IN TEMPLO MATIDIAE. Praeterea arcuum aquae Virginis a Claudio reſtitutorum ſitus, cum longe ab arcu Portugallienſi diſtaret, non imbecillam modo, ſed etiam falſam Ligorii fuiſſe aſſenſionem demonſtrant. Sub Pincium namque montem eodem fere loco, quo nunc eſt fons Trivius, illorum ſitus erat, idque ex ruderibus, quae in domo hortuloque Angeli Colotii, nunc Marchionis *del Bufalo*, exſtabant, compertum eſt, ibique etiamnum exſtat inſcriptio de iis a fundamentis a Claudio reſtitutis, quam legere apud Fulvium (*g*), Lucium Faunium (*h*), Marlia-

(*a*) *Saggi di Diſſertazioni dell' Accademia di Cortona* Tom. I. pag. 109.

(*b*) In Theſ. Graevii Tom IV. pag. 1644.

(*c*) *Roma antica* lib. IV. cap. 9.

(*d*) *De urb. Rom.* lib. III. cap. 18 In Theſ. Graev. Tom. III. pag. 763.

(*e*) Lib. XXXVI. cap. 15.

(*f*) Loc. cit.

(*g*) *Antichità di Roma* pag. 105.

(*h*) *Antichità di Roma* lib. IV. cap. 16.

Marlianium (*a*), Nardinium (*b*), alioſque complures cuique licet. Haec ex Iconographia Campi Martii apud laudatum Donatum (*c*) aere inciſa colligi quoque poſſunt. Neque vero quae de inſpectis a ſe in fornice veſtigiis eius aquaeductus Ligorius habet, vim ullam obtinent. Nam ſaepe is auctor cum in vetera monumenta inquireret, lapſus eſt; eumque ne genus quidem lapidum, ex quibus exſtructus arcus Portugallienſis fuerat, noviſſe laudatus Severolius adfirmat. Itaque eiuſmodi opinionem vigilans ſomniavit Ligorius. Quid? Nonne inſculpta in mutulo, qua vergebat in Flaminiam portam, imago Honoris; nonne operis hiſtorialis, & imaginiferorum in manibus trophaea geſtantium fragmenta, temporibus Flaminii Vaccae (*d*) in eodem arcu inventa; nonne ex eo translatae Victoriae alatae duae, quibus oſtium nunc aulae, qua aditus ad Muſeum Capitolinum patet, exornatur, quaeque palmam una manu retinent, altera Clementis Pont. Max. huius nominis XII. inſignia ſuſtinent; nonne, inquam, haec omnia declarant arcum Portugallienſem non fuiſſe partem aquaeductus, ſed verum triumphalem arcum? Itaque hoc conſtituto, dubitandi locus ſolummodo ſupereſt, cuinam Principi hunc arcum S. P. Q. R. dedicaverit.

Iamvero dedicatum fuiſſe Druſo victis ab eo Germanis Alexander Donatus (*e*) cenſuit, Iohannis Marcanovae, cuius manuſcriptum opus in Bibliotheca Collegii Romani ſervabatur, auctoritate permotus; idque ex Svetonio colligi poſſe ſcripſit, qui de Druſo haec habet: *Hoſtem etiam frequenter caeſum, ac penitus in intimas ſolitudines actum non prius deſtitit inſequi, quam ſpecies barbarae mulieris humana amplior victorem tendere ultra Latino ſermone prohibuiſſet.* Nam huiuſmodi oſtentum iis ſimulacris, quae aere inciſa exhibentur Tab. XII. exprimi Donatus iudicavit. Verum ſi res ita ſe haberet, Druſus effictus eſſet armatus, & mulieris in aëra ſublatae amictus, ut Nardinius animadvertit (*f*), barbarus videretur. Praeterea in prima Capenae portae regione arcum Druſi Sextus Rufus, & P. Victor (*g*) collocant. Quae ratio cum Donatum urgeret, is auctor ſe inveniſſe quomodo reprehenſionem effugeret, arbitratus eſt, ſi arcus duos diceret in honorem Druſi exaedificatos fuiſſe, unum, poſtquam deceſſit, Senatuſconſulto in prima regione, alterum Claudii eius filii iuſſu, qui poſt Caium imperium tenuit. Miſerum ſane effugium & inane. Praeterea barbata in his anaglyphis ſimulacra ſunt, & hoc quoque argumento eſt, facta poſt Druſum fuiſſe. Nam, ut Xiphilinus (*h*) tradit, Hadrianus alere barbam primus coepit.

Antonii quoque Auguſtini (*i*), & Fulvii Urſini (*k*) graviſſimis implicata difficultatibus opinio eſt: Claudio dicatum fuiſſe Portugallienſem arcum. Nam huius Imperatoris arcus, ut Ferruccius in adnotationibus in Fulvium (*l*) animadvertit, exſtabat in platea, quae nunc dicitur *di Sciarra*, eodem loco, quo

(*a*) *Urbis Romae Topographia* lib. v. cap. 5. In Theſ. Graevii Tom. III. pag. 170.
(*b*) *Roma antica* lib. IV. cap. 9.
(*c*) *De urbe Roma* lib. III. cap. 17., in Theſ. cit. Tom. III. pag. 756.
(*d*) Vid. *Diar.* num. 11.
(*e*) *De urbe Roma* lib. III. cap. 16.
(*f*) *Roma antica* lib. VI. cap. 9.
(*g*) Vid. Theſ. Graev. Tom. III. pag. 27. & 37.
(*h*) In vit. Traiani pag. 248.
(*i*) Dialog. IV. pag. m. 128.
(*k*) Cap. 6. lib. v. In Theſ. Graevii Tom. III. pag. 171.
(*l*) Lib. IV. cap. 8.

quo Principis Carboneani nunc aedes; & id hiſce monumentis comprobatur. Inventum hic eſt (*a*) anno 1641. teſſellatum pavimentum, & nonnullae fractae columnae ex Africano marmore, truncum quoque ſimulacri cuiuſdam mancipii; praeterea numiſma aureum ipſius Claudii cum hac epigraphe: TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. VIII. IMP. XVI., inque eius poſtica arcus idem, ſtatua equeſtris Claudii, trophaea, & inſcriptio: DE BRITANNIS; denique ingens fragmentum marmoreum cum parte inſcriptionis a Senatu ob victoriam Britannicam Claudio poſitae. Haec inſcriptio, ſuffectis, quae deeſſe videbantur, diligenter a Gaugeſio Gozzio vocibus, legitur apud Donatum, Nardinium (*b*), Severolium, alioſque, & in fine libri, quo aedes deſcribuntur Barbarinorum, apud quos huiuſmodi monumentum exſtat. Accedit ad haec quod noſtri anaglyphi figurae barbatae ſunt, & praeſertim omnium princeps in ſuggeſtu conſiſtens. Barbatum autem Claudium fuiſſe neque legimus, neque in aliquo ex multis veteribus monumentis conſpicimus.

Tertia eaque vulgatior opinio eſt, Portugallienſem unum fuiſſe ex multis in honorem Domitiani Imperatoris in omnibus fere regionibus urbis exſtructis arcubus. Horum ſic auctum numerum Svetonius (*c*) tradit, ut ſatyrice ἀρκεῖ *ſat eſt* cuidam arcui inſcriptum fuerit: *Ianos*, inquit, *arcuſque cum quadrigis*, *& inſignibus triumphorum per regiones urbis tantos*, *ac tot exſtruxit*, *ut cuidam graece inſcriptum arcui ſit* ἀρκεῖ. Huius inventor opinionis Blondus (*d*) videtur in ſecundo Romae inſtauratae libro; quo loco poſtquam exſtare ſub aede Cardinalis tituli S. Laurentii in Lucina veſtigia, magnoſque fornices aedificiorum, qualiacumque haec ſint, a Domitiano exſtructorum ſcripſit, haec habet: *Nec dubitamus*, *quin triumphalis ex marmore arcus ille*, *qui nunc pene integer cernitur*, *Triphali dictus*, *eccleſias inter SS. Silveſtri*, *& Laurentii in Lucina*, *viam amplexus Flaminiam*, *Domitiani fuerit honori poſitus*; *in quo ipſum cernere eſt*, *qualis a Svetonio deſcribitur*, *ſtatura procerum*, *ſed tunc ſedentem*, *dormientemque*, *& Minervam*, *quam ſuperſtitioſe colebat*, *ſomniantem excedere e ſacrario*, *negantemque ſe ultra eum tueri poſſe*, *quod exarmata eſſet a Iove*. Blondo aſſenſi ſunt (*e*) Franciſcus Albertinius (*f*), Marlianus, Georgius Fabricius (*g*), Laurus (*h*), aliique, in quibus numerari Gamuccius (*i*) quoque poſſe videtur. Hi omnes oſtento, quod dormienti Domitiano, ut narrat etiam Xiphilinus, oblatus eſt, certiſſimo veluti argumento ſuam opinionem niti contendunt. Nam in Tab.XII. oſtentum eiuſmodi repraeſentatum vident; cumque barbata ſimulacra ſint, barbatum quoque Domitianum exhiberi in numiſmate apud Angelonium aiunt. Sed cum his pugnant, quae Svetonius de aboletis decreto Senatus omnibus monumentis, omnique Domitiani memoria ſcribit (*k*): *Scalas etiam inferri*, ait, *clypeoſque*, *& imagines eius coram detrahi*, *& ibidem ſolo affligi iuberet*, *noviſſime eradendos ubique titulos*, *abolendamque omnem memoriam decerneret*.

Et

(*a*) Adnot. Donat. lib.III. cap.16., in Theſ. Graev. Tom. III. pag.752.
(*b*) *Roma antica* lib. VI. cap.9.
(*c*) In vita Domitiani cap. 13.
(*d*) *Roma reſtaurata* lib. II. pag. 28.
(*e*) *De mirab. nov. & vet. urb. Rom.* lib.II. c.8.
(*f*) *Urbis Romae Topographia* lib. V. cap. 6., in Theſ. Graev. Tom. III. pag.171.
(*g*) *Deſcriptio urbis Romae* cap.14. ibi p.448.
(*h*) *Antiquae urbis ſplendor* Tab. 67.
(*i*) *Dell' antichità di Roma* lib. III. pag.152.
(*k*) In vita Domitiani cap. 23.

Et Xiphilinus (*a*) : Καὶ αἱ ἁψῖδες πλεῖσται δὴ ἑνὶ ἀνδρὶ ποιούμεναι καθῃρέθησαν, *fuere quoque*, inquit, *arcus triumphales*, *quos ei plurimos fecerunt*, *diſturbati*. Veri ne igitur eſt ſimile, unum, de quo quaeſtio eſt, arcum Domitiani ſuperfuiſſe? Neque vero reprehendendus eſt Xiphilinus, quod arcus quoque Domitiani triumphales diſturbatos ſcripſerit, cum id neque a Dione, neque a Svetonio traditum ſit. Nam hic aequalis, aut ſane ſuppar temporum illorum ſcriptor, imagines quidem decreto Senatus deſtructas, eraſoſque titulos tradit: arcus autem diſturbatos non item. Ego vero commentitiam Xiphilini ſententiam eſſe, ne ſuſpicari quidem poſſum. Cuique enim, ſi arcus exſtaſſent, illum arguere mendacii licuiſſet. Deinde haud repugnat Svetonius. Nam is abolendam omnem Domitiani memoriam decreviſſe Senatum ſcribit; quo decreto non modo clypeos, imagines, titulos, ſed arcus quoque, & reliqua in honorem eius Imperatoris exſtructa aedificia comprehendi, prudenter dubitare nemo poteſt. Sed do, diſturbatos non fuiſſe unum, aut alterum, immo plures Domitiani arcus. Unus ne igitur ex iis Portugallienſis erat? Minime vero. Nam neque Sextus Rufus, neque P. Victor in VII. regione ullum fuiſſe poſitum Domitiano arcum tradunt. Portugallienſis autem in ea ſeptima regione erat. Deinde quanam ratione is dici Domitiani arcus poteſt, cum nullum in anaglyphis, quibus exornabatur, indicium ſit, quod pertinere ad Domitianum poſſe videatur? Oſtentum illud, aiunt, in anaglypho Tab. XII. exprimi. At quaenam in eo figura Domitianum dormientem, quaenam Minervam viſam Domitiano exhibet? Quid cum oſtento ardens aedificium? Denique nullo modo probabile eſt, adeo infelix, atque calamitoſum oſtentum in triumphali arcu fuiſſe inſculptum; cumque paucis, antequam deceſſit, menſibus Domitiano oblatum ſit, quis ſibi conſuadeat adeo brevi temporis ſpatio, adeo affabre exſtructum arcum Imperatori cunctis propter maximam crudelitatem inviſo, atque odioſo fuiſſe dicatum?

Itaque, ut ſentio, propius ad veritatem Nardinius (*b*) acceſſiſſe videtur, quem ſequuti ſunt Severolius imprimis (*c*), atque Vignolius, aliique complures eruditionis laude praeſtantiſſimi viri. Nam ille M. Aurelio, & L. Vero Imperatoribus eum arcum exſtructum fuiſſe defendit; quod non ex duobus anaglyphis modo, ſed etiam ex loco, in quo is arcus ſitus erat, mirifice comprobatur. Adi deſcriptores regionum veteris urbis (*d*). Omnes in regione VII. *Arcum Marci*, *&* *Veri Augg.* numerant. Ab hiſtoricis vero cum memoriae proditum ſit, M. Aurelium, poſtquam Fauſtinam in numerum Divarum retulit, ex Aſia, ubi illa deceſſerat, in urbem revertiſſe, deque Marcomanis, ut Capitolinus ſcribit (*e*), aliiſque populis Germaniae triumphaſſe; veri eſt omnino ſimile tunc ei, & L. Vero imperii conſorti, arcum, in quo Fauſtinae apotheoſis exhiberetur, conſtitutum fuiſſe; quo res praeclare a M. Aurelio in Aſia geſtas, atque illam praeſertim apotheoſim [nam de laudibus Fauſtinae, quam Romae quoque in Divarum numerum re-

(*a*) In vita Nervae pag. 240.
(*b*) *Roma antica* lib. VI. cap. 9.
(*c*) *De columnn. Antonin.* cap. 1. pag. 12.
(*d*) Vid. Graevium Tom. III. pag. 31., & 42.
(*e*) In vita M. Aurelii inter Scriptor. Hiſt. Aug. pag. 33.

referri avebat, publice Imperator habuerat orationem] probari ſibi Senatus, Populuſque Romanus demonſtraret.

His cognitis, datiſque, in Tab. XI. vir ille barbatus, toga & pallio indutus, in ſuggeſtu conſiſtens, & libellum ſupplicem, quem ſiniſtra tenet, a populo porrectum quaſi legens, eſt Marcus Aurelius. Alter autem item barbatus in eodem ſuggeſtu pone Marcum eſt Lucius Verus, elata quidem expreſſus manu, & quaſi alloquens quidquam, quod imperii conſors eſſet.

Ad laevam L. Veri pone eumdem Marcum imberbis adoleſcentis item in ſuggeſtu conſiſtentis facies caputque comparet; & prope ipſius ſuggeſtus latus dexterum ſtat pariter barbatus vir, qui miles excubitor, aut ſtator videtur. Stant contra adoleſcentes imberbes, veluti ſupplicantes, tres: a tergo autem cernitur templi porticus columnarum Ionicarum quatuor epiſtylium fulcientium, cuius porticus frons faſtigiata. Iam vero etſi principis in hoc anaglypho ſimulacri facies deformata fuerit; tamen quod antiquum, & minime refectum eſt, ſine ulla dubitatione lineamenta, formamque M. Aurelii intuenti exhibet. Neque facies tantum, ſed & ornatus, atque veſtitus. Nam ei iam inde a pueritia amictui erat pallium Philoſophorum, quod Philoſophiae quamdiligentiſſime operam dare conſueviſſet. *Philoſophiae*, inquit Capitolinus (*a*), *operam vehementer dedit, & quidem adhuc puer: nam duodecimum annum ingreſſus habitum philoſophi aſſumpſit, & deinceps tolerantiam; cum ſtuderet in pallio, & humi cubaret*. Sed barbata pone Marcum figura rem omnem ſane quidem conficit. Namque ipſius Lucii Veri effigies eſt.

Nulla ex parte colliſus, aut deformatus eſt huius ſimulacri vultus; & conſimilis omnino invenitur expreſſus Lucius in numiſmatibus. Praeterea tota ſimulacri forma apte iis convenit, quae de figura Lucii laudatus Capitolinus habet, ita eum deſcribens (*b*): *Decorum corpore, vultu geniatum, barba prope barbarice demiſſa, procerum, & fronte in ſupercilia adductiore venerabilem*. Huic deſcriptioni, noſtroque ſimulacro ſimiles ſunt Lucii imagines, quae inſculptae cernuntur cum in duobus ex quatuor anaglyphis conſertis in muro ſcalarum palatii Capitolini Conſervatorum urbis, tum in anaglypho appoſito foribus aulae Sabelliorum ad theatrum Marcelli: eaque omnia anaglypha ex Marci, & Lucii arcu detracta fuiſſe ſupralaudatus Severolius arbitratur. Itaque in iis etiam tribus anaglyphis L. Verus, obducta paullum capillis fronte, conſpicitur. Illud vero maxime animadvertendum eſt, quod in eis quoque, ut in noſtro, Lucius aliquantulum poſt Marcum conſiſtit; nam etſi a Marco ſponte dictus imperii conſors fuit, & gener electus data ei filia ſua Lucilla in matrimonium, & ipſo ſuo praenomine donatus (*c*), ut *in ſimili, ac pari maieſtatis imperio* collocatus eſſet; hic tamen, ut aliqua ratione ei gratias pro immortalibus in ſe beneficiis referret, *Marco vicem reddens ſuſcepit, obſequutus ut Legatus Proconſuli, vel Praeſes Imperatori* (*d*). Quamobrem mirandum non eſt, eum in eodem ſuggeſtu a latere Marci in foro quoque, in Senatu, inque aliis publicis urbis locis conſtitiſſe, paullum quidem, ut diximus, obſequii cauſſa retrorſum, veluti cum Imperatore Praefectus provin-

(*a*) In vita M. Aurelii inter Script. Hiſtor. Aug. pag. 23.

(*b*) In vita L. Veri, ibi pag. 39.

(*c*) Vid. Capitolin. in vita L. Veri pag. 36.

(*d*) Idem pag. 35. & 36. ibi.

provinciae ageret. Novi equidem non defuiſſe, qui cum animum ad haec non animadverterint, repraeſentari in huiuſmodi ſimulacro barbarum aliquem Regem, non autem Lucium Verum putaverint: videreque ſibi finxerint diademate ornatum eius caput, quod numquam Imperatorum inſigne fuit. At vero quis tam caecus eſt in contemplandis rebus, quae ſub aſpectum cadunt, qui non videat, nullum prorſus in eo capite eſſe diadematis indicium? Anticipatum id nae eſt illorum oculis, ut forma diadematis occurrat. Sed faciles nos ad concedendum habeant. Fac ornari diademate. Quid? Nonne L. Verus, ubi in Syriam venit, ita ſeſe vitiorum illecebris dedidit, ſequutuſque fuit mores, atque inſtituta barbarorum, ut ſatius ſibi eſſe duxerit appellari Syriae Regem, quam Imperatorem: amicaeque neſcio cui obſequens barbam, vel ipſis deridentibus Syris, abraſerit? Nonne ex Syria aegerrime quidem profectus eſt, etſi ut triumpharet in urbem contenderet? Nam *Syriam*, inquit Capitolinus (*a*), *quaſi regnum ſuum relinquebat*. Quid igitur? Nonne colligi inde poſſet, diademate, ut ſequeretur morem Syrorum, ornaſſe caput? Adde quod a nullo veterum Scriptorum proditum eſt, barbarum aliquem Regem apud Marcum degiſſe, eumque, ne in muneribus quidem publicis, ab ipſius latere diſceſſiſſe, fuiſſeque imperii ſocium. Praeterea in anaglyphis Capitolinis M. Aurelius una cum illo barbato viro, poſteaquam Iovi ſacrum fecit, Senatui, militibuſque pro tradito ſibi imperio gratias habet; & in alio anaglypho ad aedes Sabellias ille idem barbatus vir porrectum a populo ſupplicem M. Aurelio libellum accipit; ac demum in noſtro, dum Marcus libellum legit, ille dextera elata, indiceque extento ſua quoque intereſſe oſtendit. Itaque nedum ex vultus lineamentis, ſed etiam ex rebus, quas ſimul cum Marco Aurelio geſſiſſe conſpicimus, iudicandum eſt eo ſimulacro imaginem L. Veri repraeſentari.

Sed difficillimum eſt iudicare de reliquis huius anaglyphi figuris, ſi unam excipias, quam prope dexterum latus ſuggeſtus ſtantem vides. Hac militem exhiberi ex amictu cognoſcimus, nam eius ſimili milites indutos cum in columnis Antonini, & Traiani, tum in aliis vetuſtis monumentis apud Montfauconium videmus (*b*). Manu dextera quidpiam rotunda forma tenet, cuius extremitas ſolum comparet, reliqua parte brachio obtecta. Pilum facile dicam, ſive brevem haſtam, & quaſi verutum paullo craſſius, de quo Vegetius (*c*): *Habebant*, inquit, *bina miſſilia*, *unum maius*, *quod pilum vocabant*, *alterum minus*, *quod verutum*. At Polybius clarius (*d*). Nam alia craſſa, alia ſubtilia dixit, atque ex prioribus nonnulla ſemipalmaris diametri rotunda, nonnulla quadrata. Aequalis rotunditatis, & craſſitiei, quantum coniici ex reliquarum partium inſculpti ſimulacri proportione poteſt, eius militis pilum eſſe videtur. Quin etiam pilum eſſe exiſtimo, quia hoc militum, qui per varias dierum, munerumque ſolemnitates ſequebantur Imperatores, telum proprium erat: idque ex panegyrica oratione Mamertini intelligo (*e*), in cuius capite vigeſimoquarto haec leguntur: *Iuvenes cum gladiis*, *atque pilis non cuſtodiae corporis ſunt*, *ſed quidam maieſtatis imperatoriae ſolemnis ornatus*.

Simu-

(*a*) In vita L. Veri ibi pag. 38.
(*b*) *Antiquit. expliq.* Tom. IV. pag. 1.
(*c*) Lib. II. cap. 15.
(*d*) *Hiſt.* lib. VI. pag. 469. edit. Caſaubon.
(*e*) Inter veter. Paneg. ex edit. Patarol. Paneg. XI. cap. 24.

Simulacri autem, parvae quidem ſtaturae, coram Imperatoribus ſtantis Montfauconius (*a*) interpres, ignotum dixit repraeſentare ſupplicem virum, ignotiſque veſtibus onuſtum. At Severolius Commodum voluit eſſe, quem M. Aurelius pater, Lampridio teſte (*b*), adhuc puerum una cum Severo fratre dixit Caeſarem. Similia Capitolinus ſcribit (*c*), qui Commodum a M. Aurelio accepiſſe *cito nomen Caeſaris*, ait, *& mox ſacerdotium, ſtatimque nomen Imperatoris; ac triumphi participationem, & conſulatum*. Ita fit, ut quamcito togatum quoque fuiſſe Commodum dicamus. Nam ſi ſacerdotio, antequam particeps triumphi fieret, initiatus eſt; [initiatus eſt autem ineunte adoleſcentia, quod ex numiſmate Carpineo in Muſeo Vaticano ſervato, editoque a Bonarrotio (*d*) conſtat] togam quoque in prima aetate eum ſumpſiſſe veri eſſe omnino ſimile videtur. Haec diſtincte Lampridius (*e*) declarat. Annos enim natum quatuordecim in collegium ſacerdotum Commodum cooptatum fuiſſe docet; togam vero ſumpſiſſe quo tempore & eques, & princeps iuventutis dictus eſt; poſt quae memorat etiam participem triumphi eſſe factum. Et ſi laudatum numiſma, huiuſque ſimillimum noſtrum anaglyphum accurate inſpicias, Commodus ex lineamentis, formaque apparet longe minoris aetatis ac decem & ſeptem annorum, qua togam ſumere mos fuit. Fortaſſis tamen temporum ratio, quibus eae res geſtae ſunt, praetermiſſa fuit, uti animadvertit Salmaſius (*f*), a laudatis Scriptoribus. Denique notes velim audacem expreſſum eſſe Commodi vultum in eiuſmodi figura, qualem eum fuiſſe Lampridius tradit (*g*): *A prima ſtatim pueritia*, inquit, *turpis*, *improbus*, *crudelis*, *libidinoſus*, *ore quoque pollutus*, *& conſtupratus fuit*.

Iuvenes, qui Commodum in anaglypho ſequuntur, duos Severolius duces copiarum eſſe cenſet: quorum unum, cum ſiniſtra chartam teneat, elataque dextera alloqui Caeſarem videatur, ad eum, ait, de precibus aut poſtulationibus populi referre. Coopertus eſt ſolum pallio, magna corporis parte nuda, capilliſque prolixis, aliquantum criſpis, & diademate circumligatis; & hinc Montfauconius (*h*) Maurum eſſe putat, quia conſimilis ſit veſtitus inſculptorum in columna Traiani Maurorum. De aede demum ſacra pone haec ſimulacra ſic habeto: aut indicium eſſe habitae ante templum aliquod allocutionis, aut apotheoſis Fauſtinae iunioris, quae apotheoſis in altero anaglypho repraeſentatur. Hoc ſi pro certo ſumis: Fauſtinae Romae dicatam, petente quidem M. Aurelio, ut ſupra docuimus, ac mox videbimus, aedem videre puta.

M. Aurelius cum ſedandae defectionis cauſſa, cuius dux Avidius Caſſius fuerat, in Aſiam veniſſet, inque vico Halale ſub ipſis radicibus Tauri montis Fauſtina uxor deceſſiſſet, hanc ibi ſtatim in numerum Divarum retulit, & ad Senatum ea de re Romam ſcripſit, petiitque, ut nedum aequalis in urbe quoque eidem honor, ſed etiam aedes ſacra decerneretur. *Fauſtinam uxorem ſuam*, inquit Capitolinus (*i*), *in radicibus montis Tauri in vico Halale exani-*

(*a*) *Antiq. expliq. ſupplem.* Tom. III. lib. I. cap. 2. §. 3.
(*b*) In vita Commodi pag. 46. ibid.
(*c*) In vita M. Aurelii ibi pag. 29.
(*d*) *Oſſervazioni iſtoriche &c.* Tab. 7. n. 1.
(*e*) Loc. cit.
(*f*) In not. ad Iul. Capitolin. pag. 88.
(*g*) Loc. cit.
(*h*) Loc. cit.
(*i*) In vita Aurelii ibi pag. 33.

exanimatam ſubito morbo amiſit. Petiit a Senatu, ut honores Fauſtinae, aedemque decerneret, laudata eadem, cum tamen impudicitiae fama graviter laboraſſet; quae Antoninus vel neſcivit, vel diſſimulavit. Novas puellas Fauſtinianas inſtituit in honorem uxoris mortuae. Divam etiam Fauſtinam a Senatu appellatam gratulatus eſt, quam ſecum & in aeſtivis habuerat, ut matrem caſtrorum appellaret. Fecit & coloniam vicum, in quo obiit Fauſtina, & aedem illi exſtruxit; ſed haec poſtea aedes Heliogabalo dedicata eſt. Quam ad apotheoſim ea, quae in extrema fere inſcriptione Regillae leguntur, pertinent: quo loco Fauſtinam tamquam ſanctiſſimam Deam Herodes Atticus appellat, obteſtaturque, ne Regillam uxorem ſuam adeſſe ipſi miniſtram abnuat. Habet autem hoc modo:

ΤΟΥΤΟ ΔΕ ΦΑΥΣΤΕΙΝΗ ΚΕΧΑΡΙΣΜΕΝΟΝ ΗΣΤΑΙ ΑΓΑΛΜΑ
ΔΗΜΩ ΕΝΙ ΤΡΙΟΠΕΩ ΝΑΟΥ ΠΑΡΟΣ ΕΥΡΕΕΣ ΑΓΡΟΙ
ΚΑΙ ΧΟΡΟΣ ΗΜΕΡΙΔΩΝ ΚΑΙ ΕΛΑΙΗΕΝΤΕΣ ΑΡΟΥΡΑΙ
ΟΥ ΜΕΝ ΑΤΙΜΗΣΕΙΕ ΘΕΑ ΒΑΣΙΛΕΙΑ ΓΥΝΑΙΚΩΝ
ΑΜΦΙΠΟΛΟΝ ΓΕΡΑΩΝ ΕΜΕΝΑΙ ΚΑΙ ΟΠΑΟΝΑ ΝΥΜΦΗΝ
ΟΥΔΕ ΓΑΡ ΙΦΙΓΕΝΕΙΑΝ ΕΥΘΡΟΝΟΣ ΙΟΧΕΑΙΡΑ
ΟΥΔ ΕΡΣΗΝ ΓΟΡΓΩΠΙΣ ΑΠΙΤΗΜΑΣΕΝ ΑΘΗΝΗ.

En eiuſdem latinam ex Salmaſio verſionem (*a*):

In pago Triopae, Fauſtinae haec grata locatur
Effigies. Latis templum praetexitur agris,
Ordine ubi poſitae vites, oleaeque feraces.
Nec Dea femineae dux, & regina catervae
Abnuet hanc nympham ſacris ſibi adeſſe miniſtram.
Spreta ſagittiferae nec enim Iphigenia Dianae.
Caeſia non Herſen eſt aſpernata Minerva.

Regillae ſtatuam dicatam in templo fuiſſe, quod, poſtulante M. Aurelio, Senatum Fauſtinae iuniori decreviſſe legimus, ex hac inſcriptionis parte coniecit Salmaſius (*b*). Attamen, quin eadem in villa ipſa celeberrimi Rhetoris Herodis Attici Regillae viri erecta fuerit, vix, ac ne vix quidem ambiget quiſque inter ſe omnia, quae inſcriptio habet, paullo diligentius contulerit, ſerioque expenderit. Quamobrem veri eſſe ſimilius opinor, ſicuti Herodes maximo apud M. Aurelium in honore fuit, eidemque acceptiſſimus; ita & Fauſtinae Regillam fuiſſe cariſſimam. Hinc forte factum, ut Herodes, Imperatoris, qui paullo ante Fauſtinam in Divarum album retulerat, ambitioni litans, augurari ſibi voluerit, fore illud, ut nova Dea veluti adminiſtram nympham Regillam exciperet. Id autem ex eo confirmatur, quod ea inſcriptio, de qua agimus, ſecus Appiam viam III. m. circiter ab urbe paſſibus reperta fuit: ubi Herodis quidem Attici villa, deli-

(*a*) Vide Salmaſ. *Duarum Inſcription. veter. Herodis Attic.*, & *Regill. explicat.* pag. 84.

(*b*) Ibi pag. 124.

deliciaeque erant, nuſquam vero templum a Senatu Fauſtinae dedicatum. Haud nego tamen, ibidem Fauſtinae privatam aliquam aediculam Herodem ipſum forte conſecraviſſe, ut plenius ea religione Caeſari aſſentaretur.

Quinque figuris Fauſtinae apotheoſis in anaglypho, quod vides Tab.XII. exprimitur. Harum una lauro coronata in ſubſellio ſedet: altera hanc prope ſtat: in conſpectu tertia adoleſcentis, qui ſuperiore corporis parte nuda, aedificio rotundo, ex cuius ſummo undique flammae erumpunt, accubat; quarta ſupra flammas in altum alata mulier attollitur, quae faculam accenſam utraque manu retinet, dorſoque fert in caelum Fauſtinam, quam figuram quintam dicimus. Marcum Aurelium prima in ſubſellio, panno laciniato cooperto, ſedens repraeſentat, quod vel ex ipſa tantum laurea corona, quod eſt proprium Imperatorum Romanorum inſigne, colligitur. At nonnullas huius ſimulacri colliſas partes reſtitutas fuiſſe ſcias volo, frontem, naſum, dexteri oculi orbitam, dexteraeque maxillae partem. Aedificio autem illo, ex quo flammae erumpunt non aram ad ſacrificia, ſed ardentem rogum exhiberi Montfauconius (*a*) ſcribit. Etenim eminenti rogo, collocata in eius faſtigio mortui viri, aut mulieris imagine, apotheoſis conficiebatur, ut copioſe Herodianus tradit (*b*); & ſane rogus in numiſmatibus expreſſus inſigne apotheoſis, conſecrationumque eſſe ſolet. Sed contra Montfauconii opinionem aedificii conſtructio pugnat.

Quem autem vides barbatum, atque palliatum a tergo Caeſaris ſtantem virum, ex illius miniſtris unum dicere fas eſto; ſed quiſnam fuerit, ex Scriptoribus colligere ne coniectura quidem poſſumus. De tertia figura Severolius inquirens, deſignari eadem provinciam Palmyrenorum putat, quod ibi Fauſtina & deceſſerit, & numero adſcripta Divarum fuerit: ſuamque opinionem ex veſtitu eius adoleſcentis, atque ex capillis tum prolixis, & aliquantum criſpis, tum diademate circumligatis confirmari poſſe. Nam huiuſmodi ſigna apte in barbaros cadere. Sunt autem, qui Deum Halagabalum deſignari cenſent, quem Syri colebant, & Solem dicebant, ut Caſaubonus ſcribit. Eſt auctor Spartianus, huic Deo ſub radicibus montis Tauri a Syris fuiſſe dicatum templum, quo loco ſuum Fauſtinae M. Aurelius dicavit. Quamobrem, eodem Caſaubono auctore (*c*), is locus, in quo Fauſtina deceſſit, a Capitolino *Halale*, latine *Vicus Dei* appellatus eſt, deinceps vero, eius apotheoſis cauſſa, Fauſtinopolis.

Reſtant quarta alata cum facula accenſa, & quinta Fauſtinae vectae in caelum, quam poſtremo loco nominavimus, figurae. Illam Montfauconius Victoriam Deam dixit (*d*), quod alata inſpicienti occurrat: ac vero deceat uxorem M. Aurelii, multis partis victoriis illuſtris, & quo petente, ut Capitolinus ait, *mater caſtrorum*, honorificentiſſimo quidem nomine appellata eſt, quaſi earumdem victoriarum participem in caelum a Victoria vehi. Iam ante Montfauconium Spanhemius (*e*) imprimis, aliique doctrina, eruditioneque praeſtantes viri in eadem opinione verſati ſunt. Atque is, quem proxime nominavi, cur ſic opinetur rationem ſubiicit: videlicet *praeter ſolemnem*, ſic ait, *hunc Victoriae typum*, *patris Severi Alexandri*, *quod narrat Lampridius* (*f*), *ſomnium*; quod

(*a*) *Antiq. expliq. ſuppl.* To.v. lib.6. c.5. §.3.
(*b*) *Hiſt.* lib.4. in princ.
(*c*) In not. ad Lamprid. vit. Antonini Halagab. ſub init.
(*d*) *Antiq. expl. ſuppl.* To.v. lib.6. c.5. §.ult.
(*e*) *De praeſt.*, *& uſu numiſm.* Diſſert.13. §.7. Tom.II. pag.654.
(*f*) Cap. 14.

quod ſomnium tale eſt: *pater eadem nocte in ſomnis vidit alis ſe Romanae Victoriae, quae in Senatu, ad caelum vehi*. Ego tamen confidenter nego exploratam eſſe iſtam rationem ad id, quod Spanhemius vult, confirmandum. Quid? Occurrit ne nobis in alio vetere monumento Victoria manibus retinens accenſam faculam? Dianae Luciferae inſigne perpetuo hoc eſt, Victoriae numquam. Quod ſi alata in anaglypho Diana occurrit, quemadmodum alata repraeſentari Victoria ſolet; induſtriae id, acutoque ingenio artificis tribuendum eſt, ut propius ad veritatem ab illa ferri in caelum Fauſtinam exprimeret. Neque vero in hoc tantum anaglypho Dianam alatam videre eſt. Confer arcam Cipſeli apud Pauſaniam (*a*), Etruſca monumenta apud Gorium (*b*), complures antiquas gemmas in primo volumine Muſei Florentini (*c*), utque cetera praetermittam, numiſmata edita a Triſtano duo (*d*); alatamque repraeſentari Dianam Luciferam comperies. Accedit ad haec Sanconiatonis apud Euſebium auctoritas (*e*), qui alatos quoſque Deos multis quidem modis fuiſſe ſcribit, quae Nonni etiam opinio eſt (*f*); nam eos pertimeſcentes Typhonem remigio alarum caelo profugiſſe narrat. Et ſane eſſe alas ſymbolum velocitatis veteres dixerunt, eaſque ad inanima quoque accommodarunt, atque praeſertim ad fulgura, quae alata cum in multis numiſmatibus cernuntur, tum ab Ariſtophane (*g*) variis in locis appellantur. Praeterea numiſmata, Fauſtinae apotheoſis gratia cuſa, hanc alatam figuram Dianam eſſe Luciferam plane demonſtrant, contraque ſentientibus omnem ſcrupulum, atque dubitationem eximunt. Exſtat enim primi moduli numiſma in Muſeo Vaticano ſervatum exhibens Fauſtinam cum titulo DIVA FAVSTINA PIA, & in averſa facie Dianam cum corniculata in humero Luna, & titulo SIDERIBVS RECEPTA S. C. Quinetiam in altero numiſmate Fauſtina repraeſentatur, ut in noſtro anaglypho, a Diana in altum vecta cum inſcriptione AETERNITAS S. C. Utriuſque numiſmatis, poſticam faciem aere inciſam huic noſtro commentariolo praefiximus una cum poſtica facie aliorum duorum numiſmatum eiuſdem Fauſtinae, ubi item Diana Lucifera conſpicitur. Demum animadvertere placet, quod Fauſtinae ſenioris numiſma maximi moduli Bonarrotius (*h*) explicans ſcribit, Ethnicos ſuperſtitioni deditos ſenſiſſe, Fauſtinam illam annumeratam Divis quaſi Dianam fuiſſe, ut eius munere perfuncta luci Lunae praeeſſet; propterea quod vel mortua non imperium modo Romanum, ſed etiam univerſum terrarum orbem ſuis cumulare beneficiis pergeret. Atque haec quidem Bonarrotii opinio confirmari ex eo poteſt, quod Fauſtina in nonnullis eiuſdem numiſmatibus Lunae currum ducere videatur.

Demum noſtrae Fauſtinae caput velo ornatur, quod ſacerdotii Auguſtarum, dum viverent, erat ſymbolum; & poſt mortem fuiſſe ſymbolum divinitatis earumdem Cuperus (*i*), Turrius (*k*), atque Vignolius (*l*) volunt, ac vero probant. Ii enim, qui apud Ethnicos Theologi nominabantur, eam eſſe aiebant vim, ac naturam Deorum, ut non oculis, ſenſuque, ſed mente diſcerneretur. Itaque


(*a*) *Eliacor. prior.* lib. v. cap.19.
(*b*) *Muſ. Etruſc.* Tom.II. Tab. 35. num.3.
(*c*) *Muſ. Florentin.* Tom.I. Tab.67. n.2., & 8.
(*d*) *Comment. hiſt. in Traian.* Tom.I. pag.404.
(*e*) *Praepar. evangel.* lib.I. cap.10. pag.39.
(*f*) *Dionyſ.* lib.I. verſ. 142.
(*g*) *Aves* verſ. 577., & 1711.
(*h*) *Oſſervaz. istoriche &c.* pag.42.
(*i*) In fine *Apotheoſ. Homer.* pag.109.
(*k*) *Monum. vet. Antii* cap.3.
(*l*) *De columm. Antonini* cap. 8. pag.144.

quo facilius animos imperitorum ad eiuſmodi probandam ſententiam adducerent, nullum umquam Deum dixerunt, niſi velo obtectum, cuiquam in terris occurriſſe. Qua de re pleraque proferri teſtimonia Homeri poſſunt. Nam is Deos nube involutos exhibet, ac praeſertim Iovem, cui tribuit, ut Dio Chryſoſtomus (*a*) animadvertit, *τίνα νέφυς περὶ τῇ κεφαλῇ ςέφανον* *quamdam ex nubibus* confectam *circa caput coronam*. Quamobrem Aeternitatem quoque, in qua praecipue divinitas conſiſtit, velatam veteres finxerunt; quod illius lateret omnino principium. Quid igitur mirum Auguſtas, atque imprimis Fauſtinas, quarum memoriam honore Divarum fuiſſe conſecratam conſtat, in numiſmatibus, inque aliis monumentis velatas videri? Quocirca in latere baſis columnae Antonini ad Curiam Innocentianam aere inciſae apud Blanchinium (*b*), & Vignolium, inſculpta eſt Fauſtina maior, & in pleriſque numiſmatibus apud Auguſtinium (*c*), ſimiliter velata Fauſtina iunior cum titulo DIVA conſpicitur, uti in noſtro anaglypho, ubi effingitur in caelum vecta a Diana Lucifera in aeternitate cum reliquis Diis, ac Deabus commoratura.

(*a*) Orat. XII. pag. 217. (*b*) *De calend.*, & *cycl. Caeſar.* c. 7. (*c*) Dialog. 2. pag. 36.



EXPLI-



EXPLICATIO

TABUL. XIII. XIV. ET XV.

Votivae Arae Palladi dicatae latera quatuor tribus hiſce Tabulis, & poſito ſupra hanc explicationem ornatu exhibentur. Hanc Aram Georgius Fabricius in ſua *Roma* (*a*) de templo S. Georgii in Velabro, ſeu ad Velum aureum, ad radices Palatini montis, agens memorat his verbis: *in templo ſaxum eſt cum inſcriptione, in quo ſerrae, amuſſis, ſecures, cultri, & ſimilia fabrorum inſtrumenta.* Diſtinctius ex ms. Pighii Martinus Smetius in ſua veterum inſcriptionum collectione a Iuſto Lipſio anno 1601. primum, deinde a Iano Grutero in Theſauro in lucem edita eamdem Aram deſcripſit. Sed quoniam laudati antiquitatum Romanarum inveſtigatores deletam aliqua ex parte inſcriptionem circum faſciam ſub corona inſculptam, atque deformata anaglypha compererunt, Fabricius unum dumtaxat latus, quod minus deformatum eſſet, deſcripſit; Smetius vero latere eodem delineato, ea quae in reliquis animadvertit, indicare contentus fuit: in altero nempe exprimi ſacrificium, in tertio ſimulacrum Palladis, compluresque homines circum eius Aram ſtantes, in poſtremo inſtrumenta ad faciendum ſacrificium tria. In Codice ms. 3439. Bibliothecae Vaticanae, in quo vetera pleraque monumenta, ut periti cenſent, a Pyrrho Ligorio delineata continentur, latera eadem quatuor videre licet, unde Muratorius in ligno infabre inciſa, ea in lucem edidit. Sed multa non Ligorius modo, ſed ille etiam, qui haſce noſtras tabulas, accuratius tamen, ei adempta a nobis vagandi licentia, delineavit, ex ſignis, veſtigiiſque plane obſcuris divinando collegit. Porro a Chriſtianis potius, quod Ethnicorum monumen-

(*a*) Pag. 251. edit. Baſil. an. 1587.

tum ſuperſtitioſis iconibus ornatum in aede uni veroque Deo in honorem S. Georgii dicata ſervari aegre ferrent, eam Aram deformatam fuiſſe, quam temporum iniuria, aut diuturnitate exiſtimo; propterea quod inſculpta in anaglyphis ſimulacra, ſuperiori praeſertim corporis parte, non autem fabrilia inſtrumenta, nec ſacerdotalia nonnulla utenſilia eliſa videam.

Iam vero hanc Aram a Miniſtris Collegii cuiuſpiam, iam inde a luſtro ſecundo conſtituti, conſecratam fuiſſe ex inſcriptione comperimus; qua in inſcriptione & nomina nonnullorum ex iis Miniſtris leguntur. In principe latere litteris duplo maioribus, quam reliquis, inſculptum eſt:

MINISTRI . LVSTRI . SECVNDI

In dextro latere:

. . . . . MILONIS
. . . . . AMPHIONIS

In ſiniſtro:

. . . . ERILIS . ANTONI . ANDRONIS
. . . . VTILIS . FICTORI . FLACCI

In poſtremo vero:

DVILIVS . CEP . . . . .
MARC . . . .

Muratorius cum eiuſmodi inſcriptionem, araeque exemplum pag 186. edidiſſet, eamdem pag. 769. a Bimardo acceptam iterum vulgavit, ac ſi alterius marmorei monumenti Aquis Sextiis ſervati inſcriptio eſſet; quin animadverterit, Bimardum non illas tantum inſcriptiones, quas ea in urbe, ſed etiam ceteras omnes, quas Romae, atque alibi exſcripſerat, ad ſe miſiſſe. Quid? nonne praeterea Muratorius fallitur docens hac voce LVSTRI ſignificari aut oppidi, aut exercitus luſtrationem, atque expiationem? Nam etſi quo anno Collegium inſtitutum fuerit incertum eſt; tamen annos ab eiuſdem initio ſignificari plane liquet. Quo de initio cum inquirerem, aramque ex inſtrumentis in ea inſculptis ad Collegium aliquod fabrorum ferrariorum, aut lignariorum, aut ſimilium artificum pertinuiſſe cognoſcerem, multas Romanas inſcriptiones conſului, quae ad earum artium Collegia ſpectarent, inque iis & luſtra, & clariores temporum notae exprimerentur. At inde nihil, quod multis non eſſet difficultatibus implicatum, colligi poſſe intelligebam; quamobrem hoc unum animadvertam, veri eſſe ſimile, Domitiano Imperatore dedicatam hanc aram fuiſſe; quod is prae ceteris adeo ſuperſtitioſe Minervam coleret, ut ſe illius filium dixerit (a), ac domum, in qua natus, altuſque fuerat, eius numini conſecraverit, *Minervaeque Flavianae templum* appellarit. Quinetiam temerarium non eſſe video, ſi quiſquam eius Collegii inſtitutorem Domitianum fuiſſe ſuſpicetur. Domitianus enim *celebrabat*, ut ait Svetonius (b), *in Albano quotannis quinquatria Miner-*

(a) Vid. Philoſtr. in vita Apollonii lib. VII. cap. 24., & Olear. in adnot. ad hunc loc.

(b) In vita Domitiani cap. 4.

Minervae, *cui Collegium inſtituerat* : *ex quo ſorte ducti magiſterio fungerentur*, *redderentque eximias venationes*, *&* *ſcenicos ludos*, *ſuperque oratorum*, *ac poëtarum certamina*. Quoniam vero ſex ſolum Miniſtrorum nomina inſcripta in noſtra Ara fuiſſe ex ſpatio ſituque colligitur, hinc alia quoque ſuborta mihi eſt ſuſpicio, an ad idem Collegium pertineat inſcriptio, quae in Capitolio ſervabatur, & a Boiſſardo (*a*) vulgata eſt, Magiſtrorum, atque Miniſtrorum ſex nomina exhibens, & dedicata SER. GALBA II. T. VINIO COS.; ita ut ex ea Collegii in noſtro monumento indicati ſumi primordia poſſint. Enimvero extremo anno aerae Chr. *69*., quo Galba ſecundum, & Vinius Conſulatum gerebant, Domitianus ab exercitu, atque a Senatu Caeſar dictus eſt, & illico ſummam Romae auctoritatem, ac principatum ſibi arrogavit. Quid igitur mirum ſi iam inde Collegium a Svetonio laudatum inſtituerit, poſitaque fuerit a primis eiuſdem Collegii magiſtris, atque miniſtris, inſcriptio a Boiſſardo vulgata, ut poſterorum memoriae tempus mandarent eiuſdem inſtitutionis?

Sed de anaglyphis, quibus, etſi exeſis, deformatiſque, ara praeſtat, dicendum eſt. In primo *Tab. XIII.* Minervae ſacrificium repraeſentatur. Stat idolum illius ſuperpoſitum ingenti baſi; ante idolum ara cum igne; hinc ſacerdos libans, tibicen pone ſacerdotem tuba duplici canens, & ad ſacerdotis pedes Camillus ſiniſtra manu praefericulum retinens, qui dextera gerebat, ut credimus, acerram: illinc victimarii duo, *& maxima taurus victima* (*b*), haud ligatus, quia, ut ait Servius (*c*), *piaculum eſt in ſacrificio aliquid eſſe religatum*, ſed a victimario, qui cultrarius dicebatur, ſiniſtra manu detentus. Is adminiſter diſtricto cultro praeſto adeſt, ut taurum a popa elato alte malleo ictum iugulet: quod Svetonius de Caligula (*d*) loquens expreſſit his verbis: *Admota altaribus victima*, *ſuccinctus poparum habitu*, *elato alte malleo*, *cultrarium mactavit*. Iſtiuſmodi habitu cultrarius quoque noſter hic ſuccinctus occurrit, quo de habitu Servius (*e*) haec habet: *Limus eſt veſtis*, *quae ab umbilico uſque ad pedes teguntur pudenda poparum*: *haec autem veſtis habet in extremo ſui purpuram limam*, *ideſt*, *flexuoſam*, *unde &* *nomen accepit*: *nam limum obliquum dicimus*.

Numa Pompilius Rex Veſtalibus virginibus Palladium, fatale ſalutis urbis pignus, tradens in tertii lateris anaglypho *Tab. XIV.* exhiberi videtur; proptereaquod Veſtales tantum quatuor, quot ille eſſe iuſſit, numerentur. Nam ſi praeclara alia quaepiam res poſt Numam geſta exhiberetur, Veſtales non quatuor quidem, ſed ſex numerarentur, quot deinde aut Tarquinius Priſcus, ut Dionyſius ſcribit (*f*), aut tandem Servius Tullus inſtituit, ſi adhibenda ſit Plutarcho fides. Hic etiam primarum quatuor nomina, quae ſunt *Gegania*, *Verania*, *Canuleia*, *Tarpeia*, litterarum monumentis mandavit (*g*). Quod ſi narrat Gellius (*h*), quamque virginem, cum a Pontifice Maximo Veſtalium numero adſcriberetur, *Amatam* appellatam fuiſſe,

quo-

(*a*) Par. III. pag. 100.
(*b*) Virgil. *Georg.* lib. II. verſ. 146.
(*c*) A. verſ. 134. lib. II. *Aeneid.*
(*d*) Cap. 32.
(*e*) Ad verſ. 120. lib. XII. *Aeneid.*
(*f*) *Antiq. Rom.* lib. III. cap. 67.
(*g*) In vita Numae pag. 66. Tom. I. Opp.
(*h*) Lib. I. cap. 12.

quoniam quae prima capta eſt hoc fuiſſe nomine traditum eſt ; id de Veſtalibus fortaſſe traditum , quae ante urbem conditam Albae , ac Lanuvii agebant ; aut de illa Veſtali, quae Romae exſtinctis Regibus a Pontifice Max. capta prima omnium fuit.

Quum autem nulla ex quatuor noſtri monumenti Veſtalibus ſacrificans occurrat, repraeſentari eas omnes tum primum ſacerdotio initiatas putavimus : quamobrem ſimpliciſſima veſte, quaſi ex ſelecto candidoque lino, indicandae virginitatis cauſſa, contexta indutae delineari curavimus ; & caput non eſſe ornandum infula, neque vittis, taeniiſque, ſeu laciniis cenſuimus; quod eiuſmodi ornamentis in publicis tantum ſacris , feſtiſque diebus Veſtales uterentur ; cumque illa ſolum , quae ſacrificabat, caput velo tegeret, eaſdem ſine velo expreſſas voluimus . Sunt igitur tonſis , atque incomptis capillis, tum quod ita in numiſmatibus exhibeantur , ac perſpicue quidem in alio anaglypho, de quo opportune agemus ; tum quod Plinius tradat (*a*) Veſtales , cum ſacerdotio initiarentur , totondiſſe , dedicaſſeque Veſtae comam , quam tamen deinde nutrire, comereque conſueviſſe ex Prudentio colligimus , qui ſic habet (*b*) :

Perfundunt quia colla comis bene, vel bene cingunt
Tempora taeniolis, & licia crinibus addunt .

Sed de excogitatis a nobis imaginibus , atque adeo earum parte ſuppleta ſatis . Neque enim opus eſt de Veſtalibus agere, de quibus Iuſtus Lipſius (*c*), & Spanhemius copioſe egerunt ; & multa diligenter quidem , atque erudite Fabrettus (*d*) , & Bonarrotius (*e*) clypeum aeneum , gemmamque Muſei Carpinei , nunc Vaticani , in quibus capita Veſtalium duo repraeſentantur, declarando , illuſtrandoque ſcripſerunt.

De Palladio etiam , quod eſſe fatale ſui imperii pignus (*f*) , utque in vetere inſcriptione apud Gruterum (*g*) legimus, unum ex *arcanis praeſidiis urbis* , a Romanis putabatur, dicere hoc loco praetermittimus. Latet omnino, an Troianum illud eſſet : a quo in Italiam inlatum : quomodo Numa eodem potitus : qua materia, & qua forma perfectum . De his enim variae ſunt veterum Scriptorum, diſcrepanteſque ſententiae. Quod unum fere omnes tradunt hoc eſt : Palladium in maxime ſecreto templi loco , qui *penus*, auctore Feſto (*h*), dicebatur, inque theca, quam Lampridius *ſeriam* appellat (*i*), reconditum ſummo ſtudio a Veſtalibus ſervatum fuiſſe ; eodemque in penu complura Palladia in ſeriis occluſa exſtaſſe , ut eorum multitudine deciperetur quiſquis ſacrilego animo verum inde auferre concepiſſet . Commodo Imperatore , cum Veſtae templum incendio conſumeretur , Palladium primum iam inde ab eo tempore , quo delatum in Italiam fuerat, viſum fuiſſe, Herodianus quidem ſcribit (*k*) ; at qua eſſet forma non ſcribit. Prodi-

(*a*) Lib. xvi. cap 44.
(*b*) Lib. II. *adverſ. Symmach.* verſ. 1104.
(*c*) Vid. apud Graev. Tom. v.
(*d*) *De columm. Traian.* cap. 6. pag. 167.
(*e*) *Oſſervaz. iſtoriche* Tab. 36. pag. 406.
(*f*) Vid. Liv. lib. xxvi. cap. 27., Senec. lib. I. controv. 3., Lucan. *Pharſ.* lib. ix. v. 993.
(*g*) Pag. lxxxiii. 15.
(*h*) *De verbor. ſignific.* v. *Penus*.
(*i*) In vita Heliogab. pag. 103., Vid. Plutarch. in vita Camilli pag. 139.
(*k*) Lib. I. pag. 22. edit. Henr. Stephani an. 1587.

Proditum etiam memoriae eſt, Metellum (*a*), qui ex alio incendio Palladium eripuit, continuo oculis captum fuiſſe. Itaque Palladium ſuo arbitratu artifices figuraverunt iis formis, quibus Palladem a Graecis figuratam fuiſſe acceperant. Quare variae ſunt Palladii in marmoreis, aeneiſque monumentis, inque priſcis picturis formae. In Romanis ſuis quaeſtionibus Boxhornius (*b*) quaerens cur tanto ſtudio non modo Palladium, ſed etiam ignis ſempiternus Romae cuſtodiretur; illud ſapientiae, hunc vigilantiae ſymbolum fuiſſe coniiciendo reſpondet, quibus Romani monerentur, conſiſtere, diuque permanere ſine iis virtutibus imperia non poſſe. Ego autem do, Numam, qui religionis rationem Romae conſtituit, fortaſſe iſtiuſmodi etiam myſterio permotum, ſervari Palladium, ignemque imperaſſe; ſed arbitror, voluiſſe praecipue in animis civium imprimere eorum originem a Troia, unde ablatum Palladium exiſtimabatur, atque ab Alba, unde Veſtae cultum didicerant. Exſtat alia quadrilatera ara iacens ſub dio in viridario villae, cui nomen *Madama*, ubi origo populi Romani ab Aenea, atque a Rege Latino exprimitur; & in ea pariter inſculptae ſunt Veſtales ſex Palladium excipientes. In Ara noſtra tamen Minervae dedicata, eam de Palladio Veſtalibus tradito hiſtoriam inſculptam exiſtimo ad declarandam cultus erga Minervam, quam adeo ſuperſtitioſe Domitianus venerabatur, remotiſſimam, & iam inde a primis Romae temporibus repetendam antiquitatem.

Age nunc; poſtremum latus minus quam cetera deformatum *Tab. XV.* inſpicito. In parte eius ſuperiore utenſilia ſacra inſculpta ſunt, dolabra, & lituus, de quibus alio loco diximus, medium autem pileum, quo Flamines, cum ſacra ſua munia obirent, caput tegebant, Flamen vero Dialis, ſeu Iovialis continenter, erat enim veluti inſigne eius dignitatis. Sacerdotes quoque Salii eiuſmodi pileo, galeae ſimili, in antiquis monumentis ornantur; quod in poſtica etiam numiſmatum Romanorum videtur, indicandi ſacerdotii illius cauſſa. In ſummo pileo virga erat, atque ex utraque parte ligacula, quibus ſub mento religari ſolebat; quia ſi prolaberetur nefaſti erat ominis, ut Sulpicio contigit, cui, ut ait Valerius Maximus (*c*), *inter ſacrificandum apex prolapſus eidem ſacerdotium abſtulit*. Dicebatur autem *apex*, Servio locuplete interprete (*d*), *virga, quae in ſummo pilei Flaminum lana circumdata, & filo conligata erat: unde etiam Flamines vocabantur. Hoc autem nomen a veteribus tractum eſt, apere enim veteres, ritu Flaminum, adligare dicebant, unde apicem dictum volunt*. Idem Grammaticus (*e*) ſacerdotalis huius ornatus inventorem etiam memorat, inquiens: *Apex proprie dicitur in ſummo Flaminis pileo virga lanata; hoc eſt in cuius extremitate modica lana eſt, quod primum conſtat apud Albam Aſcanium ſtatuiſſe*. Demum oleagineam eam virgam fuiſſe Feſtus docet, ubi ait: *pileo Flaminum affigebatur apex, virgula oleagina*.

In

(*a*) Vid. Dionyſ. *Antiq. Rom.* lib.II. cap.66., & Senec. lib. IV. controv. 2.
(*b*) Quaeſt. 22. in Theſ. Graev. Tom.V.
(*c*) Lib.I. cap.1. num.4.
(*d*) Ad verſ. 270. lib.X. *Aeneid.*
(*e*) Ad verſ. 683. lib.II. *Aeneid.*

In inferiore huius lateris parte inſculpta quoque ſunt inſtrumenta quaedam fabrilia, ſerra, aſcia, malleoli, ſecures multiformes; quare a miniſtris Collegii cuiuſpiam fabrorum ferrariorum, ac lignariorum aram dicatam fuiſſe nonnulli putarunt. At forte ſacerdotalia inſignia Magiſtros Collegii a Domitiano inſtituti, haec vero inſtrumenta fabrilia Miniſtros indicant; erant enim eius Collegii partes nedum ſacrificiis Quinquatria Minervae celebrare, ſed etiam ſcenicis ludis, atque venationibus; in quibus apparandis fabrorum opera, & iſtiuſmodi inſtrumentis uti oportebat.

EXPLI-



EXPLICATIO
TAB. XVI.

NON longe a Lanuvio, quod Latii oppidum ad Ducem Sfortiam Caeſarinium modo pertinet, ubi loci exſtaſſe olim villam Antoninorum Caeſarum non temere creditur, repertum eſt anno 1736. ſingulare profecto marmoreum anaglyphum, de quo dicere aggredior. Etſi iam inde ab anno 1737. Dominicus Georgius opuſculo Romae typis edito eiuſmodi monumentum diſtincte, copioſeque eſt interpretatus; illudque deinde opuſculum *Tom. I. novi Theſauri Inſcriptionum* Muratorius iterum vulgavit (*a*); Winckelmannius tamen (*b*) paucis ab hinc annis de eodem ſcripſit, perinde ac ſi neque publicatum umquam, neque illuſtratum a quoquam eſſet. Unica variis ſymbolis, ornamentiſque decora imago in hoc anaglypho inſculpta, mulieris magis, quam viri ſpeciem exhibens, primum intuenti occurrit: quae viſa eſt aliquibus repraeſentare Cybelem cum provecta iam aetate Attym adamavit (*c*), & Winckelmannio quampiam matronam Romanam inſignibus Cybelis ſe occultandi cauſſa ornatam; cuius rei comprobandae gratia memorat vetus numiſma, in quo Fauſtina ſenior (*d*) eiuſmodi inſignibus, veſtituque induta ſedens cernitur. Ficoronius (*e*) huius imaginis meminit, ac cenſet archetypum fuiſſe picturarum, & anaglyphorum Cybelem exprimentium, quae a Gallis, ſtipis ab imperito vulgo corrogandae cauſſa, circumferri conſueſcebant. Verum probabilior ſupralaudati Dominici Georgii (*f*) opinio eſt, figuram viri exhiberi, ideſt Archigalli, quo nomine

(*a*) Pag. 207.
(*b*) *Monumenti antichi &c.* num. 8.
(*c*) Lucian. *de Sacrific.* §. 7. Tom. I. Oper. pag. 532., & Arnob. *adv. Gent.* lib. IV. pag. 151.
(*d*) *Medailles du Cab. du Roy de France* num. 7.
(*e*) *Veſtigia di Roma antica* pag. 51.
(*f*) Cap. 2.

mine ſummus ſacerdos, antiſteſque Gallorum, qui Cybeli ſacra faciebant, appellabatur; idque ex variis ſymbolis ibidem inſculptis colligi (*a*). Multi Romae Galli a Gallo Phrygiae fluvio dicti agebant, ſed hi nullo in numero habebantur: quod eſſent, ut Ennius ait (*b*), *aut inertes*, *aut inſanei*, *aut quibus egeſtas imperat*; atque, ut loquitur Apuleius (*c*), *de triviali popularium faece*. Contra vero in Archigallis populari quadam gloria ſacerdotium decorabatur, ut ab eruditiſſimo Wandalio (*d*) demonſtratum eſt. Omnium autem, qui ſacris myſteriis Cybeles initiabantur, genera fuiſſe tria idem Wandalius ex Luciano colligit: ſummum ſacerdotem, qui Archigallus dicebatur, ceteriſque dignitate, auctoritateque praeerat: multos minores ſacerdotes: demum tibicines, varioſque adminiſtros plures, & hos omnes Gallos fuiſſe appellatos. Iam vero valde honorificam dignitatem Archigallorum habitam eſſe, clarumque nomen, nonnulla vetera, quae ſuperſunt marmorea monumenta, aut quorum exempla aere inciſa exſtant apud inveſtigatores vetuſtatis, plane oſtendunt (*e*). Celebris eſt, de qua Plinius (*f*) tradit, tabula, in qua Parrhaſius pinxit *Archigallum*, *quam picturam amavit Tiberius princeps*: *atque*, *ut auctor eſt Decius Eculeo*, *LX. ſextertiis aeſtimatam cubiculo ſuo incluſit*.

Neque vero feminea magis, quam virilis forma, quam imago in noſtro marmore expreſſa praeſefert, contra Georgii ſententiam pugnat. Nam ſatis exploratum eſt, ſacerdotes Cybeles in Attydis memoriam caſtrari conſueviſſe, ut Ovidius (*g*) multis verſibus declarat, & in Ibin haec habet (*h*):

Attonituſque ſeces, ut quos Cybeleia mater
Incitat ad Phrygios vilia membra modos:
Deque viro fias nec femina, nec vir, ut Attys,
Et quatias molli tympana rauca manu.

Et Lactantius (*i*): *Ab iſto genere ſacrorum non minoris inſaniae iudicanda ſunt publica illa ſacra*, *quorum alia ſunt matris Deûm*, *in quibus homines ſuis ipſis virilibus litant*: *amputato enim ſexu nec viros ſe*, *nec feminas faciunt*.

Quinetiam traditum eſt, eos ſuperſtitioſos, ac pene fanaticos ſacerdotes, qui Cybeli ſua virilia litarant, mulierum quoque impudentium cultum, geſtum, inceſſum ſimulaſſe. Hos, ait Apuleius (*k*) *inceſſu perfluo feminam mentiri*; & S. Auguſtinus (*l*): *De mollibus*, inquit, *eidem Matri magnae contra omnem virorum*, *mulierumque verecundiam conſecratis*, *qui uſque in heſternum diem madidis capillis*, *facie dealbata*, *fluentibus membris*, *inceſſu femineo per plateas*, *vicoſque Carthaginis etiam a populis*, *unde turpiter viverent*, *exigebant*, *nihil Varro dicere voluit*, *nec uſpiam me legiſſe commemini*.

Igitur mirandum minime eſt, quod muliebri cultu haec noſtri Archigalli in anaglypho inſculpta imago exhibeatur. Principio enim mitra quidem capil-

(*a*) Vid. Feſt. *de verbor. ſignific.* in v. *Galli*, Ovid. *Faſtor.* lib. IV. v.361. & ſeq.

(*b*) *Ex Telamone* in Ennii fragm. pag. 226. edit. Eſſelii.

(*c*) *Metamorph.* lib. VIII. pag. 256.

(*d*) *De orig. ac ritib. ſac. taurobol.* cap. 11.

(*e*) Vid. Gruter. *Theſ. Inſcript.* pag. XXX. n.2., & pag. CCVIII. num. 7.

(*f*) *Hiſt. nat.* lib. XXXV. cap. 10.

(*g*) *Faſtor.* lib. IV. v.223. & ſeq.

(*h*) Verſ. 453.

(*i*) *Divinar. inſtit.* lib. I. cap. 21. pag. 95. edit. Lenglet.

(*k*) *Metamorph.* lib. IX. pag. 268.

(*l*) *De civ. Dei* lib. VII. cap. 26.

capillos comprimit, quod proprium hominum effeminatorum indicium eſſe Servius ſcribit (*a*): *Quibus*, inquit, *effeminatio crimini dabatur*, *etiam mitra eis adſcribebatur*. Quamobrem Cybeles ſacerdotes ſine mitra numquam prodibant. *Die ſequenti*, inquit Apuleius (*b*), *variis coloribus induſiati*, *&* *deformiter quique formati*, *facie coenoſo pigmento delita*, *&* *oculis obunctis graphice prodeunt*: *mitellis*, *&* *crocotis*, *&* *carbaſinis*, *&* *bombycinis iniecti*; & a Propertio mitrati nominantur his verſibus (*c*):

Qua numeroſa fides, *quaque aera rotunda Cybelles*,
Mitratiſque ſonant Lydia plectra choris.

Porro Archigallus noſter, ſecus ac reliqui ex eodem grege ſacerdotes, tonſis capillis comparet: namque illis prolixa, calamiſtrataque coma erat, ut morem feminarum ſequuti ſe mares non eſſe oſtenderent. Viri enim, ut ait idem Apuleius (*d*), *capillum eraſi funditus*: contra vero Galli *comati* (*e*), *&* *capillati*, ut ex veteribus monumentis conſtat (*f*). Lucanus ita habet (*g*):

. . . . . . *crinemque rotantes*
Sanguinei populis ulularunt triſtia Galli.

Verum dubius haereo, utrum hic omnium Archigallorum mos foret, tonſis capillis uti, an vero Archigallus noſter talis compareat ad ſignificandum capillos Cybeli eum litaſſe, quod ipſi ex voto fauſtum aliquid obveniſſet; idipſum enim Galli omnes voti compotes facti praeſtare ſolebant, ut Lucianus tradit (*h*), & ex Graeco epigrammate Anthologiae Vaticanae a Spanhemio (*i*) primum edito cognoſcitur, quod eſt huiuſmodi:

Ἔνδυτα καὶ πλοκάμους τούτους θέτο Γάλλος ὀρείῃ
Ματρὶ Θεῶν τοίης εἵνεκα συντυχίης.
Indumenta, *&* *crines hoſce dedicat Gallus montanae*
Matri Deûm talem ob eventum.

Sed & apud Suidam (*k*) eodem de more legitur Erycii epigramma, quod deinde ab Holſtenio iterum (*l*), & Reiſchio vulgatum hic exſcribimus:

Γάλλος ὁ χαιτήεις, ὁ νεητόμος ὠπὸ Τυμώλου
Λύδιος ὀρχηστὰς, μάκρ' ὀλολυζόμενος,
Τᾷ παρὰ Σαγγαρίῳ τάδε ματέρι, τύμπανα ταῦτα,
Θήκατο, καὶ μάστιν τὰν πολυαστράγαλον.
Ταῦτα ὀρειχάλκου λάλα κύμβαλα, καὶ μυρόεντα
Βόστρυχον, ἐκλύσας ἄρτ' ἀναπαυόμενος.
Pulchricomus Gallus, *ſpado nuper* *&* *accola Tmoli*,
Saltator Lydus, *multa furens ululans*,
Sangaridi haec poſuit Divorum tympana matri,
Nodoſam *&* *multis aſtragalis ferulam*,
Atque aurichalchi iſta vocalia cymbala, *olentem* *&*
Caeſariem, *a furiis cum data prima quies*.

 Mitrae

(*a*) Ad v. 216. lib. IV. *Aeneid.*
(*b*) *Metamorphoſ.* lib. VIII. pag. 260.
(*c*) Lib. IV. eleg. 7. v. 62.
(*d*) *Metamorph.* lib. VIII. pag. 255., & lib. XI. pag. 361.
(*e*) Vid. Valer. Flac. *Argonaut.* lib. VII. v. 636., Ovid. *Faſtor.* lib. IV. v. 244.
(*f*) Vid. Gruter. *Inſcript. Vettii Syntrophi* pag. CCCVIII. num. 5.
(*g*) *Pharſal.* lib. I. v. 566.
(*h*) *De Syria Dea* §. 60. in fin. To. III. Op. p. 490.
(*i*) In not. ad tit. hymn. Callimachi in Pall.
(*k*) Ad v. Γάλλος.
(*l*) In not. ad Steph. Bizantin. in v. Τύμωλος.

Mitrae impoſitum eſt velum, veloque coronam, quibus inſignibus ſacerdotes decorari ſolebant. Velum in humeros ita defluit, ut maxima capitis parte detecta facile cetera ornamenta conſpicias. Lauream eſſe coronam, non autem oleaginam, ut Winckelmannius arbitratur, ex forma dices. Huius omnino ſimilem coronam, qua caput Ciſtophori Deae Bellonae Pulvinenſis ornatur, aere incidi Gorius curavit (*a*), eamque ex auro in folia attenuato ſic contextam fuiſſe cenſuit, ut laurea videretur. Qua de re Svetonii (*b*) teſtimonium de Domitiano loquentis profert, quod habet hoc modo: *Certamini praeſedit crepidatus, purpureaque amictus toga Graecanica, capite geſtans coronam auream cum effigie Iovis, ac Iunonis, Minervaeque: aſſidentibus Diali ſacerdote, & collegio Flavialium pari habitu: niſi quod illorum coronis inerat & ipſius imago.* Proditum autem ab Athenaeo (*c*) memoriae eſt, Diogenem Cynicum, ut haberetur veluti ſacerdos Virtutis, ab Alexandro petiiſſe, ut ipſi facultatem daret geſtandi χρυσοῦν στέφανον ἔχοντα πρόσωπον ἀρετῆς κατὰ μέσον, *auream coronam habentem Virtutis effigiem in medio*. Atque ex his quidem teſtimoniis colligere etiam fas eſt, ex uſitato tunc more noſtri Archigalli coronam tribus imaginibus diſtinctam eſſe, quarum media, Winckelmannio interprete, Iovem refert, altera, & tertia, utraque cum pileo Phrygio, Attym fortaſſe, & Combabum, in quorum honorem [propterea quod iiſdem veluti Diis cultus adhiberetur] ſacerdotes Deae Syriae ſibi virilia abſcindebant. Lucianus (*d*) Combabi fabulam copioſe explicat. Huius Numinis ſimulacrum ab Hermocle Rhodio inſculptum exſtaſſe Hierapoli in templo Iunonis Aſſyriae ab Stratonice aedificato proditum a veteribus memoriae fuit poſterorum.

Inaures praeterea noſtro Archigallo ſunt. Iis ne dum mulieres, ſed etiam viri ornare aures ſolebant, ut Bartholinus (*e*) demonſtrat. Sed viri imprimis apud barbaras nationes, quae ceteris effeminatiores, mollioreſque fuiſſe videntur. Hinc inaurium uſum Aſiae, totiuſque Orientis populis tribuit Athenaeus ſcribens (*f*): Κατασκευάζουσι δ' ἐξ αὐτῶν ὁρμίσκους τε καὶ ψέλλια περὶ τὰς χεῖρας, καὶ τὰς πόδας περὶ ἃ σπουδάζουσιν οἱ Πέρσαι, καὶ Μῆδοι, καὶ πάντες Ἀσιανοὶ, πολὺ μᾶλλον τῶν ἐκ χρυσίου γεγενημένων. *Ex iis* [unionibus] *fiunt inaures, monilia, & armillae, brachiorum, pedumque ornamenta apud Medos, Perſas, & Aſiaticos omnes pluris aeſtimata, quam quae ex auro conficiuntur.* Sed & Carthaginienſes inauribus utebantur auctore Plauto (*g*), qui huiuſmodi Africanorum morem eleganter irridet. Aeneum praeterea caput aere inciſum vulgavit Comes Caylus (*h*), quod virum exhibet crinibus in feminae morem compoſitis, ornatumque inauribus: quo quidem Africani alicuius caput repraeſentari iudico; licet ille Atellanarum actorem in eo exhiberi putet. Recte igitur huiuſmodi ornatum noſtro quoque Archigallo ſculptor attribuit, qualis ſane Gallos ſacerdotes decebat maxime, quod

(*a*) *Inſcript. Donian.* Tab. 7. pag. 60. & ſeq. in Prooem.

(*b*) In vita Domitiani cap. 4.

(*c*) *Deipnoſ.* lib. v. cap. 13. pag. 211.

(*d*) *De Syria Dea* §. 19. & ſeq. Tom. III. p. 466.

(*e*) *De inaurib. vet.* cap. 6.

(*f*) *Deipnoſoph.* lib. III. cap. 14. pag. 93.

(*g*) *Poenul.* act. 5. ſc. 2. v. 21.

(*h*) Tom. VI. Tab. 87.

quod & Aſiani eſſent, & feminarum habitum, cultumque in omnibus affectarent.

Ex ſerpentibus autem duobus, iiſque aureis, ut colligi ex S. Iſidoro Hiſpalenſi poſſe videtur, in gyrum ductis, gemmamque ſummo ore retinentibus monile Archigalli conſtat. *Hoc etiam* [monile], inquit laudatus Iſidorus (*a*), *& ſerpentum dicitur, quia conſtat ex amphorolis quibuſdam aureis, gemmiſque variis in modum facturae ſerpentis.* Ac illud quidem monile, quod Venus Cadmo, cum is nupſit Harmoniae, dono dederat, ex aureis duobus ſerpentibus confectum fuiſſe Nonnus (*b*) teſtatur: conſimiliaque Athenienſes adoleſcentes geſtare monilia conſueviſſe Euripides tradit (*c*). Aliud praeterea monile a priore diſcrepans Archigallus geſtat. Nam ex cilindris, qui uniones videntur, duplici ordine filo innexis perfectum eſt, atque ex occipitio per utramque mamillam progrediens in imis lateribus deſinit. Ab Aenea quoque ex Ilii caſu, excidioque ſervatum fuiſſe Virgilius ait (*d*)

. . . . *monile*
Baccatum, & duplicem gemmis auroque coronam.

Indeque perſpicuum eſt, Phrygias mulieres eiuſmodi ſeſe monilibus ornaſſe; quod etiam Silius Italicus hoc verſu ſcribit (*e*):

Hic Phrygiam veſtem, & baccatum induta monile.

Huius generis tum illud monile fuiſſe arbitror, quod *margaritis, gemmiſque conſertum* Galba Fortunae ſuae Tuſculanae offerre primum conſtituit, deindeque Veneri Capitolinae dedicavit (*f*); tum *gemmoſa monilia*, quae a Pſyche ſuis ſororibus dono data Apuleius (*g*) memorat. Romanae etiam matronae horum ſimilibus monilibus decorabantur; ut cognoſci ex Lampridio (*h*) poteſt. Nam Alexandri Severi decreto ait: *Matronas regias contentas eſſe debere uno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona, cum qua ſacrificium facerent.* Denique vel ipſos ſacerdotes induere ſolitos eiuſmodi monilia, cum ille Bellonae Ciſtophorus, tum coloſſeum caput, quod in Pontificiis hortis Quirinalibus exſtat, & apud Gorium aere inciſum (*i*), laudatumque a Winckelmannio invenies, plane oſtendunt. Is autem, quem poſtremo loco nominavi, auctor hoc coloſſeum caput eſſe Cybeles putat; Gorius vero ſacerdotiſſae vel Iſidis, vel Cybeles. De veteribus monumentis, in quibus victimae conſimilibus monilibus ornatae conſpiciuntur, dicere praetermitto, ne longior ſim, quam oportet.

Muliebris item eſt Archigalli veſtis, eaque χειροδώτη, latine *manicata*, quam molles, effeminatique homines, ut alio in loco diximus, atque adeo Cybeles ſacerdotes induebant, ut Attym adamuſſim imitarentur. Nam ut Lucianus *de Dea Syria* §. 15. habet (*k*): Ὡς γάρ μιν ἡ Ῥέη ἔτεμε, βίου μὲν ἀνδρήιου ἀπεπαύσατο, μορφὴν δὲ θηλέην ἠμείψατο, καὶ ἐσθῆτα γυναικηίην ἐνεδύσατο,

(*a*) *Orig.* lib.XIX. cap.31.
(*b*) *Dionyſ.* lib.V. v. 135. & ſeq.
(*c*) *Ion.* v. 1427.
(*d*) *Aeneid.* lib. I. v. 658.
(*e*) *Punicor.* lib. VIII. v. 134.
(*f*) Vid. Svecon. in vita Galbae cap. 18.
(*g*) *Metamorph.* lib.V. pag. 148.
(*h*) In vita Alexandri Sever. pag. 128. edit. Pariſ. 1620.
(*i*) *Inſcript. Donian.* Tab 7.
(*k*) Tom. III. Oper. pag. 461.

σατο. καὶ ἐς πᾶσαν γῆν φοιτέων, ὄργιά τε ἐπετέλεε, καὶ τὰ ἔπαθε ἀπηγέετο, καὶ Ῥέην ἤειδε. *A quo enim tempore caſtravit illum Rhea, virilis in eo vita deſiit; ſpecieque permutavit feminea, & veſtem induit muliebrem, & terras omnes pererrans orgiaque peregit, & enarravit, quae paſſus eſt, & Rheam cecinit*. Eodemque Luciano teſte ceteri quoque, qui myſteriis Cybeles initiabantur, ubi evirati fuerant (*a*), ἐσθῆτα οὐκ ἔτι ἀνοχηίην ἔχουσι, ἀλλὰ καὶ εἵματά τε γυναικήϊα φορέουσι, καὶ ἔργα γυναικῶν ἐπιτελέουσι, *veſtitum virilem non amplius habent, ſed & veſtimenta feminea geſtant, & opera mulierum faciunt*. Sed aliam quoque ob cauſſam Gallos *muliebrem ſtolam* στολὴν θηλείην induiſſe Lucianus docet. Nempe advenam mulierem, cum Combabum ſacra cum ſuis una facientem Matri Magnae vidiſſet, ratam ex veſtitu eum eſſe virum, egregia eiuſdem forma captam fuiſſe. Tum ſe ipſam interemiſſe; quod illum eviratum comperiſſet. Id acerbiſſime Combabum tuliſſe, veritumque, ne cuipiam deinceps interitus occaſio eſſet, muliebrem veſtem induiſſe, indeque ad ceteros omnes, qui iiſdem myſteriis initiarentur, eiuſmodi morem manaſſe.

Eſt apud Dionyſium Halicarnaſſaeum (*b*), & apud Euſebium Caeſarienſem (*c*), qui eum ſequutus eſt auctorem, Archigallum Romanum urbem circumcurſare conſueviſſe verſicolori muliebri ſtola indutum πεικίλην ἐνδυδυκὼς στολὴν, ut eius exemplo, ut arbitror, ceteri Galli inſtructi licere ſibi verſicolori quacumque uti veſte ſcirent. Nam, eodem Luciano teſte (*d*), ubi evirati fuerant, ita per urbem circuibant, ut ex quacumque domo, in quam vel fortuito adiſſent ἐκ ταύτης ἐσθῆτά τε θηλέην, καὶ κόσμον τὸν γυναικήϊον λαμβάνει, *ex illa veſtem femineam, mundum muliebrem acciperent*. Itaque, quod multas variaſque forte veſtes, ornatuſque inde ablatos induerent, ab Apuleio (*e*) non ſine irriſu, contemptuque, *vaticinationis crebris mercedibus ſuffarcinati piiſſimi ſacerdotes* nominantur. Verum cum is auctor ſcribat, eum fuiſſe quorumdam Gallorum morem, ut *tunicas albas in modum lanciolarum, quoquoverſum fluente purpura depictas* gererent, & vetus Scholiaſtes (*f*) Iuvenalis ſic habeat: *Galli in ſacris utuntur tunica in modum organi utrimque decreſcentibus virgulis purpureis*; coniiciendum eſt, Dionyſium quoque Halicarnaſſaeum (*g*) de huiuſmodi varietate colorum loquutum fuiſſe.

Ad Archigalli pectus aedicula, cuius frons quadrata cum periſtylio in obtuſum angulum faſtigiata, haeret; ibique Attyos cum pileo Phrygio, muliebrique veſtitu ornata imago exprimitur. Dexterae digitos ad os Attys admovet, ſilentium ſane indicens, ne myſteria, nefandaque ſcelera in honorem Cybeles magnae Matris Deorum ab initiatis in conventu patrata efferrentur. Iam vero non Archigallus modo, ſed etiam ceteri quique vel infimo genere nati Galli huiuſmodi imagunculas pectori affixas geſtabant, ut ex ſupra laudatis Dionyſio Halicarnaſſaeo, Euſebioque Caeſarienſi (*h*) perſpi-

(*a*) Ibi §. 27. pag. 473.
(*b*) Lib. II. c. 19. pag. 88. edit. Oxon. 1724.
(*c*) *Praep. evang.* lib. II. cap. 8. pag. 79.
(*d*) *De Dea Syr.* §. 51. pag. 487.
(*e*) *Metamorph.* lib. IX. p. 273., & lib. VIII. p. 260.
(*f*) Ad verſ. 207. ſatyr. 8.
(*g*) Lib. II. cap. 19. pag. 88.
(*h*) *Praep. evang.* lib. II. cap. 8. pag. 79.

perſpicuum eſt : Περιάγουσιν ἀνὰ τὴν πόλιν οὗτοι μητραγυρτοῦντες ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος, τύπους τε περικείμενοι τοῖς στήθεσι, καὶ καταυλούμενοι πρὸς τῶν ἑπομένων τὰ μητρῷα μέλη καὶ τύμπανα κροτοῦντες. *Totam civitatem circumeunt, ſingulis menſibus ſtipem more ſuo hinc inde corrogantes, imagunculas pectori alligatas geſtantes, tympanaque pulſantes, quos ſequens multitudo materna carmina ad tibiam modulata circumſonat.* Ita Euſebius, iiſdem pene ac Dionyſius verbis. Sed in illa, quam clariſſimus Montfauconius (*a*) vulgavit, Archigalli aedicula praeter Attym Dii repraeſentantur tres, inque ſuperiore eiuſdem parte globuli duo, quorum uterque imaginem Phrygie pileatam exhibet. In imagine vero Laberiae Feliclae, apud Sponium (*b*), & Montfauconium (*c*), ſacerdotiſſae Cybeles forma capitis cuiuſdam pectori affixa cernitur. Quod quidem monumentum Caylus etiam (*d*) accuratius delineatum iterum evulgavit. Huiuſmodi ornatum Winckelmannius *pectorale* eſſe cenſet, quod Graeci προστηθίδιον dicunt. Perſpicuum etiam illud eſt, iſtis imagunculis Gallos privato compendio ſerviſſe. Nam iis inſpectis credulus, ſuperſtitionique deditus populus ſtipem in honorem Matris Deorum emendicantibus Gallis largius porrigebat : quorum nonnulli, Apuleio (*e*), & Luciano (*f*) teſtibus, eiuſdem Deae iconem in eleganti aedicula incluſam, aſelloque impoſitam per vicos, atque caſtella quaeſtus cauſſa circumducebant. Hi Graecorum lingua μητραγύρται, quos *mendicantes Cybeles* (*g*) dicere poſſumus, quandoque vero μηναγύρται, quod ſingulis anni menſibus ſtipem cogerent, appellabantur. Irriſui quidem, contemptuique ſapientibus erant : interea tamen illi impudentes inſatiabili cupiditate lucri improvidorum domos, crumenaſque exhauriebant.

Dextera, ſi adhibenda ſit Winckelmannio fides, quaſi manubrium, cui rami oleae tres infixi haerent, Archigallus tenet. At rectius dices tenere papaver, Cybeles cognitum, ſatiſque exploratum ſymbolum (*h*). Ramuli oleae papaveri inſunt tres aſpergillum ad luſtrationes exhibentes. Simile huius ſaepe laudatus Ciſtophorus Bellonae aſpergillum manu retinet. Novi, etiam ex lauri foliis aſpergilla compoſita fuiſſe (*i*) ; ſed mos erat maxime ut ex oleis perficerentur, quemadmodum complures veteres Scriptores tradunt. Unico Virgilii teſtimonio contentus ero, canentis (*k*) :

Idem ter ſocios pura circumtulit unda
Spargens rore levi ramo felicis olivae,
Luſtravitque viros . . . . . .

Siniſtra concham ſtriatam ab Archigallo geſtari Winckelmannius cenſuit, eaque repraeſentari craterem, qui κέρνος, unde Rhea, ſeu Cybele Κερνοφόρος Θεὰ a Graecis dicitur. Sed caniſtrum rotundum potius, quam con-

(*a*) *Antiquit. expliq.* Tom. I. Par. I. Tab. 4. pag. 14.
(*b*) *Miſcellan. erudit. antiquit.* ſect. 4. p. 150.
(*c*) Ibi Tom. II. Par. I. Tab. 5. pag. 42. n. 4.
(*d*) Tom. I. Tab. 84.
(*e*) *Metamorph.* lib. VIII. pag. 260. &c.
(*f*) *Lucius, ſive Aſinus* §. 37. & ſeq. Tom. II. Oper. pag. 605.
(*g*) Vid. epigram. Alcaei in *Antholog.* lib. I. cap. 23. pag. 269. edit. Megiſer.
(*h*) Vid. Spanhem. *de praeſt., & uſu numiſm.* Diſſert II. pag. 290. & ſeq.
(*i*) Vid. Fabrett. *de column. Traian.* cap. 6. pag. 164.
(*k*) *Aeneid.* lib. VI. v. 229.

concha mihi videtur. Nux pinea potiſſimum in eo comparet, arboris quidem, ſub qua Attys ſibi virilia abſcidit, index (*a*). Reliqua, quae in caniſtro cernuntur poma eſſe amygdalas imperio Cybeles ex Attyos ſanguine natas (*b*) Winckelmannius coniicit; dat tamen poſſe etiam dici varia genera pomorum, quae Rheae, veluti Terrae omnium parenti, offerri ab Ethnicis conſueſcebant. Qua de re Apollonius, ubi Rheam a Iaſone placatam fuiſſe dixit, haec habet (*c*):

Δένδρεα μὲν καρπὸν χέον ἄσπετον, ἀμφὶ δὲ ποσσὶν
Αὐτομάτη φύε γαῖα τερείνης ἄνθεα ποίης.
Arbores uberrimam refundebant frugem: circum pedes autem
Ultro expullulabat herba tenera, & florens.

Quem in locum Apollonii haec a doctis viris animadverſa ſunt: Διὰ τούτου οὐδὲν ἕτερον ὁ ποιητὴς φησὶν, ἢ τὴν τῆς θεοῦ φύσιν, καὶ τοῖς φυσικοῖς, φασὶ, δοκεῖ τὴν αὐτὴν εἶναι τῇ γῇ· τῆς δὲ εὐμενείας σημεῖον τὸ ἔγκαρπα εἶναι τὰ δένδρα, καὶ ποὰς αὐτομάτους φύειν. *Quapropter nihil aliud exprimit Poëta, quam Deae naturam. Phyſici quoque inquiunt, videri eamdem ipſam eſſe terram; benevolentiae autem ſignum fructuoſas eſſe arbores, herbaſque ſponte naſcentes apparere.* Lucretius vero Cybeli praeſertim in Phrygia cultum adhibitum fuiſſe prodidit: quod ibidem ex terra gigni omnia genera fructuum coeperint. Nam inquit (*d*):

Hanc variae gentes antiquo more ſacrorum
Idaeam vocitant matrem, Phrygiaſque catervas
Dant comites, quia primum ex illis finibus edunt
Per terrarum orbem fruges coepiſſe creari.

Sequitur inſpiciendum, quo ſe Galli caedebant, flagrum. Hoc ex tribus oblongis funiculis, inſtructis quidem taxillis ovium, teſte Apuleio, conſtat, hique funiculi ex ſummo manubrio affabre facto pendent. Nam de Gallis agens ita habet (*e*): *Arrepto denique flagro, quod ſemiviris illis proprium geſtamen eſt, contortis taeniis lanoſi velleris prolixe fimbriatum, & multiiugis talis ovium teſſellatum, indidem ſe multinodis commulcat ictibus, mira contra plagarum dolores praeſumptione munitus. Cerneres profectu gladiorum, ictuque flagrorum ſolum ſpurcitie ſanguinis effeminati madeſcere;* paulloque poſt: *Deaque vehiculo meo ſublata, & humi repoſita, cunctis ſtramentis me renudatum, ac de quadam quercu deſtinatum flagro illo pecuinis oſſibus catenato verberantes pene ad extremam confecerant mortem.* Lucianus (*f*) item eiuſmodi flagra ἀστραγάλων μάστιγες *de talis flagella* vocat, & Plutarchus inquit (*g*): ἀστραγαλωταὶ μάστιγες, αἷς τοὺς Γάλλους πλημμελοῦντας ἐν τοῖς μητρῴοις κολάζουσιν, *ex talis compoſito flagello, quo Gallos in Magnae Matris ſacris delinquentes puniunt*: atque horum ſimilia ſunt teſtimonia Euſtathii (*h*), Pollucis (*i*), aliorumque.

Ad

(*a*) Arnob. lib. v. cap. 7. pag. 157. cap. 40. pag. 181. edit. Antuerp. 1582., Ovid. *Metamorph.* lib. x. v. 103.
(*b*) Arnob. loc. cit.
(*c*) *Argonaut.* lib. I. v. 1142.
(*d*) *De rer. nat.* lib. II. v. 610.
(*e*) *Metamorph.* lib. VIII. pag. 261. & 264.
(*f*) *Lucius, ſive Aſin.* §. 38. Tom. II. Oper. pag. 606.
(*g*) *Adverſ. Colotem* Tom. II. Op. pag. 1127.
(*h*) Ad lib. XXIII. *Iliad.* p. 1289. edit. Rom.
(*i*) *Onomaſt.* lib. x. cap. 12. ſegm. 54.

Ad dexterum tabulae latus, ſupra aſpergillum, cymbala vides appenſa duo. Sed de cymbalorum forma ſupra demonſtratum eſt; eaque in ſacris Cybeles pulſari conſueviſſe Adolphus Lampius (*a*), & Pignorius (*b*), veteres Scriptores ſequuti, docent. Ad ſiniſtrum vero latus appenſum eſt tympanum, quod ita deſcribitur a S. Iſidoro (*c*): *Pellis, vel corium ligno ex una parte extentum; eſt enim pars media ſymphoniae in ſimilitudinem cribri*. Hoc quoque inſtrumenti genus attributum Cybeli imprimis fuit, propterea quod Terrae, quam veteres Cybelem dicebant, figuram tympano ſignificari vellent. Itaque in illius ſacris tympanum pulſabant, unde Catullus inquit (*d*):

Tympanum, tubam, Cybele, tua, mater, initia;

& elegantiſſimus Phaedrus hanc fabellam habet venuſtiſſimam (*e*):

Galli Cybeles circum quaeſtus ducere
Aſinum ſolebant baiulantem ſarcinas.
Is cum labore, & plagis eſſet mortuus,
Detracta pelle ſibi fecerunt tympana.

Praeterea ſub tympano inſculptae tibiae duae cernuntur, quarum una recta eſt, altera curva, de quibus alibi egimus. Frequens harum quoque uſus in ſacris Cybeles fuit, ut animi Gallorum furore, quem enthuſiaſmum dicimus, vehementius incitarentur. Adiſis Iamblicum (*f*) imprimis, & qui copioſe de tibiis veterum agit, Bartholinum (*g*). Nos contenti hoc loco teſtimoniis Lucretii, & Catulli erimus. Uterque autem, ne dum tibias, ſed etiam cymbala, & tympana, de ſacris Cybeles agens memorat. Ac Lucretius quidem ita habet (*h*):

Tympana tenta tonant, palmis & cymbala circum
Concava, rauciſonoque minantur cornua cantu,
Et Phrygio ſtimulat numero cava tibia mentes.

Catullus vero (*i*):

. . . . *ſimul ite: ſequimini*
Phrygiam ad domum Cybeles, Phrygia ad nemora Deae,
Ubi cymbalum ſonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo.

Poſtremo ſub tibiis ciſtam myſticam operculo acuminato, cuius faſtigio unus inhaeret globulus, clauſam cernere eſt. Sed faſtigium ciſtae, ad pedes Ciſtophori Bellonae, globulis duobus ornatur. Nemini inſpicere intus ciſtam, neque cuiquam initiatorum, quid in illa occuleretur, efferre licebat. Quam ob cauſſam ciſta *ſecretorum capax*, *penitus celans operta magnificae religionis*, appellata ab Apuleio fuit (*k*). At ubi quiſpiam initiabatur, reſerato operculo, conceptis prolatis verbis, ac turpiter, nequiterque geſticulans, ut enthuſiaſmo ſe incitari oſtenderet, unamquamque rem contrectabat. Quod

 animad-

(*a*) *De cymbalis vet.* lib.I. c.13., lib.II. c.3.
(*b*) *De ſervis* pag.163. &c.
(*c*) *Orig.* lib.3. cap.22.
(*d*) *De Att.* carm.63. v.29.
(*e*) Lib.III. fab. 20.
(*f*) *De myſter.* ſect.3. cap.9.
(*g*) *De tibiis vet.* lib.II. cap.8.
(*h*) *De rer. nat.* lib.II. v.618.
(*i*) *De Att.* carm.63. v.19.
(*k*) *Metamorph.* lib. II. pag.373.

animadverſum a Clemente Alexandrino (*a*), atque ab Arnobio (*b*) fuit; qui cum ex Ethnicorum ſuperſtitione in ſocietatem veniſſent Chriſtianorum, huiuſmodi praeſtigias, ut illos adeo inſignis dementiae puderet, prodiderunt. At Clemens Alexandrinus nonnullas res, quas ciſtae myſticae continebant, recenſet: ſed quaenam eae ciſtae fuerint, quas deſcribit, an Orgiorum Liberi, an Cybeles, an aliorum Numinum, Clemens non tradit. Illas ex iunco contextas, diligenterque ſervatas geſtare aut mulieres, aut viri, prout ſacra poſtulabant, in publicis ſupplicationibus, variiſque dierum ſolemnitatibus conſueſcebant, & qui eas geſtabant, Ciſtophori appellabantur. Cuiuſdam Ciſtophori aedis Bellonae Pulvinenſis [quo etiam nomine Cybele vocabatur] imago in marmorea tabula inſculpta ſervatur in domo Patrum Oratorii Urbis ad S. Mariae aedem in Vallicella, quae tabula reperta eſt anno 1729. in eorumdem Patrum vinea in monte Mario. Is Ciſtophorus multis, quibus noſter Archigallus, inſignis eſt ſymbolis, ut quiſque facile deprehendet huius ſchema, quod noſtra tabula exhibet, conferens cum eius ſchemate, quod in ſuo Inſcriptionum theſauro Muratorius ligno inciſum, aere autem Gorius in Prooëmio in Inſcriptiones Donianas, vulgarunt.

(*a*) *Cohort. ad Gent.* Tom. I. pag. 18. edit. Oxon. 1715.

(*b*) *Adverſ. Gent.* lib. V. cap. 16. & ſeq. pag. 166., & 168.

EXPLI-



EXPLICATIO
TAB. XVII.

MArmoreum, quod haec tabula exhibet, orbiculatum monumentum, cuius medium porphyrites ſimili forma lapis occupat, teſſellata ac variegata faſcia circum ornatus, ſub ambone *Epiſtolae*, ut vocant, templi S. Mariae Arae Caeli olim collocatum, in Muſeum Capitolinum iuſſu Benedicti XIV. P. M. translatum eſt. Infabre quidem ſcalptum, atque impolitum, ſed rebus, quas repraeſentat, inſigne opus. Namque circum orbem inſculpta Achillis vita ab ortu ad illius ſaevum facinus in Hectoris, quem interfecerat, cadaver. Quamobrem profanarum antiquitatum doctrina praeſtantes viri illud maximi fecerunt, & imprimis illo uſus eſt in ſuo in Iliacam tabulam eruditiſſimo commentario Raphael Fabrettus (*a*). Verum is Auctor ſingulas res totidem lignis ſeparatim caelatas ob oculos ponit, uti quoque deinde fecit Begerus (*b*) totidem aereis lamellis inciſas: nos vero una tantum aerea lamina omnes, neque ut illi rudi impolitoque opere, ſed elegantius delineatas, & aequa proportione expreſſas exhibemus. Artificem tamen noſtrum in eo peccaſſe animadvertas volo, quod animum ad hiſtoriam non advertens, exiſtimanſque licere ſibi in orbiculato opere initium, unde vellet, ſumere, rerum ordinem invertit; ad quem reſtituendum unamquamque rem per numeros ordinatim diſtinximus, quos etiam in hac explicatione, effugiendae reprehenſionis confuſioniſque cauſſa, ſequemur.

Igitur *num* 1. Thetis Nerei, & Doridis filia lecto inſidens repraeſentatur, ut inde Achillem, quem Iovi imperanti obſequuta ex Peleo

Tom.IV. I 2 conce-

(*a*) *De columm. Traian.* pag. 355. (*b*) *Bellum, & excid. Troian.* n. 2. & ſeq.

conceperat, editum ab ea in lucem fuiſſe colligas. Qua de re Ovidius ait (*a*):

> *Exhibita eſtque Thetis: confeſſam amplectitur heros;*
> *Et potitur votis, ingentique implet Achille:*
> *Felix & nato, felix & coniuge Peleus.*

Hanc myſtice eſſe explicandam fabellam Fulgentius (*b*) pugnat, eaque ſignificari traditam a veteribus Philoſophis viri perfecti creationem. Nam Πηλὸν Peleum nihil aliud ſignificare, quam lutum, ideſt carnem: Thetidem aquam; ideſt humorem: Iovem vero, qui utrumque creat, atque coniungit, ignem; exque iis inter ſe connexis, atque coniunctis Achillem, ideſt fortem, perfectumque virum prodiiſſe. Pedibus ſubiectum ſcabellum Thetidem eſſe Deam: dimiſſi autem capilli, atque diſcincta veſtis primiparam eamdem indicant; quod is primipararum mos eſſet, ut muliebrem omnem ornatum, ipſamque zonam deponerent, qua virginitatis indice veſtem ſub pectus cingebant. Quo de more illa Oppiani ſunt (*c*):

> Ὡς δ' ὅτε τις κούρη δέκατον περὶ μῆνα σελήνης
> Πρωτοτόκος λοχίησιν ὑπ' ὠδίνεσσι τυπεῖσα
> Λύσατο μὲν πλοκάμους, λῦσεν δ' ἀπὸ δαίδαλα μαζῶν
> Ἠδ' ἀχίτων δείλητε καὶ ἀκρήδεμνος ἐοῦσα
> Στρωφᾶται πάντῃ κατὰ δώματα.
> *Ut autem cum qua puella decimum circa menſem lunae*
> *Primipara, partionis doloribus percuſſa,*
> *Et ſolvit capillos, & diſrumpit ornamenta ab uberibus,*
> *Ac diſcincta, miſeraque, & abſque calantica*
> *Diſcurrit paſſim per aedes &c.*

Similia complures alii veteres Scriptores habent: ac Scholiaſtes (*d*) quidem Apollonii Athenis aedem Dianae Λυσιζώνῃ *diſcingenti zonam* fuiſſe dicatam, ibique zonas huic Deae primiparas conſecrare conſueviſſe tradit. Theocritus de Berenice pariente Ptolemaeum cecinit (*e*):

> . . . . . Εἰλειθυίαν ἐβώσατο Λυσιζώνον;

Lucinam invocavit, quae parturientium zonas diſcingit.

Numero 2. genibus flexis obſtetrix Achillem recens natum abluit. Non eſt opus me de huiuſmodi ritu dicere. De illo egit copioſe Bartholinus (*f*) explicans ſimilem imaginem in cippo ſepulcrali inſculptam, qui extat Romae in aedibus Sacchettorum, aereque inciſus editus fuit a Sancte Bartholo (*g*). In eo tamen haec imago matronam exhibet, in noſtro vero marmore, quod zona cincta, capilliſque nodo ad occipitium collectis appareat, virgo eſſe videretur, niſi obſtetricis officio fungi virginem dedeceret.

Cum Proteus praenunciaſſet fore, ut Achilles praelians ad Troiam occideret, Thetis rata eſt, filium, ſi recens natus ſtygis fluvii aquis immergeretur, perpetuo vulnerum expertem futurum. Itaque *num.* 3. ſenex nympha in amphoram, unde aquae rivus effluit, ſiniſtra innixa, Stygem flu-

vium

(*a*) *Metamorph.* lib. XI. v. 264.
(*b*) *Mytholog.* lib. III. cap. 7.
(*c*) *Cyneget.* lib I. v. 493.
(*d*) Ad v. 288. lib. I. *Argonaut.*
(*e*) Idyl. 17. v. 60.
(*f*) *Expoſ. veter. in puerper. rit.* cap. 2.
(*g*) *Admirand. Rom. antiq.* Tab. 65.

vium exhibet ; nympha , inquam , fortaſſe quod Styx feminei ſit generis ; ſed noſter calchographus contra fidem marmoris ſpeciem expreſſit ſenis viri . Iam vero de Styge Mythologi inter ſe diſſentiunt , an fuerit apud inferos Stygia palus , ut Homerus , & Heſiodus docent , an Styx fons apud Arcades ad Nonacrim ex rupe profluens . Stygem ſuperiorem , Thetidis conſanguineam , hic deſignari , ex eius nymphae lineamentis , ſenilique forma Fabrettus colligit ; Statius vero fuiſſe inferam putat . Ait enim (*a*) :

. . . . ſub inania natum
Tartara , & ad Stygios iterum fero mergere fontes .

Praeterea animadvertendum eſt , Thetidem detento dumtaxat talo dexteri pedis puerulum aquis immergere , ut veteres Poëtae [praeter Statium , qui utroque talo a matre fuiſſe detentum ſcripſit] atque Mythologi narrant . Servius (*b*) quidem tradit , Achillem expertem fuiſſe vulnerum , excepta parte , qua tentus eſt manu matris , cui Hyginus (*c*) , Fulgentius (*d*) , & Scholiaſtes Horatii (*e*) , & Statii (*f*) aſſentiuntur . Ac revera , ut idem Hyginus (*g*) , & Q. Smyrnaeus (*h*) prodiderunt , dextero talo ab Apolline ſub ſpecie Paridis ſagitta ictus Achilles occidit . Verum Apollodorus (*i*) , & Lycophron (*k*) , & Scholiaſtes Ariſtophanis (*l*) aiunt , Achillem a matre igni ſubiectum noctu fuiſſe , maneque ambroſia litum , ut vulnerari numquam poſſet . Similiter , atque Achilli , aliis filiis ſeptem feciſſe Thetidem , idem Scholiaſtes , & Lycophron narrant ; ſed hos interiiſſe , & ob hanc cauſſam Peleum , ne Achilles igne conſumeretur , praecaviſſe . Quonam ex fonte adeo inſigne mendacium Lycophron hauſerit , ſe ignorare Tzetzes ſcribit .

Tali modo Achillem a vulneribus perpetuo liberum futurum exiſtimans Thetis Chironi Centauro Saturni , & Phyllirae filio , quod is doctrina , virtuteque praeſtaret , educandum tradidit . Ac poſt non multo quam natus eſt ei traditum fuiſſe dicerem , ſi vera narrant inditum infanti nomen Achilles διὰ τὸ μὴ θίγειν χείλεσι χιλῆς ὅ ἐστι τροφῆς , *quod non ſuxerit labiis cibum* , ideſt lac , quo pueri aluntur , ut Apollodorus interpretatur (*m*) ; & id colligi quoque ex Tertulliano libro de Pallio (*n*) poteſt , quo loco ſcribit , Achillem *ferarum medullis educatum* fuiſſe ; *unde & nominis conſilium* , *quandoquidem labiis vacaverat ab uberum guſtu* . At Agameſtor Pharſalius in Epithalamio Thetidis alia de cauſſa , ut Scholiaſtes Lycophronis habet (*o*) , Achillem nominatum docuerat : ſcilicet cum Piriſous appellaretur Peleum impoſuiſſe ei nomen Achillis , quod ignis , cui ſubiectum fuiſſe diximus , alterum ei labrum exuſſerit . Quam quidem fabellam , etſi Ptolemaeus Hephaeſtion (*p*) recitet ; tamen grammaticam omnem ethymologiam reiicit , atque a Chirone , ut honorem Achilli praeceptori ſuo haberet , hunc ſibi commendatum Thetidis ac Pelei filium Achillem appellatum cenſet . *Chironis* , inquit , *quoque praeceptor Achilles nominatus* :

(*a*) *Achilleid.* lib.I. v.133.
(*b*) Ad v.57. lib.VI. *Aeneid.*
(*c*) Fab. 107.
(*d*) *Mythol.* lib.III. cap.7.
(*e*) Ad v.12. Od.13. *Epod.*
(*f*) Verſ.133. & 269. lib.I. *Achill.*
(*g*) Loc. cit.
(*h*) *Paralip.* lib.III. v.62.
(*i*) *Biblioth.* lib.III. pag.126. edit. Rom.
(*k*) *Alexandra* v.178.
(*l*) Ad v.1064. Com. , cui titul. *Nubes* .
(*m*) *Biblioth.* lib.III. pag.127.
(*n*) Cap.4. , vid. Stat. *Achill.* lib.I. v.383.
(*o*) Verſ. 178. *Alexandr.*
(*p*) Lib.VII. Vide *Phot. Biblioth.* Cod. 190. pag.490. , & lib. VI. ib.

natus : unde Pelei filius per Chironem ſic appellatus . Thetis itaque *num.*4. illa eſt mulier , quae Chironi Achillem tradit . Apollodorus (*a*) Chironi a Peleo traditum arbitratur , & Pauſanias (*b*) ita pictum Bathyclis manu vidit . Sed quod in noſtro marmore repraeſentatur, congruit cum iis, quae apud Mythologos leguntur , atque imprimis cum Orphei verſibus (*c*) :

Τόφρα καὶ ἡμέτερον κοῦρον Θέτις ἀργυρόπεζα
Νήπιον ἀρτιγένεθλον ἐν ἀγκαλίδεσσι λαβοῦσα
Πήλιον εἰνοσίφυλλον ἔβη, Χείρωνί τ' ἔδωκεν
Εὖ μὲν ἐπισταμένως ἀγαπάζεμεν, ἠδ' ἀτιτάλλειν.
Ut noſtrum puerum Thetis argenteos pedes habens
Infantem nuper editum in lucem in ulnis accipiens ,
Pelium frondoſum aſcendit , Chironique dedit ,
Ut eum ſcite amaret , & nutriret .

A Chirone adeo diligenter Achillem fuiſſe educatum veteres tradunt , ut ex eius praeceptis inſtitutiſque confectus , teſte Pauſania (*d*) , liber exſtet , cuius auctorem nonnulli Heſiodum eſſe velint . Omnibus enim diſciplinis eruditum narrant , ac praeſertim , ut ſcribit Sidonius (*e*) :

Venatu , fidibus , palaeſtra , & herbis .

Venatus , & palaeſtra , ſeu equitatio tantum in noſtro marmore *num.*5. exhibentur ; quod in his plurimum Achilles ſe exercuerit , ut aſſueſceret militiae , qua maxime praeſtitit , operam dare . Occurrit autem inſculptus leo ; quia ceterarum belluarum ferociſſimus, atque generoſiſſimus . Philoſtratus (*f*) in picturis expreſſum ſcribit Chironem fuiſſe, qui dorſo ſuo Achillem geſtans, eum in venatu exercebat ; quod ipſum in noſtro anaglypho exprimitur . Scholiaſtes Apollonii (*g*) hanc de educato Achille a Chirone fabulam profectam a Poëtis Homero poſterioribus cenſet : inquit enim: Ἠκολούθησεν Ἀπολλώνιος τοῖς μεθ' Ὅμηρον ποιηταῖς· ὑπὸ Χείρωνος λέγων τὸν Ἀχιλλέα τραφῆναι. Ὅμηρος δὲ οὐδὲν τοιοῦτο λέγει . *Sequutus eſt Apollonius Poëtas , qui poſt Homerum fuerunt , a Chirone dicens Achillem nutritum eſſe . Homerus autem nihil ſimile dicit .* Nam eius educationem Homerus (*h*) , ac deinde qui eum ſequutus eſt Q. Smyrnaeus (*i*) , facile Phoenici tribuerunt . At minus ſtudioſe laudatus Scholiaſtes Homerum legit . Nam is (*k*) a Chirone in arte medica praeſertim eruditum Achillem fuiſſe indicat , quo loco Eurypilus Patroclum Achillis amicum obteſtatur , ut vulnus ipſius curet : ait autem :

. . . . . . Ἐπὶ δ' ἤπια φάρμακα πάσσε
Ἐσθλά, τά σε προτί φασιν Ἀχιλλῆος δεδιδάχθαι
Ὃν Χείρων ἐδίδαξε δικαιότατος Κενταύρων.
. . . . *Sed lenia medicamenta inſperge*
Bona , quae te aiunt ab Achille doctum eſſe ,
Quem Chiron docuit iuſtiſſimus Centaurorum .

Quam-

(*a*) *Biblioth.* lib. III. pag. 127.
(*b*) *Lacon.* lib. III. cap. 18.
(*c*) *Argonaut.* v. 383.
(*d*) *Boeotic.* lib. IX. cap. 30.
(*e*) *Ad Magn. Felicem* carm. 9. v. 131.
(*f*) *Icon.* lib. II. num. 2.
(*g*) Ad v. 558. lib. I. *Argonaut.*
(*h*) *Iliad.* lib. IX. v. 438. 482. &c.
(*i*) *Paralip.* lib. II. v. 469.
(*k*) *Iliad.* lib. XI. v. 829.

Quamobrem Xenophon (*a*), atque Lucianus (*b*), Homerum quidem ſequuti, cum Phoenicem, tum Chironem Achillis praeceptores dixerunt; quae Statii quoque ſententia eſt. Nam cecinit (*c*):

Non tibi certaſſet iuvenilia fingere corda
Neſtor, & indomiti Phoenix moderator alumni,
Quique tubas acres, lituoſque audire volentem
Aeaciden, alio frangebat carmine Chiron.

Achilles in Scyrum inſulam a Thetide deductus, amictuque muliebri, matris dolo indutus Pyrrha nominatus, unaque cum puellis Deidamiae Lycomedis Regis filiae degens

. . . . . *Lycomedis in aula*
Fraude latens . . . . (*d*):

Deidamiam ipſam compreſſit. De cauſſa, ob quam Thetis eum in Scyro occultandum duxit, deque rationibus, ob quas Achilles & amorem ſuum aliquandiu celavit, & tandem quomodo

Vi potitur votis, & toto pectore veros
Admovet amplexus . . . . .

integro fere primo Achilleidos libro Statius ſcripſit (*e*). Modeſte is amor *num. 6.* oſtenditur. Satis autem cognitum eſt, ex eo concubitu filium conceptum fuiſſe, quem Lycomedes Pyrrhum, Homerus vero Neoptolemum (*f*) dixit, quia, ut ait Servius (*g*), ad bellum ductus eſt puer. At in fabulis numerandum eſt, quod Apollodorus habet (*h*), Achillem annos natum novem, aut, ut inquit Statius (*i*), duodecim generaſſe Pyrrhum. Novum quoque, ac ſingulare commentum Poëtarum dico, Pyrrhum, qui poſt initia belli Troiani natus eſt, in eo bello pugnaſſe, atque Priamum interfeciſſe. Nam, Darete Phrygio teſte (*k*), bellum Troianum annis non amplius decem, menſibus octo, ac diebus duodecim perfectum eſt. Ptolemaeus Hephaeſtion (*l*) tradit nedum Pyrrhum, ſeu Neoptolemum, ſed etiam Onirum, quem in Phocide Oreſtes interfecit, filios Achilli fuiſſe ex Deidamia natos. Sed Homerus (*m*) vult, Neoptolemum ex virgine captiva genitum Achilli, cum is Scyrum cepit; qua de re, ut nonnulli putant, ſunt illa Homeri (*n*):

Σκῦρον ἑλὼν αἰπεῖαν Ἐνυῆος πτολίεθρον.
Scyrum cum cepit altam Enyei oppidum.

Euſtathii tamen probabilior opinio eſt, Homerum de Scyro urbe Phrygiae, non vero de Scyro inſula loquutum fuiſſe; nam illam Enyeus, hanc Lycomedes tenebat. Itaque tum Scyri inſulae imperio Achillem potitum fuiſſe, cum ſibi maritimas urbes duodecim comparata claſſe ſubiecit, de quibus urbibus alio in loco Homerus (*o*) proponit. Demum admonendum puto diſcrepantem

(*a*) *Conviv.* pag.897. edit. Leunclav.
(*b*) *Dialog. mortuor.* num.15. Tom.I. p.399.
(*c*) Lib.v. ſilv.3. v.191., & lib.II. ſilv.1. v.88.
(*d*) Stat. *Achilleid.* lib.I. v.45.
(*e*) Lib.I. v.642. ib.
(*f*) Vid. Pauſan. *Phocic.* lib.x. cap.26.
(*g*) Ad v.263. lib.II. *Aeneid.*
(*h*) *Biblioth.* lib.III. pag.127.
(*i*) *Achilleid.* lib.I. v.395.
(*k*) *De excid. Troiae* cap. ult.
(*l*) Lib.III., vid. *Bibl. Phot.* Cod.190. p.478.
(*m*) *Iliad.* lib. XIX. v.326.
(*n*) Ibi lib. IX. v.664.
(*o*) Ibid. v.328.

pantem eſſe tum de capta ab Achille Scyro, tum de eius cum Deidamia nuptiis, Philoſtrati (*a*) opinionem: atque Conſtantinum Manaſſem cenſere (*b*), Neoptolemum neque ex Deidamia, neque ex virgine in Scyro captiva, ſed ex Hippodamia, ſeu Briſeide Achilli natum. At Manaſſi, cum teſtimonium veterum Scriptorum nullum proferat, non eſt adhibenda fides.

Graeci a Calcanthe augure moniti, numquam futurum, ut Troiam caperent, niſi Achilles, qui in Scyro inſula muliebri indutus veſtitu, ut docuimus, latebat, ipſis praeſto eſſet (*c*); eo Ulyſſem, qui virum inde abducat, quam celeriter mittunt. Ubi in inſulam Ulyſſes pervenit, rebus, quas regiis puellis dono offert, gladium, ſcutum, aliaque arma de induſtria interiicit; hiſque incaute Pyrrha arreptis, ſe eſſe Achillem prodit. Igitur *num.*7. repraeſentantur & Ulyſſes eius rei cauſſa exſultans, & Deidamia reſiſtens, retinenſque Achillem, & Agyrtes iuſſu Ulyſſis tubae ſonitu Achillem excitans, incendenſque ad bellum (*d*). Athenion quoque Maronites (*e*) celebris imprimis pictor, *Achillem virginis habitu*, ut ait Plinius, *occultatum*, *Ulyſſe deprehendente*, expreſſit, idque cum in anaglypho, quod exſtat in ea villa Panfiliorum, quam vocamus *Belreſpiro*, tum in altero, quod exſtat Tuſculi in villa Burgheſiorum, quae dicitur *Belvedere*, exhibetur; atque hoc poſtremum aere inciſum in fronte praefationis veterum monumentorum a Winckelmannio cl. viro vulgatum eſt. In noſtro Capitolino monumento Deidamia brachium Achillis arripit, abeuntemque remorari conatur; at in Burgheſio Deidamia ad illius pedes ſubmiſſa flexis genibus, & loco Agyrtis mulier lyram pulſans. De occaſione, quam nactus Ulyſſes fuit, iis puellis dona ut daret, deque ratione, qua Achillem abduxit, copioſe Statius in ſecundo Achilleidos libro, & Philoſtratus iunior (*f*) in ſupplemento imaginum primo capite agunt. Huiuſmodi hiſtoria Homerum omnino latuit, ut Euſtathius (*g*) diligentiſſimus Scholiaſtes operum eiuſdem Poëtae animadvertit, inquiens: Τὴν μέν τοι ἐν Σκύρῳ κρύψιν τοῦ Ἀχιλλέως, καὶ τὴν θηλυστολίαν, καὶ τὴν ἐν τῇ γυναικωνίτιδι διαθαλάμευσιν, καὶ τὸν ἐκ τοῦ Ὀδυσσέως ἔλεγχον, παντελῶς ἀγνοεῖ ὁ ποιητής. *Latebras autem Achillis in Scyro, & veſtitum illum muliebrem, illamque in gynaeconitide commorationem, & totam rem Ulyſſis opere detectam, penitus ignorat Poëta.* Pauſanias in eadem opinione verſatur vigeſimo ſecundo capite lib. I., quo loco expreſſum a Polignoto pictore Achillem ſimul cum puellis Lycomedis narrat. Quamobrem Philoſtratus (*h*) non modo obſcuram, ſed prorſus falſam eſſe eiuſmodi narrationem ſcribit. Ac Homerus (*i*) quidem a Peleo Achillem ad Agamemnonem miſſum fuiſſe cecinit:

. . . Ἐκ Φθείης Ἀγαμέμνονι πέμπε
Νήπιον, οὔπω εἰδόθ' ὁμοιΐου πολέμοιο.

. . . *Ex Phthia Agamemnoni miſit*
Infantem nondum peritum communiter pernicioſi belli.

Troiam

(*a*) *Heroic.* cap. 19. §.3.
(*b*) *Compend. Chron.* pag.29. edit. Pariſ.
(*c*) Stat. *Achill.* lib.I. v.493. &c.
(*d*) Idem ibid. lib.II. v.200.
(*e*) Plin. lib. XXXV. cap.11.
(*f*) *Iconeſ.* cap.1.
(*g*) Ad v. 664. lib. IX. *Iliad.* pag.782. edit. Rom.
(*h*) *Heroic.* cap.19. §. 3.
(*i*) *Iliad.* lib. IX. v. 439.

Troiam Achilles oppugnaturus cum veniſſet, prae ceteris Graecorum ducibus virtute, rebuſque geſtis ſic excelluit, ut demum Hectore Priami Regis ſilio interfecto, potentiſſimae, nobiliſſimaeque urbis excidii cauſſa fuerit. Fortiſſimum eum virum ſingulari praelio ab Achille interfectum fuiſſe Homerus tradit (*a*). Nam cum Polydorum fratrem ſuum pene eviſceratum iacere ad urbis portam vidiſſet [*num.*8.], impetum in Achillem illius interfectorem fecerat. Ea porta Scaea fuit (*b*), ut idem Homerus teſtatur. Inſculpta hic ab artifice ei portae proxima ſenis figura paluſtrem arundinem dextera tenens; ſiniſtroque brachio in urnam incumbens, Scamandrum fluvium repraeſentat: tegitque pileo phrygio caput, quia ad Phrygiam pertinet. Sed in noſtra tabula pileum, temere quidem, inciſum non fuit. Homero auctore, is fluvius, qui Scamander ab hominibus vulgo nominabatur, a Diis ſingulari vocabulo dicebatur Xanthus (*c*):

Ὃν Ξάνθον καλέουσι Θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον

Quem Xanthum vocant Dii, homines autem Scamandrum,

quaſi Homerus utpote *a Muſis enutritus*, [ut Euſtathius adnotat (*d*)] *divina quoque percepiſſe credatur, & peculiarem Deorum linguam intelligat*: Μουσοτραφὴς ὢν, οἶδε καὶ τὰ θεῖα, καὶ τῆς τῶν θεῶν ἐπαΐει διαλέκτου. Sed contra a Dione Chryſoſtomo (*e*) hinc potius reprehenditur, quod praelicenter linguas non Graecorum modo, ſed etiam Deorum confuderit.

Nono, eoque poſtremo *numero* Achilles maxima atrocitate in Hectoris cadaver propalam ſaeviens repraeſentatur. Qua de re Homerus hos verſus pronunciat (*f*):

Ἠρὰ καὶ Ἕκτορα δῖον ἀεικέα μήδετο ἔργα,
Ἀμφοτέρων μετόπισθε ποδῶν τέτρηνε τένοντε
Ἐς σφυρὸν ἐκ πτέρνης, βοέους δ᾽ ἐξῆπτεν ἱμάντας,
Ἐκ δίφροιο δ᾽ ἔδησε· κάρη δ᾽ ἕλκεσθαι ἔασεν·
Ἐς δίφρον δ᾽ ἀναβὰς, ἀνά τε κλυτὰ τεύχε᾽ ἀείρας
Μάστιξέν ῥ᾽ ἐλάαν, τὼ δ᾽ οὐκ ἄκοντε πετέσθην.

Dixit, & in Hectorem divum indigna molitus eſt opera,
Amborum pone pedum perforavit nervos
Ad talum uſque a calcaneo, bovinaque appendit lora,
Ex curru autem ligavit, caputque trahi ſivit;
In currum autem aſcendens, ſupraque inclita arma elevans
Flagellabat, ut impelleret: hi autem non inviti volabant.

Nominabantur hi equi, quibus utebatur Achilles, Xanthus, & Balius, ſeu Lampus, quos Thetidi, dum nupſit Peleo, Neptunus dono dederat, teſte Scholiaſte Lycophronis (*g*): eorumque ſingularem, aut mirificam, ut

(*a*) *Iliad.* lib. xx. v.418.
(*b*) Idem ibid. lib.xxii. v.5.
(*c*) Idem lib. xx. v.74.
(*d*) Ad v.403. lib.I. *Iliad.* p.124. edit.Rom.
(*e*) Orat.11. p.157. edit. Frid. Morell. 1604.
(*f*) *Iliad.* lib. xxii. v.395.
(*g*) Ad v. 178. *Alexandr.*

ut inquit Philoſtratus (*a*); velocitatem idem Homerus alibi ita expreſſit (*b*):

Ξάνθον, καὶ Βαλίον, τὼ ἅμα πνοιῇσι πετέσθην;
Xanthum, & Balium, qui duo aeque ac venti volabant.

Vetus marmor aere inciſum apud Montfauconium (*c*) Achillem repraeſentat, qui inexorabilis quadrigis, non autem bigis alligatum Hectoris corpus raptat. Ac ſunt nonnulli quidem Poëtae, qui ab Homero diſcrepant, ut Ennius, qui ait (*d*):

Vidi, videreque paſſa ſum aegerrime
Hectorem curru quadriiugo raptarier.

Itaque quadrigis alligatum Hectorem in illa quoque eleganti ara videre eſt, quae cum Romae originem, atque initia exhibet, tum res nonnullas geſtas, quas Homerus memoriae mandavit poſterorum. Quod ſane praeclarum, Veſpaſiano Imperatore affabre factum, rebuſque, quas repraeſentat, inſigne opus cum plerique veteres novique Scriptores aut aere inciſum vulgaſſent, aut maiorem in modum in ſuis libris celebraſſent; poſtremo Horatius Orlandius vir cl., inque vetuſtatis eruditione praeſtantiſſimus, ut Emo Cardinali Caſalio tunc temporis Gubernatori Urbis, qui eodem monumento, nunc in Muſeo Vaticano exſiſtente, potiebatur, morem gereret, quam diligentiſſime, copioſiſſimeque explicavit. Iam vero noſtri marmoris Sculptor, qui Homerum ſequutus eſt, Achillem ſuper bigam fingens, ab Homero inde diſcedit exprimens qua ratione, & quo loco interfectum Hectorem raptavit Achilles. Etenim Homerus narrat caput tantum Hectoris extra currum protenſum, & eius cadaver pulvere, & ſanie inquinatum, recta a porta Scaea, quo loco ille occidit, ad naves (*e*) ab Achille raptatum:

Νῦν δ' ἄγ' ἀείδοντες Παιήονα κοῦροι Ἀχαιῶν
Νηυσὶν ἔπι γλαφυρῇσι νεώμεθα, τὸν δὲ ἄγωμεν.
Nunc autem age canentes Paeana iuvenes Achivorum
Naves in concavas redeamus, hunc autem ducamus:

deindeque idem Homerus ter (*f*) circum Patrocli ſepulcrum tractum fuiſſe confingit. Contra vero Sculptor totum corpus protenſum extra currum, circumque Troiae muros raptatum exprimit: Virgilium forte ſequutus, qui ait (*g*):

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros.

Similia apud Pentadium (*h*) in Epitaphio Hectoris, & apud Pindarum Thebanum in Iliadis ſynopſi latine ſcripta leguntur; hic enim inquit (*i*):

. . . . . *Dum talia magnus Achilles*
Ore truci iactat, vitam miſerabilis Hector
Reddidit: hunc animo nondum ſatiatus Achilles
Alligat ad currum, pedibuſque exſanguia membra
Ter circum muros victor trahit.

His

(*a*) *Heroic.* cap.19. §. 10.
(*b*) *Iliad.* lib. XVI. v.148.
(*c*) *Antiq. expliq. ſuppl.* Tom. IV. Tab.36.
(*d*) Vid. *Ennii fragm.* collecta a Hieronymo Column. pag. 239. edit. Eſſel.
(*e*) *Iliad.* lib. XXII. v.390.
(*f*) Ibi lib.XXIII. v.12., & lib.XXIV. v.15.
(*g*) *Aeneid.* lib.I. v. 487.
(*h*) Vid. *Antholog. Latin.* Petri Burman. Secundi Tom.I. epigr. 102.
(*i*) Poſt *Iliad. Homer.* Baſil. editam a Iohan. Spondano pag.442. circ. fin.

His conſonat Quintus Smyrnaeus (*a*): is enim citharoedum quemdam Troiani belli geſta canentem inducens, inter cetera commemorat

. . . . . . ἠδ' ὅσ' Ἀχαῖοι
Μαρνάμενοι μετὰ μῆνιν Ἀχιλλέως ἔργα κάμοντο·
Ἕκτορα δ' ὡς εἴρυσεν ἑῆς περὶ τείχεα πάτρης.
. . . . . . *tum quas Achivi*
Res geſſerint praeliando poſt commotam Achillis iram,
Utque Hectorem circa patriae ipſius moenia raptarit.

Euripides item (*b*) in Tragoedia, quae *Andromacha* inſcribitur, Hectorem circa Iliacos muros raptatum finxit, dum Andromacham ipſam ſic loquentem in ſcenam producit:

Καὶ τὸν ἐμὸν μελέας πόσιν Ἕκτορα· τὸν περὶ τείχη
Εἵλκυσε διφρεύων παῖς ἁλίας Θέτιδος.
Et meum miſerae maritum Hectorem, quem circa murum
Aurigans traxit filius marinae Thetidis.

Tandem Hyginus (*c*) in Fabula, cui titulum praefixit *Hectoris lytra*, eamdem ſequutus eſt ſententiam: ait enim quod poſtquam Achilles Hectorem occidit *adſtrictum ad currum traxit circa muros Troianorum*. Figura, quam ſupra muros Troiae adſtantem elata ſiniſtra, phrygioque pileo obtecto capite vides, Priamum repraeſentari Begerus contendit, Theſauri Brandenburgici Tomo tertio (*d*), quo loco rem eamdem ſic in vetere lucerna expreſſam declarat, noſtroque monumento confirmat.

Poſtrema figura Victoriam, quae ante Achillis bigas currit *pexo crine*, ut Prudentius (*e*) irridens Symmachum ſcribit, *nudo ſuſpenſa pede*, & *tumidas fluitante ſinu veſtita papillas*, repraeſentat; quam tamen dicere etiam *ſtrophioque revinctam* ſcabrities, conſumptioque marmoris prohibet. Tali modo ante currus Imperatorum Victoria currens in nummis videtur, index regreſſus illorum parta victoria. Dextera coronam, ut affingi ſolet, ſiniſtra palmam tenet, & ad humeros ingentibus alis inſtructa eſt, de quibus Pacatus (*f*) in panegyrica oratione ad Theodoſium: *Recte profecto*, inquit, *germana illa pictorum, poëtarumque commenta Victoriam finxere pennatam*: *quod hominum cum fortuna euntium non curſus eſt, ſed volatus*. Illud autem hoc loco animadvertendum eſt, aligeram a veteribus Victoriam ob eam quoque cauſſam dictam fuiſſe, quod alae ſint ſymbolum velocitatis, qua ex una in aliam nationem, gentemque Victoria demigrat; veluti a Troianis ad Graecos, praeſertim ubi Hector (*g*)

Occubuit telo violenti victus Achillis;

nam, ut Pentadius ſcribit:

Occubuere ſimul ſpeſque, ſaluſque Phrygum.

 Quam-

(*a*) *Paralip.* lib. XIV. v. 132.
(*b*) Verſ. 107.
(*c*) Fab. 106.
(*d*) Pag. 453.
(*e*) *Contr. Symmach.* lib. II. v. 36.
(*f*) Cap. 39. *in Collect. Panegyr. vet.* edit. Patarol. Paneg. 13.
(*g*) Vid. Pentad. loc. cit.

Quamobrem Athenienſes, teſte Pauſania (*a*), ſimulacrum ſine alis Victoriae, ne ab ipſis umquam abſcederet, dedicarunt. Palma vero ita proprium Victoriae eſt ſymbolum, ut Apuleius ſecundo Metamorphoſeon libro, quo loco Byrrhaenianas aedes deſcribit, palmarem illam appellet Deam (*b*): *Atria*, inquit, *longe pulcherrima columnis quadrifariam per ſingulos angulos ſtantibus attollebant ſtatuas Palmaris Deae*. Denique corona, quam dextera geſtat, debitum victori praemium deſignat; quare Ovidius ſic Auguſtum affatur (*c*):

Sic adſueta tuis ſemper Victoria caſtris
Nunc quoque ſe praeſtet, notaque ſigna petat,
Auſoniumque Ducem ſolitis circumvolet alis,
Ponat & in nitida laurea ſerta coma.

(*a*) *Laconic.* lib. III. cap. 15.

(*b*) *Metamorph.* lib. II. pag. 39. edit. ad uſum Delphini.

(*c*) *Triſt.* lib. II. v. 169.

EXPLI-



EXPLICATIO
TAB. XVIII.

Simulacra Deorum ex provinciis, quarum imperio potiebantur, conſueviſſe Romanos exportare in Urbem, propriiſque ſubactarum nationum ſacris, atque caerimoniis colere, oſtentandae religionis cauſſa, atque ut memoriae ſempiternae traderent victorias ſuas, clarum apud hiſtoricos teſtatumque eſt, ac pene innumeris exemplis comprobatum. Atque Aurelianus quidem, ut ceteros praetermittam Imperatores, victa Zenobia Regina, Palmyraque everſa [quae urbs, etſi deſerto, fertili tamen, amoenoque loco, unius fere diei iter ab Euphrate diſtans, vetuſtate, opibus, magnificentia aedificiorum florebat] inde Solem, ac Lunam tutelares Palmyrenorum Deos, praeclaro eorum templo magnam partem a militibus depopulantibus deſtructo, Romam deduxit. Verum paullo poſt, Aureliani iuſſu, quod is admodum religioſe, ut ex multis illius nummis colligitur, eoſdem Deos veneraretur, reſtitutum templum ſingulari magnificentia fuit. Ex cuius veſtigiis, atque ruderibus, quae his quoque temporibus exſtant, Davvkinus, atque Woodius cll., atque doctiſſimi Angli quaſque eiuſdem templi partes maxima diligentia, atque elegantia delineatas, tabuliſque aereis XVIII. inciſas vulgarunt. Leguntur apud Flavium Vopiſcum (*a*) de reſtituendo Palmyreno templo Solis Aureliani ad Ceionium Baſſum litterae. Scribit autem ſe a Senatu petiturum, *ut mittat Pontificem, qui dedicet templum*. Quinetiam Romae, poſtquam ſpecioſiſſimum triumphum exhibuit, *templum magnificentiſſimum*, ut idem ait Vopiſcus (*b*), exaedificavit, atque in eo imagines Solis, & Beli Palmyra exportatas collocandas curavit, Zoſimo teſte (*c*), qui

(*a*) In vita Aureliani pag. 219. edit. in fol.
(*b*) Ibid. pag. 217., & 222.
(*c*) *Hiſtor.* lib. I. In vita Aureliani cap. 61. pag. 99. edit. Cellar.

qui ſcribit : Ἐν τούτῳ καὶ τὸ τοῦ Ἡλίου δειμάμενος ἱερὸν μεγαλοπρεπῶς, τοῖς ἀπὸ Παλμύρας ἐκόσμησεν ἀναθήμασιν Ἡλίου τε καὶ Βήλου καθιδρύσας ἀγάλματα. *Tunc & templum Solis magnifice conſtructum, donariis, quae Palmyra ſecum advexerat, ornavit, collocatis in eodem Solis, & Beli ſimulacris.*

Quidni igitur ſuſpicari cuiquam liceat inter ea donaria fuiſſe anaglyphum in hac Tabula XVIII. expreſſum ? Quis vetat coniicere, quod Palmyra Romam Aurelianus illud detulerit ? Nam ex inſcriptione Palmyrena, atque ex anno item Palmyreno, qui in ea notatur, intelligi par eſt ab homine Palmyreno, multo ante vaſtatum Palmyrenum Solis templum, poſitum eiuſmodi votivum monumentum fuiſſe. Sed quo loco, aut quo tempore repertum Romae fuerit vetuſtiores, novoſque omnes Antiquitatum Scriptores latet. Scribunt Gruterus (*a*), & Sponius (*b*) [is omnium primus iconas, ille inſcriptiones vulgavit] exſtaſſe in hortis Cardinalis Carpenſis prope veſtigia, quae uſque adhuc ſuperſunt, templi Solis. Verum in Codice Vaticano 3439. pag. 122. , ubi delineatum cernitur : *Ex hortis Matthaeiorum Tranſtyberinis ad vineam Carpenſem* deductum fuiſſe legimus ; & Iohannes Seldenus in hortis Farneſiis collocat (*c*). Capitolini vero Indicis Auctor ex hortis Iuſtinianeis prope Lateranum fuiſſe delatum in Muſeum Capitolinum iuſſu Benedicti XIV. P. M. notat, quod docet etiam appoſitus ſubter illud titulus. Ac in edito quidem Iuſtinianeo Muſeo huius anaglyphi icones ſine inſcriptionibus aere inciſae occurrunt nulla ex parte eliſae ; contra Sponius eliſas edidit. Quam fortaſſe ob cauſſam idem unum anaglyphum, quod huc atque illuc exportatum eſt, & varie, ut variis ipſius poſſeſſoribus libuit, reſtauratum, duo fuiſſe conſimilia anaglypha Montfauconius putavit.

Iam vero repraeſentatur in hoc celeberrimo anaglypho quoddam ſacellum, cuius epiſtylium capitulis corinthiis, ſtriatiſque paraſtadis ſuſtinetur ; tympanum corona laurea, faſciolaque colligata ; faſtigium, concha, latera, ſive anguli extrinſecus conchiliis turbinatis ornantur. In area ſacelli icones duae, mediaque arbor. Iconum una circumligatis capillis diademate more barbararum gentium, ſuccincta brevi tunica, ſuperpoſita veſte manicata uſque ad cubitos, pedibus calceatis, atque femoralibus protentis ad talos conſpicitur. Altera etiam capillis diademate vinctis radiatam coronam habet in capite, corniculatam lunam poſt humeros, thoracem, chlamydem militarem, gladium, telum. Cum dexterum utrique brachium deeſſet, iudicio, arbitrioque refectoris viciſſim cedunt manum. Sed aliter quidem Smetii aetate reſtaurata brachia fuiſſe Gruterus prodit (*d*). Nam *prior*, inquit, *criſpo crine, teniatus, ſuccinctus, deinde indutus alia veſte, ut carala, bracchatus laxe, ſiniſtra falcem ad pinum, quae inter eos media ſtat, tenens*. In baſe inſculptae inſcriptiones duae, quarum inferior Palmyrena eſt, ſuperior Graeca, quae ſic habet :

ΑΓΛΙ-

(*a*) Pag. 86. num. 8.
(*b*) *Miſcell. erud. antiquit.* ſect. 1. art. 1. p. 1.
(*c*) *De Diis Syris* ſyntagma 2. cap. 1.
(*d*) Loc. cit.

ΑΓΛΙΒΩΛΩ ΚΑΙ ΜΑΛΑΧΒΗΛΩ ΠΑΤΡΩΙΣ ΘΕΟις
ſic
ΚΑΙ ΤΟ ΣΙΓΝΟΝ ΑΡΓΥΡΟΥΝ ΣΥΝ ΠΑΝΤΙ ΚΟΖΜΩ ΑΝΕΘΗκε
Λ. ΑΥΡ. ΗΛΙΟΔΩΡΟΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟΣ
ΠΑΛΜΥΡΗΝΟΣ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΥΠΕρ
ΣΩΤΗΡΙΑΣ ΑΥΤΟΥ ΚΑΙ Τ̅ ΣΙΜΒΙΟΥ ΚΑΙ Τ̅ ΤΕΚΝΩΝ
ΕΤΟΥΣ Ζ. Μ. Φ. ΜΗΝΟΣ ΠΕΡΙΤΙΟΥ

& quam latine vertere licet hoc modo:

Aglibolo, & Malachbelo Patriis Diis
etiam ſimulacrum argenteum cum omni ornatu poſuit
L. Aurelius Heliodorus filius Antiochi Hadrianus
Palmyrenus ſuo ſumptu
pro ſalute ipſius, & uxoris, & filiorum
anno DXLVII. menſe Peritio

Porro hinc ſatis explorate intelligitur, eas eſſe iconas Agliboli, & Malachbeli Deorum tutelarium Palmyrenorum, quos aeſtivum, & hiemalem Solem nonnulli, teſte Grutero, exiſtimarunt. Verum valde probabilis, conſenſuque litteratorum firmata opinio eſt, duos illos Deos eſſe Solem, & Lunam; quae opinio variis, interque ſe diſcrepantibus ſymbolis in anaglypho expreſſis comprobatur. Ac nationem quidem nullam in oriente fuiſſe intelligo, quae non propriis gentis ſuae vocabulis Solem, & Lunam coleret. Emyſſeni Eliogabalum, & Elagabalum nominarunt Solem. Quare minime mirandum eſt a Palmyrenis appellatum fuiſſe Aglibolum, ut in hac inſcriptione, & Iaribolum, ut in aliis duabus, quas ſupralaudati Angli Palmyrae exſcripſerunt (*a*). Claudius Salmaſius in Vopiſcum (*b*) de Diis agens Palmyrenorum, Solem dixit Malachbelum, ſed falſo putans in noſtra inſcriptione primo legi hoc nomen, deinde Aglibolum; neque animadvertit, a Zoſimo Solem primo nominari, tum Numen alterum, & Beli nomen huic adſcribi.

Qui autem requirunt, unde vocabulum Aglibolus ducatur, & quae in eo vis inſit ad ſignificandum Solem, magnopere inter ſe diſſentiunt. Gerardus Voſſius (*c*) eſſe vocem Arabicam cenſuit, ſignificareque aut quidpiam, quod ſemper meditari oporteat, aut *rotundum dominum*. Atque etiam Iohannes Seldenus in libro, qui *de Diis Syris* inſcribitur (*d*), *Agol-*

(*a*) Vid. *Les ruines de Palmyre* p.27. n.6. & 9. Vid. Murator. *Nov. theſ. inſcr.* pag.558. n.1.

(*b*) In not. ad vit. Aureliani p.370. & 377. edit. in fol.

(*c*) *De origine, & progreſſu idololatr.* lib. I. cap. 26.

(*d*) Syntagm. 2. cap. 1.

Agolbaal Arabicum nomen, Iovem rotundum, ſive circularem interpretatur; atque ab Emyſſenis in Alagabalum, & in Eliogabalum, a Palmyrenis vero, qui Emeſſa prope aberant, in Aglibolum commutatum dicit, tributaque haec nomina fuiſſe Soli. Contra plerique Graecum eſſe vocabulum volunt, ut Maſſavallius, qui ex vocibus αἴγλην βάλλειν, *ſplendorem emittere*; & Sponius (*a*), qui ex vocibus αἰγλήεις, Βῆλος *lucidus Belus*, mutata littera *e* Aglibeli in litteram *o* Agliboli, Solem, quia fulget, dictum eſſe Aglibolum contendunt. Et ſane, teſte locuplete Heſychio (*b*), Apollinem αἰγλητὴν *lucidum* nominatum fuiſſe ſcimus: *Et apud Aſſyrios*, ut Servius (*c*) animadvertit, *Bel dici quadam ſacrorum ratione & Saturnum, & Solem.*

Quod autem pertinet ad vocem Iaribolus, qua etiam uſi ſunt Palmyreni, ut diximus, ut Solem nominarent, ſic eam poſſumus interpretari, ut ex ἴαρ, ſive εἴαρ, aut ἔαρ, atque ex βάλλειν compoſita, quod ex Heſychio colligimus (*d*), vernam, eamque ceteris vetuſtiorem Solis aetatem indicet. Quid enim pulchrius, quid aptius verno Sole, cuius temperato calore cum omnia tunc gignantur, atque augeſcant; nonne quiddam in eo ineſſe divinum videtur? Nonne verno tempore mundus, qui receſſu Solis tenebris obtectus, omnique ornatu deſtitutus iacebat, iterum naſcitur, ſplendeſcit, floret? Sellerius (*e*) autem cenſet, Iaribolum ſignificare *dominum Lunae*, idemque Numen fuiſſe, quod una cum Venere Aphacenſe, ideſt Luna colebatur (*f*). Aſt alia omnino fuit Halleyi (*g*) de huius nominis ſignificatione ſententia. Cenſuit enim ille non Solem, ſed Lunum Deum fuiſſe numen Palmyrenorum Iaribolum; propterea quod inter hanc vocem, & eam, qua nunc plerique orientales populi ad Lunam indicandam utuntur, affinitatem aliquam ſibi viſus eſt deprehendere. Halleyanam tamen opinionem, utut ingenioſam, oppugnavit Smithius (*h*), licet & ipſe in hac explicatione feliciter parum proceſſerit. Nos quaeſtionem omnem de huiuſce vi ac poteſtate vocis ultro praetermittentes, id unum adiungimus, Iariboli nomine Solem longe veriſimilius ſignificari; quippe quod ad Agliboli nomen, quam ad alterum Malachbeli propius accedit; quo quidem, ut deinceps patebit, ex communi eruditorum conſenſu, Deum Lunum indicare Palmyreni conſueverunt.

Agliboli in hoc anaglypho veſtitus ſimilis eſt illius, quo Sol ſpecie quidem humana expreſſus, indutus cernitur in ara item Palmyrena, quae teſte Hadriano Relando (*i*) exſtabat in villa Boſia, deinde, ut ſcribit Gruterus (*k*) in hortis Matthaeiorum, & quae etiam nunc in Muſeo Capitolino ſervatur. Quamobrem exiſtimandum eſt, Solem tali modo exprimi a Palmyrenis conſueviſſe. Emyſſeni lapidem informem Solem fecerunt Deum: alii aliis, iiſque

(*a*) *Miſcell. erud. antiqit.* pag.2.
(*b*) *In Lexic.* v. Αἰγλήεντος.
(*c*) Ad verſ. 733. lib. I. *Aeneid.*
(*d*) Vid. Salmaſ. not. ad Heſych. in v. Ἴαρα.
(*e*) *Antiquit. Palmyr Append.* cap.7. p.352. In *Act. erud. Lipſ. Supplem.* Tom. III. ſect. 3. pag. 102.
(*f*) Vid. Renaudot. *L'eclairiſſement ſur les explications &c. Memoires de l'Academie des inſcriptions, & bell. lettr.* Tom. III. pag.474. & ſeq.
(*g*) *Tranſact. Philoſoph.* ann. 1695. num.218. pag.171.
(*h*) *Monum. Palmyr.* pag.53.
(*i*) *Palaeſtin.* lib. III. pag.526.
(*k*) Vid. Gruter. *Inſcript.* pag.36. n. 1.

iiſque abſurdiſſimis modis. Eam aram accuratius, quam ſuperioribus temporibus, incidendam, collocandamque initio huiuſce commentarioli, quaſi zophorum, ornatus gratia, curavimus. Videſis, quae ad calcem huius quarti voluminis de eadem dicemus.

Sequitur Malachbeli imago, Lunae nimirum, ſive Luni Dei [nam Orientales lunam ἀνδρόγυνον, ideſt *utriuſque ſexus* dixerunt] ut ex appoſita ei corniculata luna, aliiſque ſignis plane liquet. Aegyptii, ait Plutarchus (*a*), μητέρα τὴν σελήνην τοῦ κόσμου καλοῦσι, καὶ φύσιν ἔχειν ἀρσενόθηλυν οἴονται. *Lunam mundi matrem appellant, & naturam ex utroque ſexu mixtam adſignant ei.* Et hinc multis ſuperſtitionibus, ut Aelius Spartianus (*b*) prodit, obligabantur. *Et quoniam*, inquit, *Dei Luni fecimus mentionem, ſciendum doctiſſimis quibuſque id memoriae traditum, atque ita nunc quoque a Carrhenis praecipue haberi, ut qui Lunam femineo nomine, ac ſexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus ſemper inſerviat: at vero qui marem eſſe crediderit, is dominetur uxori, neque ullas muliebres patiatur inſidias. Unde quamvis Graeci, vel Aegyptii eo genere, quo feminam hominem, etiam Lunam Deam dicant, myſtice tamen Deum dicunt.* Eſt autem auctor Sponius (*c*), Lunam dici Malachbelum, quod nomen in alia quoque Graeca inſcriptione Palmyrae a laudatis Anglis exſcripta legitur (*d*); quia *Malach Baal* Syrorum lingua, *Regem Dominum* ſignificat. At malim Malach interpretari *Deum*, Baal vero *Regem*, quaſi Malachbelus idem ſit ac *Deus Rex*. Ac revera noſter Malachbelus omnibus inſignibus regiis, radiata corona, thorace, caligis militaribus, gladio, teloque miſſili decoratur. Itaque cum Orientales Lunam, veluti caeleſtis exercitus, ideſt ſiderum, atque planetarum reginam colerent [idque etiam ex Hieremia Propheta (*e*) plane cognoſcitur, qui Hebraeos, cum a vera religione defeciſſent, reginae caeli ſacrificaſſe ſcribit] Malachbeli nomen a Palmyrenis ei tributum fuit. Porro Lunam reginam caeli ab Hieremia appellatam fuiſſe, Theodoretus teſtatur (*f*), inquiens: Βασίλισσαν οὐρανοῦ τὴν Ἀφροδίτην καλοῦσι, καὶ οἱ Ἕλληνες αὐτὴν οὐρανίαν προσαγορεύουσι. *Reginam caeli vocant Venerem: nam & Graeci nuncupant eam caeleſtem.* Venus enim eſt Luna, Philocoro apud Macrobium teſte (*g*), qui adiungit ſacrificare ei ſolitos *viros cum veſte muliebri, mulieres cum virili, quod eadem & mas aeſtimatur, & femina.* Praeterea idem Hieremias (*h*) exprobat Hebraeis, quod placentas reginae caeli facerent. Atqui & in ſacrificiis Dianae Ethnicos placentis uſos fuiſſe Philemon apud Athenaeum (*i*) tradit: & quo die orientis Solis, atque occidentis Lunae occurſu caelum illuminabatur, in triviis placentas collocari conſueviſſe laudatus Philocorus auctor eſt. Accedit ad haec Aſtroarches vocabulum, ideſt *dominatricis*, ſive *reginae aſtrorum*, quo

(*a*) *De Iſid., & Oſir.* Tom.II. Oper. p.368.
(*b*) Inter Scriptor. *Hiſt. Aug.* pag. 88. edit. in fol.
(*c*) *Miſcell.* pag.2.
(*d*) Vid. *Les ruines de Palmyre* pag. 27. num.4.
(*e*) Cap.7. v.18., cap.44. v.17. &c.
(*f*) *Interpretat. in Hierem.* cap.44. v.17.
(*g*) *Saturnal.* lib. III. cap.8.
(*h*) Cap.7. v. 18.
(*i*) *Deipnoſ.* lib. XIV. cap.13. pag.645.

quo Luna, ut ſcribit Herodianus (*a*), a Phoenicibus nominabatur. Quin-etiam Anamalech Deus Sepharvaimenſium (*b*) idem fortaſſe ac Malachbelus fuit; ſignificat enim *regem magnificum*. Poſtremo Dei Luni, quem Tertullianus (*c*) *maſculum Lunam* dicit, veſtitus in nummo Nyſae cuſo (*d*) ſimilis eſt huius, quo noſter Malachbelus ornatur, praeter coronam, pro qua galea tegitur, nam regium ei quoque eſt paludamentum, thorax, haſta, luna corniculata poſt humeros.

Ex vocabulis vero *Moloch Belus*, ideſt *Moloch Rex*, iunctis dici Malachbelum poſſe Seldenus (*e*) arbitratus eſt: quo de idolo apud Hieremiam (*f*), ut LXX. Interpretes verterunt, haec leguntur: Ὠκοδόμησαν τοὺς βωμοὺς τῇ Βαὰλ τοὺς ἐν φάραγγι υἱοῦ Ἐννὸμ, τοῦ ἀναφέρειν τοὺς υἱοὺς αὐτῶν τῷ Μολὸχ βασιλεῖ. *Aedificaverunt aras Baal in valle filii Ennom, ut offerrent filios ſuos, & filias ſuas Moloch Regi*. Molochum autem non fuiſſe Solem, ſed Deum Lunum cl. Auguſtinus Calmetius multis rationibus docet. Etſi vero apud Hieremiam vulgatae editionis Molochus haud nominetur *Rex*; ex aliis tamen ſacrorum Bibliorum locis eius idolum inſignibus regiis ornatum fuiſſe conſtat. Libro enim Regum ſecundo, & Paralipomenon primo legimus (*g*), Davidem tuliſſe coronam de capite Molochi idoli Ammonitarum, & eam fuiſſe auream pondo talenti.

Expoſui aliorum de vocabulis Agliboli, Malachbelique ſententias: ſed mihi probabiliſſimum videtur, ea vocabula aut ex lingua Syrorum ducta fuiſſe, quod Palmyrena Syrorum dialectus eſſet, aut ex Graeca, quod graece Palmyreni uſitate loquerentur, ut ex multis inſcriptionibus tum Graecis, tum Palmyrenis in iiſdem monumentis inſculptis plane ad veritatem colligitur: quin etiam ex ſingulari nummo Palmyreno a cl. Pellerino vulgato, in cuius poſtica parte litteris tantum Graecis ΠΑΛΜΥΡΑ legitur. Quamobrem utrumque vocabulum Graecum eſſe, ac primum quidem nihil aliud ſignificare, quam *luminare*, *quod excaecat*, ut eſt Sol: alterum *luminare pallidae lucis*, ut eſt Luna. Sane Euſtathio monente (*h*) vocem βῆλος veteres nonnulli, imprimis barbari, ut Dryopes, Chaldaeique, ad firmamentum, ſeu aſtrorum ſedem ſignificandam uſurparunt. Scribit enim: βῆλον δέ τινες τῶν ἀρχαίων ἐνταῦθα φασὶ τὴν περίοδον τοῦ αἰθέρος, καὶ τῶν ἀστέρων, *verum nonnulli ex veteribus Belum hoc loci intelligunt ambitum aetheris, atque aſtrorum*. Cum vero caelum intuentibus Sol, & Luna aſtra maiora videantur, iis veriſimiliter antonomaſtica quadam dicendi ratione, nomen βῆλος tributum eſt: quemadmodum de Sole, teſte Servio (*i*), conſueverunt Aſſyrii; ita tamen, ut eadem inter ſeſe apte

(*a*) *Hiſt.* lib. v. num. 24. in v. *Heliog.* Inter Sriptor. minor. Graec. ex Collect. Silburg. pag. 569.

(*b*) *Reg.* lib. iv cap. 17. v. 31.

(*c*) *Apologet.* cap. 15.

(*d*) Seguin. *Select. numiſm.* p. 94., Spanhem. *de praeſt.*, & *uſu numiſm.* Diſſert. iv. Tom. I. pag. 194.

(*e*) *De Diis Syris* ſyntag. 2. cap 1.

(*f*) Cap. 30. verſ. 35. iuxta LXX. Interpr.

(*g*) *Reg.* II. cap. 12. verſ. 30., *Paralip.* lib. I. cap. 20. verſ. 2.

(*h*) Ad verſ. 591. lib. I. *Iliad.* pag. 156. edit. Rom.

(*i*) Loc. cit.

apte adiectis epithetis diſtinguerent, Solem nempe ἄγλαον *praefulgentem*, Lunam vero μαλακὴν, *languidam*, *inertemve* appellantes.

Dexterum utriuſque numinis brachium refectum fuiſſe diximus, eodem fortaſſe modo, quo in Muſeo Iuſtinianeo primae editionis cernitur. At nonne dici poſſet, ita refecta brachia fuiſſe, ut percipias quae ſit Solis cum Luna coniunctio, & quod Luna eiuſdem radiis incenditur? Ac apte quidem ad eam rem narrat Herodianus (*a*), Antoninum Heliogabalum etiam Deo ſuo Emyſſeno Heliogabalo quaeſiviſſe uxorem; cumque illi Palladem belligeram, atque armatam cordi eſſe non poſſe animadvertiſſet, Aſtoarchem, ſeu aſtrorum reginam Lunam eidem uxorem dediſſe. Itaque ſimulacrum Aſtoarches Carthagine afferri iuſſiſſe, & auri quidquid in templo erat, pecuniamque Deo ſuo dotis nomine tradidiſſe. Gloriabundum vero, quod adeo conveniens matrimonium Solis, & Lunae excogitaſſet, tum in urbe, tum in tota Italia feſtos dies celebreſque, & laetitiae plenos publice, privatimque, quaſi Diis nubentibus agitari imperaſſe.

Arbor media inter iconas eſſe cupreſſus videtur: ſed maxime veriſimile eſt, repraeſentare palmam inſigne Palmyrenorum. Teſte enim S. Hieronymo (*b*): *Thamar ipſam, de qua iam diximus, quam nunc Palmyram vocant, & olim a Salomone conſtructa eſt: palma enim Hebraeo ſermone Thamar appellatur, & ab eo, quod ibi palmeta ſint plurima quidam putant hoc ſortitam vocabulum*. Non me latet Abrahamum Sellerum ſcripſiſſe (*c*), non eſſe Hieronymo adhibendam fidem, & potius a Graeco vocabulo πάλμη, quo ſcuto Perſae utebantur, Palmyram eſſe nominatam. Sed mihi ſatis eſt veritati eſſe conſonum, quod magna ſit in montoſis, deſertiſque Palmyrenorum locis palmarum copia, ut Aleppini, qui eo mercaturae cauſſa anno 1691. venerunt (*d*), teſtati ſunt: & quod palma, tamquam inſigni civitatis ſuae, Palmyreni uterentur, ut ex palma in ara Palmyrena ſupralaudata inſculpta cognoſcimus.

Venio ad ΣΙΓΝΟΝ, quod Aglibolo, & Malachbelo patriis Diis Lucius Aurelius Heliodorus poſuit. Simulacrum vulgo graece dicitur ἄγαλμα, aut ἵδρυμα, non autem σίγνον, unde hoc anaglyphum non Palmyra Romam exportatum, ſed Romae inſculptum Sponius cenſuit (*e*); ſed huius rationis vim non ſatis firmam puto, quia multa ſuppetunt argumenta, quibus contraria ſententia ſtabilitur. Anno primo imperii Maximini hoc anaglyphum dedicatum fuiſſe ex illius inſcriptione, ut paullo poſt videbimus, colligitur: quo ſane tempore religio Palmyrenorum nondum manarat in urbem; manavit enim Palmyra ab Aureliano everſa. Deinde L. Aurelius Heliodorus ſe & Palmyrenum, & Diis in eo monumento ex-

(*a*) Herodian. *Hiſt.* lib. v. cap. 121.

(*b*) *Comment. in Ezech.* lib. xiv. cap. 48. Tom. v. Oper. pag. 613. edit. Vallarſ., vid. pag. 601.

(*c*) *Antiquit. Palmyr. Append.* cap. 1. p. 175. In *Act. erud. Lipſ. Supplem.* Tom. III. ſect. 3. pag. 95.

(*d*) Vid. *Les ruines de Palm.* pag. 5.

(*e*) Loc. cit.

expreſſis devotum hoc dicit, quod Palmyrae patriae ſuae tutelares eſſent. Adde: Graecam non ſolum, ſed etiam Palmyrenam ille inſcriptionem ponit; idque Palmyrae fieri conſueviſſe ex aliis inſcriptionibus a ſupralaudatis Anglis in ea urbe repertis, atque vulgatis liquet. Concedo σίγνον non eſſe veterum Graecorum vocabulum. At nego uſurpatum non fuiſſe ab iis, ad quos lingua Graecorum tempore manavit, quique, ut Palmyreni vulgari plerumque Graecorum lingua uterentur: quae vulgaris quidem lingua uſitata paullatim ab ipſis Graecis fuit. Exſtant apud Carolum Labbaeum editae Graecorum Gloſſae, in quibus legitur Σιγνοφόρος, ideſt *Signifer*: in Lexico autem Suidae (*a*) σίγνα προτομαὶ, ideſt *ſigna imagines*, & horum ſimilia exempla apud Du-Cangium in Gloſſario habentur. Neque vero Graeci ſolum, & Romani argentea ſimulacra dedicare conſueverunt, ſed barbarae etiam Orientis nationes; quinimmo ab his omne genus luxus profectum eſt in Graeciam primum, deinde mirum in modum in Urbem permanavit (*b*).

L. Aurelius dicitur Antiochi filius, atque ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΠΑΛΜΥΡΗΝΟΣ *Hadrianus Palmyrenus*. Palmyreni enim, ut eſt auctor Stephanus Byzantinus (*c*), quod Hadriani Imperatoris beneficio reſtaurata Palmyra fuerit, ſeſe Hadrianos, atque Hadrianopolitanos nominaverunt: Τὸ ἐθνικόν, inquit praedictus Geographus, Παλμυρηνός· οἱ δ' αὐτοὶ Ἀδριανοπολῖται μετωνομάσθησαν ἐπικτισθείσης τῆς πόλεως ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος. *Gentile Palmyrenus. Iidem etiam Hadrianopolitae appellati ſunt, civitate ab Imperatore inſtaurata.* Nonnulli Stephano non eſſe aſſentiendum exiſtimarunt, propterea quod vitae Hadriani Scriptores iſtiuſmodi inſtaurationem non memorant; ſed Stephani teſtimonium Palmyrena hac noſtra inſcriptione mirifice comprobatur. Quamobrem Sellerus (*d*) contra Patinum (*e*) probabiliter, ut arbitror, cenſet, Graecum numiſma Hadriani, quo in numiſmate mulier ſupra rupem ſedens ſiniſtra manu trophaeum retinet, legiturque ΑΔΡΙΑΝ... ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ, Palmyram exhibere; quod ea urbs, Ptolemaeo auctore, metropolis dicta ſit, montibuſque circumdetur. Praeterea multas Palmyrae repertas fuiſſe inſcriptiones Renaudotius animadvertit (*f*), in quibus Hadriani Imperatoris nomen legitur; ac in ea, quae edita a Davvckinio, & Woodio fuit (*g*), Hadrianus Θεός *Deus* appellatur, quod divino eum cultu Palmyreni venerarentur.

Litteris Ζ. Μ. Φ. annus 547., quo monumentum perfectum fuit, indicatur. Sed ecquod fuerit Palmyrenis initium annorum inquirendum eſt. Ac Sponius (*h*) quidem, eos epocha Syrorum, qui annos a morte Alexandri Magni numerabant, uſos fuiſſe putat. Quare annum 547. Palmyrenorum eſſe annum Aerae Vulgaris 234. poſtremo fere Alexandri Severi impe-

(*a*) In *Lexic.* v. Σημαίαι.
(*b*) Vid. Figrel. *de Statuis* cap 16. pag. 144.
(*c*) *De Urbibus* in v. Πάλμυρα.
(*d*) *Antiquit. Palmyr.* cap. 8. pag. 30. In *Act. erud. Lipſ. Supplem.* Tom. III. ſect. 3. pag. 91.
(*e*) *Imperat. Romanor. numiſm.* pag. 161.
(*f*) *Memoires de l' Academie des Inſcriptions &c.* Tom. II. pag. 533.
(*g*) *Les ruines de Palmyre* pag. 27. num. 20.
(*h*) *Miſcell.* pag. 2.


imperio. At Ioſeph Scaliger (*a*) in annum primum Maximini, ideſt in annum Chriſti 226. incidiſſe pugnat, eique Henricus Noriſius Cardinalis aſſentitur (*b*), qui ab epocha Seleuci, quam Dhilcarnianam dicimus, paullo antequam Alexander Magnus deceſſit, Palmyrenos annorum initium ſumpſiſſe oſtendit. Eadem Halleyi (*c*) ſententia eſt multis Palmyrenis inſcriptionibus comprobata. Menſis quoque dedicationis monumenti inſcribitur, ideſt Peritius. Hunc apud Macedonas fuiſſe Februarium Suidas docet (*d*). S. vero Hieronymus (*e*): *eſt*, inquit, *& in acerrimo tempore hiemis, qui ab Aegyptiis Mechir, a Macedonibus* Περίτιος, *a Romanis Februarius appellatur*.

Alia poſt Graecam inſcriptio, quibus nam litteris exarata ſit, Ioſephus Scaliger (*f*) linguis Orientalibus doctiſſimus, ſe neſcire fatetur: Gruterus vult Arabicis, ſed minime interpretatur: Samuel autem Petitus, cum in epiſtola ad Peireſckium (*g*) eas Phoenicias, aut Syriacas dixiſſet, interpretatus eſt quidem, ſed temere: ſententiaſque adeo involutas, ac leves protulit, ut iure ac merito ab Antonio Gallandio vapularit. Noriſius (*h*) quoque, atque Hydius (*i*) Phoenicias, Bonarrotius (*k*) autem Chaldaicas, aut Hebraicas eaſdem dixerunt: verum fas ſibi non eſſe cenſuerunt, quaenam eſſent illarum ſenſa exponere. Inde ne Iacobus quidem Rhenferdius (*l*), qui omnium primus ex aliis nonnullis inſcriptionibus Palmyrenis, iiſque magnam partem mutilatis, atque mendoſis explicare, illuſtrareque magna eruditionis copia litteras Palmyrenas, illarum formas deſcribere, ac ſenſa ex linguis Arabica, Hebraica, Romana inveſtigare quamdiligentiſſime conatus eſt, earumdem aſſequi potuit cognitionem. Rem eſſe obſcuram vidit, iiſque difficultatibus implicatam, ut non idem ſemper vocabulum ex iiſdem litteris unius, aut plurium inſcriptionum exſiſteret. At demum hoc ſaeculo quae vera ſit Palmyrenarum litterarum vis, cl. Barthelemyus (*m*) Muſeo Regis Gallorum Praefectus, maximo hominum litteratorum bono, certo invenit. Is enim cum accuratiſſime, atque exquiſitiſſime ſingularum litterarum formas diſquiſiviſſet, earumque analogiam, litteras ad alias ſimiles aliarum inſcriptionum ſaepe referendo, reperiſſet, ratus linguam Palmyrenam a Syriaca, aut Hebraica duci, paria verba, pareſque ſententias verbis, ſententiiſque inſcriptionum Graecarum in eodem monumento inſculptarum optime convenire novit; tum elementa, notaſque litterarum Palmyrenarum adeo diſtincte, dilucideque expoſuit, ut facile quiſque legere, percipereque eiuſmodi inſcri-

(*a*) *De emendat. tempor.* lib.III. pag.427.
(*b*) *De epoch. Syromaced.* Diſſert.2. cap.3. §.2. pag.105.
(*c*) Vid. *Les ruines de Palm. Inſcriptions &c.* pag.28. num.9.
(*d*) *Lexic.* in v. Περίτιος.
(*e*) *Comment. in Zachar.* lib. I. c.1. Tom.VI. Oper. pag.783. edit. Vall.
(*f*) *De emend. temp.* lib. V. pag.427.
(*g*) Vid. Spon. *Miſcell.* pag.2.
(*h*) *De epoch. Syromaced.* Diſſert.2. §.2. p.105.
(*i*) *Relig. veter. Perſar.* pag. 525.
(*k*) *Oſſervazioni iſtoriche ſopra alcuni medaglioni &c.* pag.139.
(*l*) *Periculum Palmyren.* in 4. Franequerae 1704.
(*m*) *Reflexions ſur l' Alphabet, & ſur la langue dont on ſe ſervoit autrefois à Palmyre*, in 4. Pariſ. 1754.

inſcriptiones, ſi velit, poſſit. Itaque Palmyrena noſtri anaglyphi inſcriptio ad Graecam quidem, quam expoſuimus, inſcriptionem apte, congruenterque, eodem doctiſſimo viro Barthelemyo interprete, ſic habet:

Menſe Schebat anno 547. *aerae Palmyrenae*
civis eius urbis
curavit poni ſuo ſumptu hoc monumentum
in honorem Deorum Agliboli, & Malachbeli
pro ſalute ſui ipſius, & ſuorum filiorum.



EXPLI-



EXPLICATIO

TAB. XIX.

MUſivum hoc, cuius exemplum aere inciſum iam edidit quoque cl. v. Iohannes Bottarius in appendice latinae editionis picturarum ſepulcri Naſonum, effoſſum eſt anno 1749. ex villa tunc Pamphiliorum prope Antii portum (*a*), & Benedicti XIV. P. M. iuſſu, qui dono illud acceperat a Marchione Angelo Gabrielio, in Muſeo Capitolino collocatum. Exhibet autem figuris expreſſum illud Virgilii (*b*): *Omnia vincit amor*; tum effeminata Herculis perſona, tum leone a nonnullis Cupidinibus manſuefacto.

Principio igitur ſe ſe offert Hercules ſuperiore corporis parte nuda, ut quibus praeſtaret viribus clare cognoſci ex toris poſſit. Hinc Lucianus in Dialogo Menippi dicebat: ὅλος Ἡρακλῆς ἐστὶν, & Seneca (*c*):

. . . . . *Agnoſco toros, humeroſque*,

& Valerius Flaccus (*d*):

Conſpicuuſque toris Tirynthius.

Ac profecto Alcidem a Graeco vocabulo ἀλκὴ, quod robur, virtutemque ſignificat, Herculem appellatum fuiſſe plerique volunt. Verum, cum omnia vincat amor, ab amore vel ipſe etiam Alcides victus eſt. Itaque veſte muliebri inferiore corporis parte tecta, nentem hic effictum eum vides, negle-

(*a*) Furiettus in ſuo *de Muſivis* tractatu id ſolum dicit, noſtrum Muſivum inventum fuiſſe *prope Antii littus* cap.3. pag.47.

(*b*) Virgil. eclog. x. verſ. 69.

(*c*) *Hercules furenſ.* v. 623.

(*d*) *Argonaut.* lib. I. v. 253.

neglectis humi clypeo, & clava. Scilicet ſcriptum in Faſtis apud Ovidium legitur (*a*), Omphalem Reginam Lydiorum, cum animadvertiſſet Herculem ſummo ſui amore captum, eum veſtibus muliebribus per iocum induiſſe: necnon & in epiſtola ad Deianiram (*b*) adiungitur, Omphalem monili etiam, armillis, brachialibus gemmatis, mitra, & tunica eum ornaſſe. Hoc Poëtarum figmentum iure merito exſecratur & irridet Tertullianus (*c*): *Turpius adhuc*, inquit, *libido virum cultu transfiguravit, quam aliqua materna formido; tametſi adoratur a vobis, qui erubeſcendus eſt Scytaloſagitti pelliger ille, qui totam epitheti ſui ſortem cum muliebri cultu compenſavit. Tantum Lydiae clancularie licuit, ut Hercules in Omphale, & Omphale in Hercule proſtitueretur*. Sanctus autem Auguſtinus ſcribit (*d*), Ethnicos ex iis, quae in ſacris libris vere de Dalila, Sampſoneque narrantur, hanc de Hercule, & Omphale fabulam confeciſſe.

Sed illud in muſivo animadvertendum eſt, Herculem vultu videri triſtem: quod artificis ſcientiam oſtendit. Is ſequutus fortaſſe auctorem Lyſippum fuit, de quo Propertius ait (*e*):

Gloria Lyſippo eſt animoſa effingere ſigna.

Nam Lyſippus, praeclariſſimus ſane ſculptor, ita Herculis amore Omphales capti ſimulacrum aere caelavit, ut triſtitiam vultu praeferre videretur. Qua de re in Anthologia facetum exſtat huiuſmodi epigramma (*f*):

Ἥρακλες, ποῦ σοὶ πτόρθος μέγας, ἥ τε Νέμειος
Χλαῖνα, καὶ ἡ τόξων ἔμπλεος ἰοδόκη;

Ποῦ σοβαρὸν μίμημα; τίς ἔπλασεν ὧδε κατηφῆ;
Λύσιππος· χαλκῷ δ' ἐγκατέμιξ' ὀδύνην

Ἄχθῃ γυμνωθεὶς ὅπλων σέο; τίς δέ σ' ἔπερσεν;
Ὁ πτερόεις [ὄντως εἷς βαρὺς ἆθλος] Ἔρως.

En idem epigramma latine ab Hugone Grotio verſum:

Alcide, quo clava tibi, teliſque pharetra
Dives, & e Nemea raptus amictus abit?

Faſtus ubi? quis te tam triſti fronte figurat?
Lyſippus. Paret multus in aere dolor.

Arma tibi maeres detracta? quis abſtulit illa?
Unum certamen, ſed grave, praepes Amor.

Prae-

(*a*) Lib. II. verſ. 317. & ſeq.
(*b*) *Heroid.* ep. 9. verſ. 57. &c.
(*c*) *De pallio* cap. 4.
(*d*) *De civ. Dei* lib. XVII. cap. 19.
(*e*) Lib. III. eleg. 7. verſ. 9.
(*f*) Lib. IV. pag. 450. edit. Brod.

Praeterea tres in muſivo Cupidines alati cernuntur, quorum unus ſedens fiſtula cantat, alius leonem circumligat, tertius coronatus pannum explicat, illudque ad leonis oculos obducendos porrigere videtur. Nae is eſt Cupido, de quo iſtud Virgilii (*a*):

..... ille etiam Poenos domitare leones,
Et validas docuit victas manſueſcere tigres.

Humi ſcyphum inverſum, thyrſumque appoſitum ſaxo vides; ſuperque ſaxum Nemaei leonis pellis, ni fallor, extenditur, commune victoris Herculis indumentum. Thyrſus autem haſta quaedam erat, in mucrone habens infixam pineam hederae ramis circumdatam, quae, uti ait Macrobius (*b*), *habet vinciendi, obligandique naturam*. His igitur apte ſignificabatur vini vis ad eorum animos occupandos, ac veluti obligandos, qui eidem plus aequo indulgent. Pinea vero indicari vulgo Scriptores volunt: aut terram gignentem pinus, ſuaviora enim vina miniſtrat (*c*), aut quemadmodum eo fructu, ita & vino plurimum incendi homines, pronoſque in venerem fieri. Neque veri diſſimile cenſeri debet iiſdem ſymbolis, imprimiſque ſcypho, artificem innuere forte voluiſſe, ut fabulati ſunt veteres, nimium Herculis amorem in vinum, praeſertim cum is otioſe, pacateque viveret: qua de cauſſa *Heros bibax* a Macrobio dicitur (*d*). Id quidem celeberrimo illo Farneſiano anaglypho mirifice confirmatur, quod *Herculis quietem* vocant, ubi idem Heros tantae amplitudinis ſcyphum manu tenet, ut tota Satyri in eo bibentis facies deliteſcat. Verum de ſcypho Herculis proprio alibi fuſius. Addam modo hoc unum, inter ceteros plures, qui Farneſianum anaglyphum aere inciſum illuſtrarunt, P. Eduardum Corſinium eminere in ſuo ad Marchionem Scipionem Maffaeium Tractatu, cui titulus: *Herculis quies, & expiatio in eximio Farneſiano marmore expreſſa*.


Porro eruditus ille, doctuſque vir, quem ſupra laudavimus, ex piramide, & ex palma, quae in muſivi area conſpiciuntur, ſe coniectura aſſequutum putavit, iis ſignificari cultum, quem Herculi Aegyptii adhibebant. Id vero praecipue concludit ex delta Δ littera, quam eo in lapide, cui fiſtula cantans Cupido inſidet, videre ſibi viſus eſt. Nam locus Aegyptiarum regionum, duobus Nili fluminis alveis comprehenſus, uſque ad Canopicam, & Peluſiacam fauces (*e*), nominatur Delta: quod huius litterae figuram praefert. Verum etſi primum, & ſecundum facile concedo, nego tamen confidenter tertium. Non enim delta eſt, ſed acuminatum faſtigium epiſtylii ianuae ſpecus, ſeu tugurii, ut diligentius inſpicienti patet.

Demum ſcias velim videri mihi muſivi artificem accepiſſe ab Arceſilao, nobiliſſimo ſane ſculptore, familiarique L. Luculli, hanc Cupidinum leoni illudentium imaginem. Is namque multorum praeclariſſimorum operum, quae a Plinio (*f*) numerantur, auctor unico ex lapide leaenam, & non-

(*a*) *In Cir.* verſ. 135.
(*b*) *Saturnal.* lib.I. cap.19.
(*c*) Plutarch. in *Sympoſiac.* lib. v. quaeſt.3.
(*d*) *Saturnal.* lib.v. cap.21.
(*e*) Plin. lib.v. cap.9.
(*f*) *Hiſt. nat.* lib. xxxv. cap.12.

nullos Cupidines alatos fecit hoc plane ſimili opere : *Arceſilaum quoque*, inquit Plinius (*a*), *magnificat Varro*, *cuius ſe marmoream habuiſſe leaenam tradit*, *aligeroſque ludentes cum ea Cupidines*, *quorum alii religatam tenerent*, *alii e cornu cogerent bibere*, *alii calcearent ſoccis*, *omnes ex uno lapide*.

(*a*) Ibid. lib. xxxvi. cap. 5.



Fra. Dom. Campiglia delin. *Io. Cassini Som. inc.*



EXPLICATIO

TAB. XX.

TRaianus Imperator, cum virilem ſexum poſt ſe non relinqueret, Alexandri Magni exemplo permotus neminem, ut nonnulli ſcribunt, cui ſumma imperii traderetur, deligere conſtituit. Ab aliis autem memoriae proditum eſt, illum deſignare aliquot praeſtantes viros cogitaſſe, ex quibus unus ſuffragio Senatus adlectus mortuo ſuccederet. At ei extremo morbo laboranti Salinuntae, quae Ciliciae urbs Traianopolis nominata deinde fuit, quod in ea Traianus ineunte menſe auguſto an. aerae Chr. 118. deceſſerit, Plotina uxor virtutis, conſiliique plena, publicae tranquillitati proſpiciens perſuaſit, ut P. Aelium Hadrianum adoptaret; quo iure Imperator diceretur, & eſſet. Iam enim Traianus huic propinquo ſuo, ſibique olim in tutelam tradito, Iuliam Sabinam ex ſorore proneptem ſuam, eiuſdem Plotinae hortatu, deſponderat. Age nunc, ſi bene coniicio, Capitolinum anaglyphum, quod haec Tab. XX. exhibet, huius adoptionis actum repraeſentat; & forte inſculptum eſt evellendi editi in vulgus rumoris cauſſa, quod ea nimirum adoptio ſuppoſita fuerit calliditate, doliſque malis Plotinae, & Caelii Actiani, ſive Tatiani, eiuſdem Aelii (*a*) ſimul cum Traiano tutoris. Dodvvellus diſſertationem edidit, ut falſum eum rumorem fuiſſe, atque ex hominum improbitate, invidiaque manaſſe oſtenderet. Quam Dodvvelli ſententiam, etſi mihi potiſſimum probatam velim; veterum tamen plerorumque hiſtoricorum teſtimonia talia ſunt, ut contra pugnent. Et Dion (*b*) ceteris audacior ſcribit, id ſui in Aelium Hadrianum amoris cauſſa Plotinam feciſſe;

(*a*) Vid. Dion. lib. LXIX. cap. I. pag. 1149. edit. Reimar. (*b*) Loc. cit.

quo quid iniquius, atque calumnioſius, ſi de amore venereo explicetur; dici in Plotinam poteſt? Nam haec pudicitiae laude mirifice praeſtitit, ut ex illius numiſmatibus perſpicuum eſt, & Plinius iunior (*a*) in panegyrico ad Traianum aperte teſtatur. Verum de his alii diſputent. Hoc mihi unum modo intereſt, probabiles adeſſe rationes, quibus innititur a me conceptum de hoc Capitolino anaglypho iudicium; & ex eis, ſi ita ſint, confirmari, ac declarari Dodvvelli ſententiam poſſe.

Itaque Traianus ille eſt, qui in lectulo decumbit, ita tamen expreſſus, ut ſatis virium animique habere videatur, & qui valeat graviſſimam eam rem perficere, deligereque virum, qui ſibi ſuccedens orbis terrarum imperio potiatur. Profecto vultus lineamenta ſimilia illorum ſunt, quae in Traiani numiſmatibus conſpicimus, atque imprimis coma. Excelſa quoque illius ſtatura, firmitas, omniſque habitus corporis, ut apud hiſtoricos, ac praeſertim Plinium (*b*) legimus, in eadem figura clare exprimuntur. Habet autem Plinius hoc modo: *Iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris; ad hoc aetatis indeflexa maturitas, nec ſine quodam munere Deûm feſtinatis ſenectutis inſignibus ad augendam maieſtatem ornata caeſaries, nonne longe, lateque principem oſtentant*? Haec omnia cum in hac figura manifeſto occurrant, nonne Traianum oſtentant?

Dextera manu, ut vides, marſupium, ſiniſtra volumen fere apertum Traianus tenet. Volumine aut teſtamentariam a Traiano factam adoptionem, aut litteras, quas ille eadem de adoptione ad Senatum dedit, indicari arbitror; marſupio autem ritum fortaſſe adoptionum, ſeu teſtamentorum, quae Gellius (*c*) *per familiae emancipationem* vocat; ſolvere enim mos erat certam pecuniae ſummam, adhibitis teſtibus civibus Romanis quinque, atque cive item Romano nummorum penſatore, qui *libripens* appellabatur.

Novi equidem, quod neque huiuſmodi, neque alias Romanis legibus ſancitas caerimonias ſervare Imperatores obſtringebantur; ſed qua alia ratione in anaglypho exprimi poterat illius adoptionis actus? Praetermiſſos autem quinque teſtes puto, quod Imperatrix adeſſet, quae una pleniſſime faceret poſtremae Traiani voluntatis fidem. Ac ſane ſupra laudatas litteras miſſas ad Senatum, ut Dion tradit (*d*), Plotina ſubſcripſit. Verum haud praetermiſſus eſt libripens, quem, ut ſentio, iuvenis ille repraeſentat ad extremum lectulum ſtans, qui ſupra tabellam, quam manu tenet, poſitos nummos inſpicit. Quod ſi ita ſe res habet, nunc primum ex hoc anaglypho libripendis figuram expreſſam comperimus: praetereaque conſequi coniiciendo poſſumus, libripendem apud Romanos, poſt cuſos nummos non ponderando, ſed de ſignis iudicando, ut caerimoniam ſervaret, munere ſuo perfunctum fuiſſe, antiquo licet nomine appellaretur, quod iam inde ab eo tempore uſurpari coeperat, quo nondum cuſis nummis pecunia ex libra pendebatur. Verum enimvero haec omnia dubitanter a me eſſe propoſita ſcias volo. Etenim nihil certi adfirmare audeo, tum quod diſcrepantem

(*a*) Cap. 83.
(*b*) *In paneg. Traian.* cap. 4.
(*c*) *Noct. Attic.* lib. xv. cap. 27.
(*d*) Loc. cit.

pantem eſſe intelligam de eiuſmodi caerimonia Caii apud Boethium, Theophilique agentium de emancipatione ſententiam [qua in emancipatione ſi adoptio fiebat, adoptatus, ſi teſtamentum, hereditas mancipium dicebatur]; tum quod in Hadriani adoptione eum ritum, ſive caerimoniam praetermiſſam fuiſſe ſentiam. Sed iterum dico: eius adoptionis actum haud potuit aptius in marmore anaglaphytarius artifex figuris ac ſignis exprimere.

Teſtamentone, ut Auguſtus, Tiberius, aliique, adoptatus Hadrianus fuerit, an litteris adoptionis, in incerto eſt. Nam Victor (*a*) fuiſſe teſtamento adoptatum ſcribit, Spartianus (*b*) vero, cui aſſentiri videtur Dion (*c*), *litteris adoptionis*. Illud unum ſatis conſtat, eam adoptionem, Hadriano petente, fuiſſe a Senatu ad ſucceſſionem imperii approbatam, & Hadrianum curaſſe, ut cuſis in nummis ſempiternae memoriae poſterorum mandaretur. Ac praeclariſſimus quidem eſt nummus, qui nunc primum aere inciſus huiuſce noſtrae lucubratiunculae frontem exornat. Is aſſervatur in Bibliotheca Vaticana ex munificentia PII VI. Pont. Max., quo auſpice nuper repertus eſt ad Caſtrum Novum prope Centumcellas, una cum aliis aureis eximiae raritatis numiſmatibus circiter centum viginti, quae iniuriam temporis fere nullam paſſa eſſe videntur. In hoc nummo circum Hadriani caput legitur: IMP. CAES. TRAIAN. HADRIANO. OPT. AVG. G. D. PARTH., in poſtica vero Plotinae imago occurrit cum epigraphe PLOTINAE AVG., ut intelligas eiuſdem ſtudio, atque opera Hadrianum Imperatorem factum. Praeclarum quoque eſt aliud numiſma, in quo Traiani imago laureata cum inſcriptione CONS. V., & in averſa parte Plotinae caput ad dexteram, & Hadriani ad ſiniſtram cum titulo AVGVSTVS. In hoc numiſmate indicari, Hadrianum praeſumptione adoptatum fuiſſe iam inde ab initis a Traiano cum Plotina nuptiis, Harduinus (*d*), & Chamillardus (*e*) cenſuerunt; ſed propius ad veritatem Sigiſmundi Liebaei (*f*) opinio, ut arbitror, accedit. Is indicari ait Hadriani virtutem, cum contra Dacos ſecundo pugnavit, Traiano Conſule V.; tunc enim Traianus ob rem bene geſtam adamante eum donavit, quod ipſe a Nerva acceperat, & iam viſus eſt, quod apud ſe conſtituerat eum ſibi in imperio ſucceſſorem deligere. Audi Spartianum (*g*): *Secunda*, inquit, *expeditione Dacica Traianus eum* [nempe Hadrianum] *primae legioni Minerviae praepoſuit*, *ſecumque duxit*, *quandoquidem multa egregia eius facta claruerunt*. *Quare adamante gemma*, *quam Traianus a Nerva acceperat*, *donatus ad ſpem ſucceſſionis erectus eſt*. Et ſane Romanos ita ſuam in heredes benevolentiam declarare ſolitos ex Valerio Maximo (*h*) colligimus, qui ait: *T. Barrulus Lentulo Spintheri*, *cuius amantiſſimum animum*, *liberaliſſimamque amicitiam ſenſerat*, *decedens ſuos annulos*, *perinde atque unico heredi*, *tradidit*. Quod ſi Traianus viſus eſt deinde animo abalienato ab Hadriano; id prudentiae, politiceſque cauſſa feciſſe credimus. Nam ubi adeſſe

(*a*) *De Caeſaribus* pag. 128. edit. ad uſum Delphini.
(*b*) In vita Hadriani pag. 2. edit. in fol.
(*c*) Loc. cit. pag. 1150.
(*d*) *Hiſt. Aug.* pag. 755.
(*e*) *Diſs.* ep. V. pag. 53.
(*f*) *Gotha numaria* cap. 7. §. 10. pag. 255.
(*g*) Vid. Spartian. loc. cit.
(*h*) Lib. VII. cap. 8. num. 8.

adeſſe ſibi ſupremum diem ſenſit, illum opportune exercitibus praefecit, ut tutam ſibi ſterneret ad imperium viam (*a*).

Sed redeo ad anaglyphum. Nonne Plotinam dicas decoram illam, lectiſſimamque feminam, quae ſummo lectulo inſidens Traianum ſuſtinere, comiterque cum eo loqui videtur? Eſt enim compto capite ea ratione, qua Plotinam in pleriſque numiſmatibus videmus: & ex hoc potiſſimum ornatu Antiquitatum ſtudioſi quae ſint Plotinae ſimulacra certo colligunt.

Demum clypeus quoque medio in anaglypho expreſſus, quaſi parieti appenſus foret cubiculi, ubi Traianus iacebat, opinionem meam de huius anaglyphi argumento mirifice comprobat. Imago enim in eo inſculpta, etſi recenter reſtitutus ſit vultus, ſervat tamen intactum calamiſtratae comae cultum, qualem omnes habent in nummis, & in ſtatuis aereis, marmoreiſque imagines Hadriani. Itaque praecipua anaglyphi figura dicenda haec eſt, utpote Hadrianum repraeſentans, cui anaglyphum dicatum fuiſſe mihi videtur.

(*a*) Vid. Dion. lib. LXVIII. cap. 33. pag. 1147.

EXPLI-



Jo. Caſſini. In.

EXPLICATIO
TABUL. XXI. ET XXII.

INgens vas ex marmore albo, operis quidem antiqui, atque praeſtantiſſimi, quod inciſum Tab. XXI. & XXII. vides, via Appia non longe a ſepulcro Metellae repertum, ut eleganter emineat, ſtat ſuperimpoſitum tamquam baſi marmoreo alio rotundo monumento exquiſiti ſimiliter operis ex vinea Principum Mediceorum extra Portam Flaminiam translato, atque a Coſmo III. Magno Duce Etruriae Alexandro Albano Cardinali dono dato, quod deinde Clemens XII. Pont. Max. ſoluta pecunia comparavit, ut in Muſeo Capitolino adſervaretur. Antiquitatum Capitolinarum Catalogi typis editi auctor temere quidem hoc alterum marmor ad oppidum Neptuni effoſſum fuiſſe, & aram eſſe ſibi fingit. Winckelmannius teſtatur (*a*) reperiiſſe illud intrinſecus excavatum, & undique canaliculatum: ac probabiliter arbitratur oram, ſeu ſpondam, labrumque putei dici poſſe, & hauſta inde funibus, ſeu ferreis catenis, ſituliſque aqua illos effoſſos eſſe canaliculos. Vera a Winckelmannio tradi facile patior. Namque illud nunc inſpicere intrinſecus, quia pede vaſis obtegitur, mihi fas non fuit. Aio autem exſtare in veteri clauſtro Baſilicae Lateranenſis, quod vulgo dicitur *il Bronzo*, puteum, cuius in ora, ſeu labro item marmoreo, atque rotundo ſunt infabre inſculpta extrinſecus folia, animalia, cruces, intrinſecus vero ob eamdem cauſſam plures late circumeffoſſi eiuſmodi canaliculi. At illud quod Winckelmannius adiicit, nullo modo ferendum eſt, ſcilicet eas puteorum oras, ſeu ſpondas appellatas, vel ab ipſo Cicerone (*b*), *putealia ſigillata* fuiſſe; Pauſaniamque memorare (*c*) ſimilem putei oram, in qua Pamphus vetus imprimis Graecuſque ſcul-

(*a*) *Monumenta antiqua &c.* num.5.
(*b*) *Ep. ad Att.* lib. I. ep.10.
(*c*) *Attic.* lib. I. cap.39.

ſculptor raptum Proſerpinae expreſſerat. Nam hoc nomine quidem ſculptor nullus, ſed Poëta, hymnorum ſacrorum ſcriptor, Pamphus fuit; iſque, teſte Pauſania, Proſerpinae raptum, ut videbatur inſculptus in ora putei in via effoſſi, qua Eleuſi Megaram iter erat, verſibus expreſſit. Porro *puteal*, περιστόμιον graece, dici putei operculum poſſe comperi quidem; oram autem, ſeu ſpondam putei; etſi diligentiſſime inquirebam, dici numquam reperire potui. Quid? De oris ne, ſeu ſpondis, aut de operculis puteorum Cicero ad Atticum ſcribit? Quotus quiſque eſt, qui haec ſervo pedibus proficiſcenti tradita credat, ut ad Atticum deferret? *Typoſne*, quos Atticus in tectorio atrioli poſſit includere, & *putealia ſigillata duo*, opercula ſpondaſque puteorum appellat Cicero? Mendoſus eſt locus, ex quo Winckelmannius hoc ſibi finxit, legendumque in eo eſt, ut in pleriſque typis editis, manuque ſcriptis exemplis eius epiſtolae legitur, *plutealia ſigilla duo*, ideſt imagunculas ad pluteum ornandum duas.

Sed his miſſis de monumenti eiuſdem praeſtantia dicendum eſt. Affabre, atque Etruſco artificio circuminſculptas imagines duodecim Tabula XXI. indicat; eaſdemque in *plano*, ut aiunt, Tab. XXII. diſtincte exhibet. Simile exemplum Winckelmannius quoque vulgavit, exprimique maiorum Numinum duodecim imagines adſerit; ſex nempe Deorum, totidemque Dearum, de quibus praeclarum illud Ennii diſtichon (*a*):

Iuno, *Veſta*, *Ceres*, *Deiana*, *Minerva*, *Venus*, *Mars*,
Mercurius, *Iovi'*, *Neptunus*, *Vulcanus*, *Apollo*.

His vocabulis a Scholiaſte (*b*) quoque Apollonii, a Manilio (*c*), atque ab auctore Calendarii Ruſtici duodecim ea Numina appellantur; atque ſingula ſingulis anni menſibus, ut idem Calendarii auctor prodit, ac ſingulis zodiaci ſignis, ex Manilii ſententia, praeſunt. Sed in noſtro monumento Deae ſunt numero quinque, Dii ſeptem cooptato in album duodecim Deorum Hercule; quod mirandum non eſt. Nam etſi Herodotus (*d*) ab Aegyptiis primum, deinde a Graecis nomina tributa duodecim iis Numinibus fuiſſe Heliopoli ſe accepiſſe narret; tamen ex eorumdem Aegyptiorum ſententia prodit, octo habitos fuiſſe primores Deos (*e*), duodecim vero numerari additis Diis, qui ſecundum ab illis locum obtinebant, inque his Herculem eſſe. Cererem autem, aut Veſtam a ſculptore noſtri anaglyphi praetermiſſam credimus, quia fortaſſe in illorum Mythologorum opinione verſabatur, qui eamdem, ac Cererem eſſe Veſtam putabant; aut, ſi mavis Cererem tantum expreſſit, propterea quod Veſtae imago non exprimeretur, Ovidio teſte (*f*):

Eſſe diu ſtultus Veſtae ſimulacra putavi:
Mox didici curvo nulla ſubeſſe tholo.

Ignis inextinctus templo celatur in illo:
Effigiem nullam Veſta, nec ignis habet.

Prae-

(*a*) Inter Ennii fragmenta pag. 164. edit. Eſſelii.
(*b*) Ad verſ. 534. lib. II. *Argonaut.*
(*c*) *Aſtronom.* lib. II. verſ. 439.
(*d*) Lib. II. cap. 4. pag. 105. edit. Weſſeling.
(*e*) Ibi pag. 174.
(*f*) *Faſt.* lib. VI. verſ. 295.

Praeterea ſcribit Pauſanias, ſe in templo Veſtae apud Hermionenſes (*a*) vidiſſe quidem aram ad ſacrificia, ſimulacrum autem eius Deae nullum; propterea quod illam effingere cuique nefas erat.

Igitur omnium prima Iuno Deorum regina diademate ornata occurrit. Tum Iuppiter ſceptrum, quia rex Deorum, ſiniſtra, dextera vero proprium inſigne fulmen tenens. Deinde Vulcanus iuvenili ſpecie, atque imberbis, etſi plerumque proveċta aetate in aliis monumentis fingitur. Huius ſpeciem fortaſſe, antequam e caelo deieċtus eſſet, hoc loco ſculptor expreſſit. Utraque manu malleum proprium inſigne ſuſtentat: quem Winckelmannius ſecurim dicit, quod ille ſecuri, uti Poëtae fabulantur, Iovis caput fidit, ut inde Minerva prodiret. Scilicet in caelo, Winckelmannio auċtore, haud exercebat Vulcanus ferrariam artem. At Thetis, Homero teſte (*b*), ubi Olympum conſcendit, adiit Vulcanum κλυζοτέχνην, indeque micantia ab illo fabricata arma Achilli detulit. Iam quartus Neptunus ſiniſtra manu delphinum geſtat,

Oceani, caelique decus (*c*),

dexteraque tridenti innititur. Fulgentius Mythologus (*d*) tridente ſignificari ſcribit tres qualitates, ut aiunt, aquae: eſſe nimirum liquidam, fecundam, & potoriam. Quintus Mercurius dextera caduceum, ſiniſtra hircum apprehenſum cornibus tenet. In priſcis aliis monumentis cum hirco, ſeu capro expreſſus invenitur, templumque Mercurii Criophori, ideſt hircum, ſeu caprum ferentis, a nobiliſſimo artifice Calamide perfeċtum Pauſanias (*e*) Tanagrae ſe vidiſſe memorat. Exſtat in Muſeo Carpineo, nunc Vaticano, aeneum cum oculis argenteis Mercurii arietem ferentis ſimulacrum. Neque vero Tanagrae ſolum, ſed in pleriſque etiam Graeciae oppidis Mercurii ſtatuas ſic inſignitas ſe comperiſſe Pauſanias teſtatur (*f*); quod Mercurius ex eius gentis ſententia ovium imprimis, atque caprarum greges tueretur, atque augeret: qua de re Homeri recitat verſus huiuſmodi (*g*):

. . . . . Ὃ δ' οὔτασεν Ἰλιονῆα
Υἱὸν Φόρβαντος πολυμήλου, τόν ῥα μάλιστα
Ἑρμείας Τρώων ἐφίλει, καὶ κτῆσιν ὄπασσε.
. . . . . *Hic vulneravit Ilioneum*
Filium Phorbantis divitis: quem maxime
Mercurius Troianorum diligebat, & facultates dederat.

Sexto loco mihi Ceres. Cuſpidi haſtae, cui dextera innititur, papaver infixus videtur, quem papaverem *ovale ornamentum* Winckelmannius vocat. Cereri papaverem ſacrum fuiſſe, quam ob cauſſam *Cerealis* a Virgilio (*h*) nominatur, Servius ſcribit: *Vel quod eſt eſui ſicut frumentum, vel quod Ceres uſa eſt ad oblivionem doloris: nam ob raptum Proſerpinae vigiliis, guſtato eo, acta eſt in ſoporem; vel quia Myconem Athenienſem dilexerit Ceres, & transfiguratum in papaverem tutelae ſuae iuſſerit reſervari; vel quia pani aſper-*

(*a*) *Corinth.* lib. II. cap. 35.
(*b*) *Iliad.* lib. XVIII. verſ. 141.
(*c*) Manil. *Aſtron.* lib. I. verſ. 347.
(*d*) *Mythol.* lib. I. cap. 3.
(*e*) *Boeot.* lib. IX. cap. 22.
(*f*) *Meſſen.* lib. IV. cap. 33., *Eliac. prior.* lib. V. cap. 27., *Corinth.* lib. II. cap. 3.
(*g*) *Iliad.* lib. XIV v. 498.
(*h*) *Georg.* lib. I. verſ. 212.

aſpergatur. Sed Phornutus his de cauſſis myſticis, videlicet quod terrae figuram rotunditate, ſuperficiei ſcabritie montes, & valles, intimaque ſui ratione, & ſinibus, atque cavitatibus arbores, cavernas, vimque maximam, quae in terra ineſt, gignendi praeſeferat. Quod ſi quis hanc figuram dicere Iſidem, aut Veſtam velit, non repugno; propterea quod terram veteres, Cererem, Iſidem, atque Veſtam dixerint: quod alibi demonſtrabitur.

Septimo loco Venus utraque manu florem geſtat, quod ex Graecorum, Latinorumque ſententia hortis praeeſſet, & aprilem menſem haberet ſibi ſacrum, quia eo menſe omnia floreſcunt (*a*).

Sequitur octavo loco Mars, ſcutum haſtamque ſiniſtra, dextera galeam tenens. Deinde Diana, Apollo, Hercules, poſtrema Minerva. Harum quaeque imago propriis inſignibus ornatur. Sed haec cum ſatis explorate cognita cuique ſint, ſilentio praetermitto. Iam vero a Servio in I. Aeneidum (*b*) Palladem in numero maiorum Deorum non poni, imprudenter, ne gravius dicam, Winckelmannius cenſuit. Nam loco indicato Servius Iunone minorem Palladem fuiſſe ſcribit quidem: non numerari autem in Diis maioribus non item. Imo vero in maioribus numerari clare docet (*c*), ubi nonnullos cenſere ait, eoſdem eſſe Penates Deos, ac magnos, quos Virgilius nominat; contra vero alios docuiſſe Penates a magnis Diis diſtinguendos eſſe, *ut magnos Deos accipias, Iovem, Minervam, Mercurium, quos Aeneas de Samothracia ſuſtulit*.

(*a*) Vid Philoſt. *Icon.* lib.I. c.6., Varr. *de ling. Lat.* lib.v. p.48., Plin. *Hiſt. nat.* lib.xix. ſegm.19. c.4., Feſt. *de verb. ſignific.* in voc. *Ruſtica Vinalia*.

(*b*) Ad verſ. 4.

(*c*) Ad verſ. 679. lib. VIII.

EXPLI-



C.A.

EXPLICATIO
TAB. XXIII.

Quum multa ab Amazonibus praelia geſta fuiſſe veteres Scriptores memoriae prodiderint ; quodnam ex iis hoc in praeſtantiſſimo Sarcophago ex marmore Pario , longo palmos XI., iam inde ab anno 1744. ex agro Salonitano , quem agrum Capitulum S. Mariae Maioris poſſidet , effoſſo , repraeſentetur , incertum eſt . Scribit auctor Indicis Capitolini , exſtaſſe in eo Sarcophago nedum oſſa cadaveris , ſed etiam balſamum converſum in lapidem , & aureum annulum ſmaragdo , rotundoque , atque cuſpidato , inſtar adamantis , amathyſto ornatum . Si quid aſſequi coniecturis liceat , Amazonum pugnam cum Theſeo , atque Athenienſibus exhiberi ſuſpicor ; quas in fines Athenienſium , acceptas iniurias ulciſcendi cauſſa , cum claſſe veniſſe Plutarchus imprimis (*a*) , atque Pauſanias tradunt (*b*) . Coniecturae autem hae ſunt . Primum quod Amazonum hoſtes Graeco veſtitu , atque armatura induti videantur : ob quam ipſam cauſſam Montfauconius (*c*) in ſimili Sarcophago , olim in aedibus Capitolinis ſervato , cuius ille exemplum a Nicolao Beatricio Lotharingo iam inde ab anno 1559. aere inciſum in ſuum Antiquitatum opus intulit , eamdem exprimi pugnam cenſuit . Deinde quod Amazones in ea pugna devictae fuerunt , & in hoc quoque anaglypho devictae profligataeque occurrunt ; earum enim nonnullae in operculo ſculptae demiſſis crinibus , maerentes , religatiſque , more mancipiorum , poſt terga manibus . Ac Hippolyta quidem , ut Pauſanias prodidit (*d*) , eius praelii dux , cum caſum hunc ſuum graviſſime ferret , ſpe demigrandi in patriam deiecta , ita eſſe animo perculſo , atque abiecto coepit , ut non multo poſt

(*a*) In vita Theſei Tom.I. pag.25. &c. edit. Auguſt. Brian. 1729.

(*b*) *Attic.* lib. I. cap. 15. & 41.

(*c*) *Antiquit. expliq.* Tom.IV. Par.I. cap.7. Tab. 71.

(*d*) *Attic.* lib. I. cap. 41.

Megarae, quo cum paucis Amazonibus ſeceſſerat, obierit extremum diem. Quare Senatus decreto, ei poſitum ad ſcuti, quo Amazones utebantur, formam monumentum fuit. Tertia coniectura eſt; quod Athenienſes, quoniam tum primum cum exteris hoſtibus, atque longinquis dimicarunt (*a*), mirum in modum longe lateque eam pugnam celebrare, quo loco, quoque tempore praeliati fuiſſent litteris tradere, idque ſculpturis, picturiſque exprimi curarint (*b*). Ac Phidias quidem in clypeo praeclariſſimae ſtatuae Minervae (*c*) Amazonum pugnam inſculpſit; eamdemque Micon Athenienſis in celebri porticu, quae Poecile vocabatur, cum Maratonia, atque Perſica pugna eam aequans pinxit. Cognita Plinio (*d*), atque Ariano (*e*) haec Miconis pictura fuit. Atque is, quem poſtremo loco nominavi: Καὶ γέγραπται ἡ Ἀθηναίων, καὶ Ἀμαζόνων μάχη πρὸς Μίκωνος οὐ μεῖον ἤπερ ἡ Ἀθηναίων, καὶ Περσῶν. *Et picta eſt Athenienſium, & Amazonum pugna a Micone, non minus quam Athenienſium, & Perſarum.* Vulcanius Κίμωνος legit, Miconemque pictorem nobiliſſimum fecit Cimonem hiſtoricum, inquiens: *Scripta etiam eſt a Cimone Athenienſium cum Amazonibus pugna, non minus accurate, quam Athenienſium, ac Perſarum.* Equidem miror, quod Vulcanius Ariſtophanem (*f*) non legerit. Is enim ait:

. . . . . . Τὰς δ' Ἀμαζόνας σκόπει
Ἃς Μίκων ἔγραψεν ἐφ' ἵππων μαχομένας τοῖς ἀνδράσι;
. . . . . . *Non vides Amazonas,*
Quas Micon equis ſedentes pinxit, & contra viros.

Quem in locum Ariſtophanis vetus quidam Scholiaſtes ſcripſit hoc modo: Ποικίλη στοὰ Ἀθήνησι οὕτω λεγομένη, διὰ τὴν οὖσαν γραφὴν, ἔνθα πεποίηκεν ὁ Μίκων τῶν Ἀμαζόνων τὴν μάχην. *Porticus Poecile Athenis ſic appellabatur a picturis, quae ibi erant; in qua fecit Micon Amazonum pugnam.* Si igitur haec ita ſint, iam Theſeum dicere illum poſſumus, qui in anaglypho medius dextera manu comprehenſis habenis equum contra Amazonem obnitentem retinet. Nam barbatus eſt, ut in Muſeo Iuſtinianeo, & apud Begerum (*g*) Theſeus exhibetur; ac praeterea unus ex omnibus eminet galeatus, criſtatus, loricatus, ut ducem exercitus decet.

Sed iam ſatis coniecturas proſecuti ſumus; intereſt modo ea potius perpendere, ex quibus elucet artificis operiſque praeſtantia. Quis autem eorum, qui rationem, ſcientiamque delineandi figuras norunt, mirificam eſſe in hoc anaglypho diſpoſitionem, atque ordinem figurarum neget? Ecquis litteratorum dubitet, veſtitum, atque armatum harum Amazonum a veteribus auctoribus deſcribi? Qua de re confer, ſi velis, quae animadverſa fuerunt a cl. v. Ioh. Bottario in tertio volumine huiuſce Operis, ubi ſtatuam Amazonis, quae in Muſeo Capitolino adſervatur, illuſtrat. Etſi vero is copioſius, ubi ad hoc noſtrum anaglyphum explicandum perveniſſet, ſe acturum de re eadem promiſerit; nos tamen ne longiores ſimus, quam neceſſe eſt, colligere ea, quae ſingularibus opuſculis de Amazonibus apte ad earum veſtitum, armatumque a doctis viris traduntur, omittimus: atque id ſolum contendimus, Amazones hoc in Sarcophago

(*a*) Pauſan. *Eliac. prior.* lib. v. cap. 11.

(*b*) Vid. Ariſtid. *Panathenaic.* To. I. Oration. pag. 118. edit. Samuel. Iebb. 1722., Iſocr. *Panegyr.* pag. 127., & *Panathenaic.* pag. 651. edit. Hieronymi Wolf. 1587.

(*c*) Vid. Plutarc. in vit. Pericl. To. I. p. 373. edit. Brian., & Plin. lib. xxxvi. cap. 5., & Pauſan. *Attic.* lib. I. cap. 17.

(*d*) Lib. xxxv. cap. 9. ſect. 35.

(*e*) *De exped. Alexandr.* lib. vii. cap. 13.

(*f*) *Lyſiſtrat.* v 679.

(*g*) *Theſ. Brandenburg.* Tom. iii. pag. 318.

cophago ita exprimi, ut nihil quod ad declarandum illarum habitum, formam, atque ornamenta pertinet, praetermiſſum a ſculptore fuiſſe videatur.

Principio igitur, unaquaeque Amazonum utramque mammam habet, ac praeſertim nudatam dexteram, uti in omnibus antiquis monumentis apud Gronovium (*a*), Begerum (*b*), atque Montfauconium (*c*) Amazones exhibentur. Quare perſpicue falſum eſt, quod Petrus Petitius (*d*) defendit, illas dexteram mammam praecidere conſueviſſe; imperitumque fuiſſe fabrum veteris lucernae a Fortunio Liceto vulgatae (*e*), quod in ea Amazonem cum dextera mamilla vulnere traiecta pene exanimem brachiis ſociae Amazonis ſuffultam expreſſerit. Quod ſi Vaillantius (*f*) in nummo Gallieni, & Seguinus in nummo Smyrnenſium Amazonem ſine dextera mamma ſe vidiſſe teſtantur; id praeiudicata opinione, ut Winckelmannius (*g*) animadvertit, viderunt: quod ita informatum, anticipatumque eorum mentibus eſſet, conſueviſſe Amazones ſibi dexteras mamillas abſcindere. Quis tam caecus in contemplandis eiuſmodi nummis eſt, ut non videat eos ſaepiſſime detritos, corroſos, ac deformatos eſſe, cognoſcique, propter exiguitatem figurarum, mamillas certo non poſſe? Quid? Nonne & Maffaeius (*h*), & Auctor libri inſcripti *Roma antica* (*i*) editi an. 1745. in maximo errore verſantur, ut demonſtratum a Winckelmannio fuit (*k*): cum contra marmoris fidem ille ſcribat Amazoni villae Matthaeiae, hic Capitolinae dexteram mamillam deeſſe? Sed iam proponam in medium teſtimonia veterum Scriptorum, ex quibus iſtiuſmodi opinionem in erratis eſſe conſtet. Ecce Q. Smyrnaeus Amazonem nomine Bremuſam ab Idomeneo in dextera mamilla vulneratam fuiſſe prodit (*l*), inquit enim:

> Ἰδομενεὺς δὲ Βρέμουσαν ὀνήρατο δούρατι μακρῷ
> Δεξιτερὸν παρὰ μαζόν.
> *Porro Idomeneus Bremuſam longa haſta letaliter ſauciat*
> *Prope dexteram mammam.*

Et alio loco (*m*) de Achille ſic loquitur:

> Αἶψα δ' ὑπὲρ μαζοῖο δαΐφρονα Πενθεσίλειαν
> Οὖτασε δεξιτεροῖο.
> *Ac ſubito ſupra papillam bellicoſam Pentheſilaeam*
> *Vulnerat dexteram.*

Ecce Virgilius (*n*) Camillam, in qua Amazonis ſpeciem exprimere verſibus intendit, in mamilla nudata, eaque, ut paullo poſt videbimus, dextera ſauciam dicit:

> *Haſta ſub exertam, donec perlata papillam*
> *Haeſit, virgineumque alte bibit acta cruorem.*

Quem in locum opportune Servius *exertam* interpretatur *nudam*: unde illud Propertii de Amazonibus (*o*):

> *Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis*
> *Thermodonteis turba lavatur aquis.*

Errant

(*a*) *Theſaur. antiq. Graecar.* Tom. I.
(*b*) *Theſaur. Brandenburg.* Tom. III. pag. 318.
(*c*) *Antiq. expliq.* Tom. IV. Par. I.
(*d*) *De Amazon.* cap. 26.
(*e*) *De lucern. antiq.* lib. VI. cap. 55.
(*f*) *Num. Muſ. de Campſ.* pag. 114.
(*g*) *Monum. antichi* num. 137. pag. 184.
(*h*) *Spoſiz. delle ſtatue ant.* fig. 109. pag. 202.
(*i*) Tom. I. pag. 90.
(*k*) Loc. cit.
(*l*) Lib. I. verſ. 245.
(*m*) Ibi verſ. 592.
(*n*) *Aeneid.* lib. II. v. 803.
(*o*) *Carm.* lib. III. eleg. 12. v. 15.

Errant igitur ii, qui ne hoc Virgilii teſtimonio premantur, *exſectam*, non autem *exertam*, legunt. *Exertam*, inquam, in omnibus codicibus ſcriptum conſpicimus, exacte quidem ad alia, quae ad Amazones pertinent eiuſdem Virgilii teſtimonia. De Pentheſilaea enim ait (*a*):

Aurea ſubnectens exertae cingula mammae;

& rurſum de Camilla (*b*):

At medias inter caedes exſultat Amazon
Unum exerta latus pugnae pharetrata Camilla.

Neque minus magno in errore ſententia eſt Ludovici la Cerda (*c*), qui nulla ratione, nulloque veterum Scriptorum teſtimonio fultus, Amazones mamillas ſiniſtras habuiſſe nudatas cenſuit. Quid enim eſt evidentius in aeneis, atque marmoreis ſtatuis Amazonum, quam praeſeferre nudatas dexteras, nullo vero modo ſiniſtras mammas? At dexteras praecidebant, quo expeditius tractare arcum, iacereque ſagittas valerent. Itane vero? Nonne Tyriae virgines (*d*), nonne Diana, nonne huius Nymphae, in venationibus arcum tractabant, iaciebantque ſagittas? Quid? num etiam has ſibi praecidiſſe dexteras mamillas dices? Profecto neque tu dices, neque id cuiquam in mentem venit.

Ergo, ſi umquam Amazonum regnum, quod ipſe equidem fabuloſum reor, numquam dabo eas bellatrices mulieres nominatas fuiſſe Amazones, quod alterutra mamma carerent, quod ſibi comburerent, ut aiunt nonnulli (*e*), aut adhibita Naxia cote in pulverem comminuta (*f*) impedirent ne creſceret, ut alii volunt. Veri ſimile eſt eiuſmodi opinionem ex Graeco ἀμαζός, quaſi compoſitum eſſet ex vocibus α *ſine*, & μαζὸς *mamilla*, in vulgus manaſſe. Sed non video, cur non ab aliquo Scythico vocabulo ita nominarentur, cum in Scythia Amazonum regnum exſtitiſſe proditum ſit. Iam eum fuiſſe Graecorum morem intelligo, ut ex interpretatione vocum aut fabulas comminiſcerentur, aut iis mirifice res geſtas implicarent. Quare illa quoque dici ſtultiſſime, plenaque eſſe levitatis exiſtimo: Amazones ita fuiſſe appellatas, quaſi ſine mamma matris, quod infantes lacte equino nutrirentur (*g*); ſeu quod non pane, ſed lacertis, teſtudinibus, aliiſque eius generis animantibus veſci conſueverint, quia μᾶζα *panem* ſignificat, ἀμᾶζα *ſine pane*. Rurſum earum nomen duxerunt alii a vocibus ἅμα *una ſimul*, & ζῶ *vivere*, & fabulati ſunt eas in commune vixiſſe ſeiunctas a viris (*h*), cumque in patriam reverterentur, mares, quos gignerent, debilitare ſolitas, ne militare umquam poſſent (*i*).

Praeterea Amazones, ut vides in anaglypho, equitantes praeliabantur. Hae omnium primae, auctore Lyſia (*k*), uſae equis in bello fuerunt; & Pindarus (*l*) cecinit eas εὐίππους *equitandi*, ſive δαμνίππους, ut Orpheus ſcribit (*m*) *domandi equos laude praeſtitiſſe*. Quintus etiam Smyrnaeus (*n*) animadvertit, Pen-

(*a*) *Aeneid.* lib. I. v. 446.
(*b*) Ibi lib. II. v. 648.
(*c*) In Comment. ad Virg. verſ. 803. lib. XI. *Aeneid.*
(*d*) Virgil. *Aeneid.* lib I. v. 340.
(*e*) Vid. Diodor. Sicul. lib. II. c. 45. p. 156., lib. III. c. 53. p. 221. edit. Weſſeling., Q. Curt. lib. VI. c. 5. p. 422. edit. Henric. Snakenb. 1724.
(*f*) Vid. Galen. *de ſimplic. medicam. facult.* lib. IX. cap. 2. §. 17.
(*g*) Vid. Philoſtrat. *Heroic.* cap. 19. §. 19. p. 750. edit. Olear., Virgil. *Aeneid.* lib. XI. v. 570.
(*h*) Vid. S Iſidor. *Origin.* lib. IX. c. 2. p. 164.
(*i*) Vid. Sext. Empyr. *Pyrrhon. hypoth.* lib. III. c. 24. n. 217. pag. 182. edit. Fabric.
(*k*) Ἐπιτάφιος τοῖς Κορινθίων βοηθοῖς in princ. inter Script. Graec. ab Aldo edit. an. 1513. p. 90.
(*l*) *Olymp.* Od. 8. verſ. 62.
(*m*) *Argonaut.* verſ. 738.
(*n*) Lib. I. v. 165.

Penthesilaeam, cum ſuppetias Troianis ferret, inſediſſe equo pulchro, atque velociſſimo. Neque vero in noſtro tantum anaglypho Amazones ex equis pugnantes exhibentur, ſed etiam in aliis monumentis apud Montfauconium (*a*), Begerum (*b*), atque Triſtanum. Ac apud Begerum quidem Theſeus pedeſter Hippolytam admiſſo equo fugientem inſequitur: apud Triſtanum vero (*c*) in nummo Macrini Heracleae in Ponto cuſo Amazon equo inſidens ab Hercule pedeſtri clava appetitur. Nam Amazones, teſte Philoſtrato (*d*), ubi ex equo deſcendiſſent, timidae, atque, ut reliquae feminae, imbelles. Hinc apud Virgilium ille Ligur Camillam praelio pedeſtri laceſſens inquit (*e*):

. . . . Quid tam egregium, ſi femina forti
Fidis equo? dimitte fugam, & te cominus aequo
Mecum crede ſolo, pugnaeque accinge pedeſtri.

Multi generis armis Amazones utebantur, atque imprimis ſecuri; qua de cauſſa ſecuris ab Horatio *Amazonia* (*f*), & a Claudiano *Thermodontiaca* (*g*) nominatur. Hoc genus armorum, quibus Camilla, eiuſque ſociae utebantur, cum *validam*, tum *aeratam bipennem* Virgilius vocat (*h*), eaque Orſilocum a Camilla percuſſum interiiſſe ſcribit. Ictu bipennis in anaglypho Amazon appetit militem ex equo deiectum, dum in eum conſcenderet, ut ex elato, ephippioque innixo dextero pede [quod negligentia eius, qui Sarcophagi exemplum aere incidit, praetermiſſum eſt], atque ex ſiniſtra manu, qua habenas retinet, colligitur. Apollonius Rhodius eiuſmodi ſecures (*i*) ἀμφιτόμους *ex utraque parte acutas* appellat, ut in noſtro anaglypho, atque in pleriſque vetuſtis nummis (*k*), marmoreiſque monumentis cernuntur; & ſic Penthesilaea apud Q. Smyrnaeum (*l*) δεξιτερῇ ἀμφίτυπον βουπλῆγα ſtrinxit *dextera ſecurim ex utraque parte acutam*. Novi Amazonem in fragmento veteris vitri ab Angelo Caninio vulgato (*m*) videri armatam ſecuri altera ex parte acuta, & ex altera acie curva; at quis certiores nos facit de integritate picturae, & de diligentia & fide delineatoris? Penthesilaeam vero inventricem huiuſce generis armorum fuiſſe Petrus Petitius ex Plinii teſtimonio concludit, quod eſt huiuſmodi (*n*): *Haſtas velitares Tyrrhenum, pilumque: Penthesilaeam Amazonem ſecurim: Piſaeum venabula &c.* Quo teſtimonio fortaſſe fultus Polidorus Virgilius (*o*) in eadem verſatus ſententia fuit. Verum cum Harduinus undique conquiſitis, iiſque ſelectis Plinii codicibus eum locum emendarit, edideritque hoc modo: *Haſtas velitares, Tyrrhenum: Pilum, Penthesilaeam Amazonem: ſecurim, Piſaeum: venabula &c.* (*p*); iam Piſaeo, non autem Penthesilaeae illud inventum eſſe tribuendum liquet.

Nec ſola ſecuri, ſed aliis etiam armis Amazones uti conſueviſſe ex operculo Sarcophagi perſpicuum eſſe cuique poteſt. Nam & pharetrae, & arcus, & tela, & haſtae longae ibi exhibentur. Sed & Lucianus in Dialogo *de ima-*

(*a*) Loc. cit.
(*b*) Loc. cit.
(*c*) *Commentair. hiſtoriq.* Tom. II. pag. 297.
(*d*) *Heroic.* cap. 19. §. 20. pag. 751.
(*e*) *Aeneid.* lib. XI. verſ. 705.
(*f*) *Carm.* lib. IV. od. 4. verſ. 20.
(*g*) *De raptu Proſerp.* lib. II. verſ. 66.
(*h*) Ibi verſ. 651. 656., & 696.
(*i*) *Argonaut.* lib. I. verſ. 168.
(*k*) Vid. Petit. *de Amazon.* cap. 24.
(*l*) Lib. I. verſ. 157.
(*m*) *Iconografia* num. 16. pag. 39.
(*n*) Lib. VII. cap. 56. ſect. 57.
(*o*) *De inventorib. rer.* lib. II. c. 11., & lib. III. cap. 14.
(*p*) Vid. emendat. & not. num. 165.

de imaginibus in admirandis Phydiae ſtatuis τὴν Ἀμαζόνα τὴν ἐπερειδομένην τῷ δορατί. *Amazonem haſtae innixam* numerat (*a*). In Graeco quoque Caracallae nummo a Magneſiis cuſo, atque a Patino (*b*) vulgato, Amazon haſtam geſtat; inque pugna inſculpta in Sarcophago apud Montfauconium (*c*), & in alio ſervato in atrio Vaticano, quod dicitur *Belvedere*, Amazones haſtis pugnant. A Poëtis etiam haſtis ornatae deſcribuntur. Sic Pentheſilaea, ut ait Q. Smyrnaeus (*d*), in caſtra, ut auxilio Troianis eſſet, profecta *praelongam haſtam* in Achillem, & Aiacem *omnium prima coniecit*: quam haſtam idem Smyrnaeus nigram appellat, quod plerique illa transfixi a Pentheſilaea fuiſſent (*e*) Et Virgilius quoque prodit, hoſtes magno numero a Camilla haſta tranſverberatos occubuiſſe (*f*).

Praeterea arcus, teliſque refertae pharetrae, in noſtri anaglyphi operculo, ad Amazonum conſuetudinem hac quoque in re exprimendam occurrunt. Complures Camillae telis confixos Virgilius enumerat; & Pentheſilaeam ſecum deduxiſſe equum oneratum pharetra, & arcu Q. Smyrnaeus ſcribit (*g*).

Hoc addam inſuper, omnes Amazones noſtri Sarcophagi colligatis in nodum capillis, ac ſine galea, praeter illam Amazonem, quam mortuam vides, pugnare: unamquamque vero illarum, quae in operculo demiſſis in humeros crinibus ſedent, galeam ſimul cum reliquis armis humi poſitam apud ſe habere. Q. Smyrnaeus (*h*) de Pentheſilaea cecinit:

: . . . . ἀμφὶ δὲ κρατὶ
Θῆκε κόρυν κομόωσαν ἐθείρῃσι χρυσέῃσιν.
. . . . *capiti etiam*
Impoſuit galeam aureis comis criſtatam.

Reſtat, ut de ſcutis dicamus, quae in operculo humi poſita, & in Sarcophago brachiis Amazonum cum hoſtibus pugnantium aptata cernuntur. Notiſſima viris eruditis Amazonum haec ſcuta ſunt, proprioque vocabulo peltae appellantur. *Eſt autem Pelta*, inquit S. Iſidorus Hiſpalenſis (*i*), *ſcutum breviſſimum in modum lunae mediae*. Similia in primum Aeneidum librum Servius habet declarans huiuſmodi verſus (*k*):

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Pentheſilaea furens;

quae libro quoque XI. de comitibus Camillae loquens Virgilius ſcribit (*l*). Sed ex Q. Smyrnaeo clarius quae fuerit figura peltarum noſcimus: haec enim habet ille de Pentheſilaea (*m*):

Ἂν γ' ἕλετ' ἀσπίδα δῖαν ἀλίγκιον, ἄντυγι μήνης,
Ἧθ' ὑπὲρ ὠκεανοῖο βαθυῤῥόου ἀντέλλῃσιν
Ἡμίσυ πεπληθυῖα περὶ γναμπτῇσι κεραίης.
Divinum etiam clypeum ſuſtulit lunae orbi ſimilem,
Quae ſuper altifluo Oceano exoritur,
Sub cornibus incurvis ad dimidium ſui plena.

Verum

(*a*) Tom. II. Oper. §. 4. pag. 462.
(*b*) *Theſaur. numiſm.* pag. 187.
(*c*) *Antiquit. expliq.* Tom. IV. Par. I. Tab. 71.
(*d*) Lib. I. verſ. 545.
(*e*) Lib. I. verſ. 286.
(*f*) *Aeneid.* lib. XI. verſ. 666.
(*g*) Lib. I. verſ. 336.
(*h*) Lib. I. verſ. 149.
(*i*) *Origin.* lib. XVIII. cap. 12. pag. 358.
(*k*) Verſ. 495.
(*l*) Verſ. 664.
(*m*) Lib. I. verſ. 146.

Verum animadvertendum eſt, peltas Amazonias cum in noſtro anaglypho, tum in aliis pleriſque veteribus monumentis, duplicem mediae lunae figuram praeferre. Qua de re Ludovicus la Cerda (*a*) laudat Plinium (*b*) aientem peltas foliis ficus Indicae eſſe ſimiles. At nego id colligi ex Plinii teſtimonio certo poſſe. Is enim loco indicato, ut animadverſum a Salmaſio (*c*), atque ab Harduino eſt, Theophraſtum latine vertit: Theophraſtus autem ait folium ficus Indicae eſſe peltae ſimile, quin addat *Amazoniae*. Nonne peltis Thraces utebantur, iiſque diſſimilibus Amazoniarum peltarum? Sed & Pollux labitur dicens (*d*): Πέλτη Ἀμαζονικὴ, ὥς φησὶ Ξενοφῶν, παρεοικυῖα κιττῦ πιταλ. *Pelta Amazonica, ut ait Xenophon, folii hederae eſt ſimilis*. Nam Xenophon (*e*) Moſynecorum quidem ſcutum memorat, Amazonum autem non item. Ceterum Amazonem ſcuto ovalis figurae ornatam in anaglypho villae Burgheſiae Winckelmannius animadvertit (*f*); quod inuſitatum eſſe docet, & tamen eius ſimilia in aliis quatuor anaglyphis ſe vidiſſe ſcuta ſcribit.

De veſtitu autem Amazonum inquirendo comperi, illas eodem fere cum in noſtro, tum in ceteris omnibus priſcis monumentis, ſi aliquot excipias, ornari (*g*); brachiis tamen, cruribus, dexteraque pectoris parte nudis, ut apud Virgilium (*h*):

Unum exerta latus pugnae pharetrata Camilla.

Quamobrem audiendus non eſt Ludovicus la Cerda, qui in hunc Virgilii verſum, ut ſupra diximus, ſcribit (*i*), Camillam nudatum habuiſſe ſiniſtrum latus. Mirum! Anne nullum ex veteribus monumentis viderat, in quibus Amazones repraeſentantur? Sed plane mirum magis, quod non meminerit ſaltem Callimachi, qui de Diana, & Nymphis eam in venatione comitantibus loquens diſertiſſime adnotat, quod (*k*)

. . . . . Ἀσύλωτοι δέ σφιν ὦμοι
Δεξιτεροὶ, καὶ γυμνὸς ἀεὶ παρεφαίνετο μαζὸς.
. . . . . *Nudi autem illis humeri*
Dextri, & nuda ſemper conſpiciebatur mamma.

Enimvero vocem ἀσύλωτοι vertit *inviolabiles* Theodorus Graevius, ſed perperam, ut oſtenſum ab erudititiſſima Anna Daceria (*l*), & a doctiſſimo Spanhemio fuit. Atque Spanhemius (*m*) tum veterum Scriptorum teſtimoniis, tum multis nummis, in quibus Diana venatrix, dextera pectoris parte nuda, uti noſtrae Amazones, occurrit, ſuam ſententiam probat. Quod ſi quis requirat quam ob cauſſam Diana in venationibus, atque Amazones in praeliis dexterum latus nudarint, nihil eſt, quod tam facile me expedire poſſe putem. Nam validior, agiliorque eſt dextera, ut omnes norunt, quam ſiniſtra ad diſtringendum gladium, tela coniicienda, cumque hoſte pugnandum.

Quod ſi nonnullae in noſtro anaglypho Amazones conſpiciuntur brachiis tantum nudis, non autem dextero etiam latere; animadvertes tamen veſtitum cuiuſque haud abſimilem eſſe, nempe brevem tunicam aut dextrorſum ſolu-

 tam,

(*a*) Ad v. 664. lib. II. *Aeneid.*
(*b*) Lib. XII. cap. 5.
(*c*) *Exercit. Plinian. in Solin.* cap. 52. p. 715.
(*d*) *Onomaſt.* lib. I. cap. 10. ſegm. 134.
(*e*) *De expedit. Cyri* lib. V. pag. 352.
(*f*) *Monumenti antichi* num. 137. pag. 186.
(*g*) Vid. Petit. *de Amazon.* cap. 21.
(*h*) *Aeneid.* lib. XI. verſ. 649.
(*i*) In not. ad hunc verſ.
(*k*) Verſ. 213.
(*l*) In *animadverſ.* ad hunc loc.
(*m*) In *adnotation. ad Callim.* pag. 273.

tam ; aut fibula in humero ligatam , quo ſolvi facilius poſſet . Eodem veſtitu indutam video Amaſtrim , & Amiſum ſacrificantes in nummo Antonini apud Patinum (*a*) , atque Petitium (*b*) , & forte talis eſt Hippolyta , quam Hercules inſequitur , in nummo Heracleenſi ; cuius ſuperius memini . Attamen plerumque nudata dextera parte pectoris expreſſae occurrunt , alioquin veſtitus , ut ait Philoſtratus (*c*) οὔπω Ἀμαζόνιος *numquam Amazonius* . Praeterea unaquaeque ex noſtris Amazonibus zona , ſeu baltheo , quod erat cingulum militare , lumbos cingit . Antiope Regina Amazonum baltheo aureo utebatur , ut ſcribit Seneca hoc verſu (*d*) :

Aurato religans ilia baltheo .

Demum cothurnis unamquamque calceatam vides . His Amazones imprimis uti conſueviſſe ex Plutarcho (*e*) colligimus . Nam , ut is narrat , milites Pompeiani , cum peltas , atque cothurnos inter caeſorum hoſtium cadavera reperiſſent , Amazones Mitridati ſuppetias veniſſe iudicarunt .

In extremis Sarcophagi lateribus duae exſtant alatae mulieres , quarum una haſtae impoſitum trophaeum ſuſtinet , altera coronam oſtentat . Hae Victoriae duae ſunt , non modo veſtitu , ſed aliis etiam inſignibus ſimiles Victoriarum , quae in multis aliis vetuſtis monumentis conſpiciuntur .

Duo denique capita , quae ſummo Sarcophago ornamento ſunt , Solem , & Lunam cenſeo , indicantque perpetuam varietatem , atque viciſſitudinem humanarum rerum . In nummo Hadriani Aeternitas effingitur dextera manu caput indicem Solis tenens , ſiniſtra alterum caput indicem Lunae .

(*a*) *Imperat. Rom. numiſmat.* pag. 181.
(*b*) *De Amaz.* cap. 35.
(*c*) *Icon.* lib. II. num. 5. pag. 816.
(*d*) *Herc. Fur.* verſ. 542.
(*e*) In vita Pompeii Tom. III. pag. 460.





EXPLICATIO
TAB. XXIV.

HIC pulcherrimi operis Sarcophagus perpetuum Endymionis ſomnum repraeſentat. Sunt qui pro Endymione Adonidem humi ſtratum, ac ſemianimem repraeſentari malint: alii non dormientem, ſed mortuum exprimi Endymionem. Alii denique in editiore loco poſitam perſonam eſſe Venerem dicunt, quae intento digito Dianae amaſium commonſtret, quae quomodo inter ſe cohaereant non ſatis video. Ego vero ab artifice hic eſſe expreſſum aeternum Endymionis ſomnum, & in aeterno ſomno immortalitatem ei donatam ſignificari plane non dubito. Singula breviter expendamus.

Quercus primum occurrit arbor Iovi quidem ſacra: ſed ex qua etiam una cum draconum voluminibus innectebantur olim coronae, quibus moris erat imagines coronare Triviae Dianae τῆς Ἐνοδίας, ſive Τριοδίτιδος, quae eadem erat ac Hecate. Audi Apollonium Rhodium (*a*) dicentem, quod cum Iaſo ſacris adhibitis, & precibus Hecatem evocaſſet:

. . . . Ἡ δ᾽ ἀΐουσα
Κευθμῶν ἐξ ὑπάτων δεινὴ Θεὸς ἀντεβόλησεν
Ἱεροῖς Αἰσονίδαο· πέριξ δέ μιν ἐστεφάνωντο
Σμερδαλέοι δρυΐνοισι μετὰ πτόρθοισι δράκοντες.
. . . . *Et audit eas*
Severa Dea ex intima latebra, venitque
Ad Iaſonis ſacrum, ipſa undique redimita
Horribilibus, praeter ramos quernos, draconibus.

 Quae

(*a*) *Argonaut.* lib.III. verſ.1211.

Quae verba Scholiaſtes ſic illuſtrat : Ὅτι δράκουσι, καὶ δρυΐνῳ κλάδῳ στέφεται ἡ Ἑκάτη, καὶ Σοφοκλῆς ἐν Ῥιζοτόμοις τὸν χορὸν πεποίηκε λέγοντα·

Ἥλιε δέσποτα, καὶ πῦρ ἱερὸν
Τῆς Εἰνοδίας Ἑκάτης, ἔγχος
Τὸ δι' ὀλύμπου πολλὸν φέρει
Καὶ γῆς ναίουσα ἱερὰς τριόδους
Στεφανωσαμένη δρυσὶ, καὶ πλείστοις
Ὤμων σπειράμασι δρακόντων.

Quia ſerpentibus, & ramis quernis coronatur Hecate. Sophocles autem in Rhizotomis chorum dicentem inducit:

Sol domine, & ignis ſacer
Compitalis Hecatae, quae telum
Per olympum valide intendit,
Et terrae habitat ſacra trivia
Coronata quercubus, & multis
Humeros onuſta ſpiris draconum.

Prope roboris truncum papilio volitat, quem Chalcographus non expreſſit. Sub papilionis ſymbolo animam veteres, animaeque immortalitatem deſignaſſe certum omnino eſt; idque, ne antiquos auctores memorem, unus Sponius (*a*) ſatis opportune demonſtrat: eaque plane de cauſſa huic animalculo cum anima commune apud Graecos nomen fuit ψυχή.

Praeterea inſculptum anaglyphum ad Dianam Triviam non temere referri monet etiam ſtatim appoſitus Terminus, vel Herma: nemo enim ignorat tam Mercurii, quam Dianae ſtatuas, & ſimulacra a Graecis, & a Romanis in ianuis, in compitis, in triviis paſſim erigi ſolere, & quaſi amborum Deorum communia eſſent officia, communi nomine utroſque Ἐνοδίους *viales*, & Προπυλαίους *veſtibulares* fuiſſe appellatos; & quemadmodum illum Τρικέφαλον *tricipitem*, ſic iſtam Τριπρόσωπον *triformem* fuiſſe dictam. Sed in marmore anſatus eſt Herma, & ὀρθὰ ἔχει τὰ αἰδοῖα, ut vulgo ſolebat effingi, quae pariter Chalcographus exprimere neglexit.

Ad Terminum loro revinctus, & humi cubans canis una cum hero ſuo placide quieſcit, & ad ſurgendum, latrandumque omnino paratus; ſed nondum Dianam clam advenientem ſentit, & ſuo videtur officio deeſſe; quod plane in alio mox illuſtrando anaglypho non committit.

Senex, in cuius gremio reclinatus iacet Endymion, contra eos, qui Tempus eſſe dicunt, Morpheum eſſe non aegre concederem Winckelmannio (*b*), qui ſecurus hoc affirmat, quamquam neque parvas in eo alas haerentes capiti, neque papilionis humeris videam, quae duo Morphei χαρακτηρισμοὺς eſſe contendit, ſi ad quod peculiare munus obeundum Morpheum evocet, edoceret. Nam ſi tantum ut Endymionem ſopiat, cur non potius in ſene alas ſeu vulturis, ſeu aquilae adiunctas humeris habente τὸν Ὕπνον τὴν ἐπίκλησιν Ἐπιδώτην *Somnum cognomento Epidotem* recognoſcere licebit, cuius mentionem facit Pauſanias (*c*), dicens Lacedaemonios Genium Epidotem venerari ſolitos, quod

(*a*) *Miſcellan. ant.* pag. 8.
(*b*) *Monum. ined.* pag. 145.
(*c*) *Corinth.* lib. II. cap. 10., & *Lacon.* lib. III. cap. 17.

quod ipſum Numinum offenſionem a dormientibus avertere exiſtimarent? Itaque τὸν Ὕπνον τὸν Ἐπιδώτην *bonum ſomnum*, τὸν δαίμονα ἀλεξίκακον *Genium averruncum* eſſe ſenem dicam, quem alio forſan ſub nomine religioſe etiam colebant Romani, ut triſtia ſomnia, & ſomni minas averteret, & placidam quietem largiretur: de quo forte Tibullus ſcribit (*a*):

Ipſe procuravi, ne poſſent ſaeva nocere
Somnia, ter ſancta deveneranda mola.

Talem autem decebat eſſe ſomnum, qui Endymionem dulciſſima quiete preſſum foveret gremio. Illa enim vera erat quies, quae ei donatam ab Iove immortalitatem ſignificabat, ut mox dicemus.

Endymionis is ſtatus eſt, ut membris languore ſolutis praeſeferat placide dormientem, non mortuum. Non enim mortuus pede reclinato niteretur ſaxo, neque ſiniſtra fulciret caput; praeterquamquod tota oris pulcherrima ſpecies ſuaviſſimi ſomni, non dirae mortis imaginem demonſtrat. At vero quoniam ex veterum Philoſophorum conſenſu non aliud erat mors, niſi αἰώνιος ὕπνος *aeternus ſomnus*: ſomnus autem nil niſi θανάτου εἰκών, πάσης πνοῆς ἡσυχία, *mortis imago, & univerſi ſpiritus quies*, unde mors, & ſomnus germani fratres dicebantur; proinde recte ſomnum mortem, & mortem ſomnum qui volet appellabit: quod praeſertim in Endymione valet, qui ita perpetuum ſomnum dormire ab Iove impetravit ὥστε ἀθάνατος ἀγήρως τε μένειν, *ut immortalis, & ſenii expers maneret*, ut monet Apollodorus (*b*). Ac mihi quidem perſuaſum omnino eſt, veteres in perpetuo Endymionis ſomno placidum, ac beatum animae ſtatum poſt corporis exceſſum ſignificaſſe: ac propterea quod nullum forſan erat ad hanc beatitudinem declarandam argumentum inſignius, idcirco Endymionaei ſomni fabula ſaepe repetita occurrit in monumentis ſepulcralibus. Sed plura in hanc rem videſis in Fortunio Liceto (*c*), qui Endymionis ſomnum ad philoſophicas contemplationes ſignificandas transfert.

Quae alto in loco eminet placido hilarique vultu ſedens perſona, Venus certe non eſt; nihil enim in ea dignoſcitur, quod femininum ſexum declaret. Ac mihi quidem Endymion ipſe eſt, qui ſtatu, & geſtu corporis allegoriae ſenſum aperit, commutationemque aeterni ſomni ſui, vel mortis in felicitatem ſempiternam manifeſtat. Propterea hic Endymion tamquam in ſublimi throno locatus ab Endymione humi iacente nullatenus diſſimilis toto vultu renidet, manu ſiniſtra coronam adeptae felicitatis ſignum tenet, & dextrum indicem in ipſum Endymionem inferius dormientem intendit, quaſi intuentibus dicat: ille ego ſum Endymion, qui dies, noctesque integras ferreo ſomno domitus dicor dormire, ſed, ut verum eſt, Iovis benignitate aeternam immortalitatem ſum conſequutus. Endymionis igitur apotheoſis haec eſt. Nemo autem ignorat in more fuiſſe Ethnicis, ut iis, qui cum laude bene actae vitae deceſſiſſent, divinitatem tribuerent, eoſque inter ſuperos eſſe receptos non dubitarent. Quod prae-
ſertim

(*a*) Lib. I. eleg. 5. verſ. 13.
(*b*) *Biblioth.* lib. I. pag. 15.
(*c*) *De gemmis annul.* pag. 222.

ſertim de illis claris viris certum eſt, qui Heroes audiebant, quod magna quaedam utilitas ad vitae cultum ab eis eſſet inventa. *Suſcepit autem*, inquit Cicero (*a*), *vita hominum conſuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in caelum fama, ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Caſtor, & Pollux, hinc Aeſculapius, hinc Liber etiam &c.* Id autem obtigiſſe Endymioni tum praeclara eius geſta ſuadent, cum etiam Nonnus confirmat (*b*), qui inter principes Heroas ipſum enumerat. Ac ſimulacra quidem ei feciſſe veteres teſtatur Pauſanias (*c*): Ἐν τῷ Μεταποντίνων θησαυρῷ ἔστιν Ἐνδυμίων· πλὴν δὲ ἐσθῆτος ἐστὶ τὰ λοιπὰ, καὶ τῷ Ἐνδυμίωνι ἐλέφαντος. *In Metapontinorum theſauro Endymion eſt fabrefactus, cuius ſigni, praeter veſtem, ex ebore ſunt omnia.* Id autem concordat cum iis, quae Scholiaſtes Apollonii refert (*d*): Ἐν ταῖς μεγάλαις Ἠοίαις λέγεται τὸν Ἐνδυμίωνα ἀνενεχθῆναι ὑπὸ Διὸς εἰς οὐρανὸν. *In magnis Eoeis dicitur, Endymionem ab Iove in caelum fuiſſe ſublatum.* Sed & Endymionem hunc eſſe ut credam facit throni, vel lecti magis ſedula conſideratio; nihil enim aliud eſſe ac referre mihi videtur, quam montem Latmum Endymionaei nominis claritate inſignem. Non ſemel autem in antiquis monumentis illud contingit, ut princeps argumenti perſona ad actiones varias exprimendas repetita occurrat, quod iam antea recte obſervaverat Winckelmannius (*e*). At vero in florea corona, quam manu tenet Endymion, beatitudinem deſignari appoſite docet Cebes (*f*) beatitatem ipſam ſic deſcribens: Οὐκοῦν ἐπὶ τοῦ προπυλαίου γυνὴ κατεστηκυῖα εὐειδής τις κάθηται ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ κεκοσμημένη ἐλευθέρως, καὶ ἀπεριέργως, καὶ ἐστεφανωμένη στεφάνῳ εὐάνθει πάνυ καλῶς . . . . ὅταν οὖν ὧδέ τις παραγένηται, τί ποιεῖ; στεφανοῖ αὐτὸν τῇ ἑαυτῆς δυνάμει ἡ εὐδαιμονία, καὶ ἄλλαι πᾶσαι ἀρεταὶ ὥσπερ τοὺς νενικηκότας τοὺς μεγίστους ἀγῶνας. *In veſtibulo igitur matrona conſtanti aetate, & formoſa in alto ſolio ſedet compta liberaliter, & citra luxum, corona florida peregregie ornata . . . . . Ea igitur Beatitudo eſt. Cum autem huc aliquis pervenerit, quid illa agit? coronat eum ſua vi, ceteraeque virtutes omnes, ut eos qui in maximis certaminibus victoriam ſint adepti.*

Age nunc Dianam inſpice non ſuccinctam, ſed chlamyde, & tunica amictam, & magno obtectam velo, geſtantemque in fronte bicornem lunam, qualis ſaepe occurrit, cum Diana Lucifera, ſeu Diana Luna vocatur, & ſuum per noctem officium declarat. *Luna enim*, inquit Cicero (*g*), *a lucendo nominata eſt.* Tacito autem ac ſuſpenſo gradu ad Endymionem illa accedit, quaſi eius ſomnum abrumpere pertimeſcat. Ita Iaſon apud Apollonium (*h*) Hecatem invocaturus

Βῆ ῥ᾽ ἐς ἐρημαίην κλωπήϊος ἠΰτε τις φώρ

In locum ſolum conceſſit, tacito gradu, more furis.

Sed

(*a*) *De nat. Deor.* lib. II. cap. 24.
(*b*) *Dionyſ* lib. XLI. verſ. 379.
(*c*) *Eliac. poſt.* lib VI. cap. 19.
(*d*) Ad verſ. 57. lib. IV. *Argonaut.*
(*e*) Pag. 129.
(*f*) *Tab.* pag. 45. edit. Iacob. Gronov.
(*g*) *De nat Deor.* lib. II. cap. 27.
(*h*) *Argonaut.* lib. III. v. 1196.

Sed & Dianam ipſam, ut hic apparet, ab eodem Poëta in Medea depictam audire, vel potius videre nemini, opinor, diſplicebit; ad rem enim omnia (*a*):

Γυμνοῖσιν δὲ πόδεσσιν ἀνὰ στεινὰς θέεν οἴμους.
Λαιῇ μὲν χερὶ πέπλον ἐπ' ὀφρύσιν ἀμφὶ μέτωπα
Στειλαμένη καὶ καλὰ παρήϊα· δεξιτερῇ δὲ
Ἄκρην ὑψόθι πέζαν ἀερτάζουσα χιτῶνος.

Tum nudis pedibus anguſtas percurrit vias,
Laeva quidem manu peplum in ſuperciliis circa frontem,
Et formoſam faciem deprimens, dextera vero
Imum ſuſtollens limbum tunicae.

Facem vero hic non ipſa Diana, ut Lucifera ſolet, ſed Genius praefert, qui nedum alis non eſt inſtructus, verum etiam lento pede incedit, dextera manu facem attollens, & ſiniſtra veli praehenſo limbo Dianae commonſtrans viam; ita ut omnia ad noctis ſilentium, & late diffuſas tenebras ſignificandas videantur compoſita.

Contra vero duo Genii, qui Dianae currum regunt, alati ſunt, ad Lunae velocitatem in dimetiendis ſpatiis caeleſtibus ſignificandam: quorum alter retro converſus oculorum aciem in Endymionem iacentem tamquam attonitus videtur intendere, alter vero multo niſu equos cohibere, ne ulterius progrediantur. Forma currus eſt e bigarum genere, qualis Diis conveniebat, ut pluribus alibi fortaſſe dicemus. In tabulati parte dextra ſculptus eſt exterius gladiator, contento poplite gladium, & ſcutum, quaſi pugnaturus oſtentans, qui buſtuarius eſt, ſi ad Endymionis apotheoſim reſpicere dicendus eſt. Nemo enim ignorat quod Servius tradit (*b*); *Moris erat in ſepulcris virorum fortium captivos necari*; *quod poſtquam crudele viſum, placuit gladiatores ante ſepulcra dimicare, qui a buſtis buſtuarii appellati ſunt*. Dianae bigas recte trahunt equi: nam quemadmodum Dianae Venatrici cervae; ita Dianae Lunae, ut plurimum, equi tribuebantur. Teſtis Ovidius (*c*):

Ut ſolet in niveis Luna vehetur equis.

Ac noſtris omnino ſimiles Lunae attribuit vetus Hymnographus (*d*):

. . . . . Εὖτ' ἂν δῖα σελήνη
Ζευξαμένη πώλους ἐριαύχενας αἰγλήεντας
Ἐσσυμένως προτέρωσ' ἐλάσῃ καλλίτριχας ἵππους.

. . . . . *Quando Diva Luna*
Iunxerit equos longae cervicis fulgidos,
Et alacriter incitarit pulchricomos equos.

Ante

(*a*) *Argon.* lib. IV. verſ. 43.
(*b*) Ad verſ. 519. lib. X. *Aeneid.*
(*c*) *De remed. am.* verſ. 258.
(*d*) Verſ. 8. in *Lun.*

Ante quamdam portam ſiſtunt equi, qui Dianam ad Endymionem deduxerunt. In quibuſdam ſarcophagis ianua expreſſa cernitur, cui adſtat Mercurius, & tunc dubium nullum eſſe poteſt, quin illa ſit ianua Ditis, ad quam Mercurius defunctorum animas pro ſuo munere evocaturus, & ad Elyſiorum beata loca deducturus accedit. Verum hic nihil tale occurrit: quare, ut mihi videtur, ianua, quae late patet, & in modum arcus ſuſtollitur, ad antrum Endymionis praeſtat introitus, nec alia quaerenda eſt remota interpretatio. Antrum Endymionis memorat ſaepe citatus Apollonius, cuius Scholiaſtes appoſite ait (*a*): Λάτμον ὄρος Καρίας· ἔνθα ἐστὶν ἄντρον, ἐν ᾧ διέτριβεν Ἐνδυμίων . . . . Λέγεται δὲ κατέρχεσθαι εἰς τοῦτο τὸ ἄντρον τὴν σελήνην πρὸς Ἐνδυμίωνα. *Latmos eſt mons Cariae. In eo eſt antrum, in quo Endymion diverſabatur . . . . Dicitur autem in hoc antro ſolere Lunam ad Endymionem venire.* Catullus aliis verbis Endymionis antrum expreſſit (*b*):

Ut Triviam furtim ſub Latmia ſaxa relegans
Dulcis amor gyro devocet aerio.

Sed de hoc antro, vel ad antrum aditu, eſt in Pauſania (*c*): Τὰ δὲ ἐς τὴν Ἐνδυμίωνος τελευτὴν οὐ κατὰ ταὐτὰ Ἡρακλεῶταί τε οἱ πρὸς Μιλήτῳ, καὶ Ἠλεῖοι λέγουσιν. Ἀλλὰ Ἠλεῖοι μὲν ἀποφαίνουσιν Ἐνδυμίωνος μνῆμα. Ἡρακλεῶται δὲ ἐς Λάτμον τὸ ὄρος ἀποχωρῆσαί φασιν αὐτόν· καὶ ἄδυτον Ἐνδυμίωνός ἐστιν ἐν τῷ Λάτμῳ. *De Endymionis autem morte non convenit inter Heracleotas, qui Mileſiis finitimi ſunt, & Eleos. Elei enim Endymionis monumentum oſtendunt; Heracleotae illum dicunt in montem Latmum ſeceſſiſſe: & eſt quidem in Latmo monte Endymionis adytum.* Ceterum plura ſunt, quae de Endymionis, & Lunae amoribus fabulati ſunt Mythologi; & eorum aliqui verum quoque ſenſum in hac fabula latentem explicare conati ſunt, quamvis non omnes eamdem in ea declaranda inierint viam. Ac Heraclitus quidem (*d*), Lunam mulierem quamdam fuiſſe contendit, quae paſtorem, cui nomen Endymion, deperierit: ait enim: Λέγεται, ὅτι καθεύδοντος αὐτοῦ, Σελήνη ἐρασθεῖσα, καταβᾶσα ἐμίγη αὐτῷ. εἴη δ' ἄν, ὁ μὲν Ἐνδυμίων ποιμὴν ἄπειρος γυναικός, ἐπιθυμητικῶς δὲ ἔχουσα γυνὴ αὐτοῦ, ἐρωτηθεῖσα παρά τινος τίς εἴη, ἔφη, Σελήνη. *Dicunt, illius dormientis amore Lunam correptam, caeloque delapſam, cum eo cubaſſe. Potuit vero eſſe Endymion paſtor, ignarus mulierum, & rudis, quem cum mulier deperiſſet, a neſcio quo interrogata, quae illa eſſet, reſpondit: Luna.* At hae nugae plane ſunt, aniles ac manifeſtae: ſcitu magis dignum eſt, quod anonymus vetus Graecus auctor commemorat ex Platonis ſententia ſcribens (*e*): Ὅτι πρῶτος Ἐνδυμίων τῇ περὶ τοὺς ἀστέρας ἐσχόλασε θεωρίᾳ, ὡς ἀγρυπνεῖν τὴν πᾶσαν νύκτα, καὶ τὰς ἡμέρας ἐπὶ καθεύδειν· διὸ καὶ ἐρώμενος εἶναι λέγεται τῆς Σελήνης, ὡς ὑπάρχων αὐτῇ τούτου ἕνεκα προσφιλής· οὕτω Πλάτων. *Primus omnium Endymion ſiderum ſpeculationi operam dedit, adeo, ut noctu invigilaret, interdiu ut plurimum dormiret: ideoque Luna amore eum proſequi dice-*

(*a*) Ad verſ. 57. lib. IV. *Argon.*
(*b*) *De com. Beren.* carm. 66. v. 5.
(*c*) *Eliac. prior.* lib. V. cap. 1.
(*d*) *De incredibil.* cap. 38.
(*e*) *De incredibil.* cap. 12.

dicebatur, *tamquam qui illi ob id ſtudium gratus eſſet*. *Sic Plato*. Verum de variis circa Endymionem veterum Scriptorum placitis iterum agendum erit inferius.

Reſtat modo, ut pauca de ceteris dicam, quae in noſtro Sarcophago occurrunt. In utroque huiuſce marmoris latere duo ſunt gryphes, quos inter ſtat candelabrum, quale ad noſtrae huius lucubrationis calcem videre eſt. Saepe in monumentis ſepulcralibus Etruſcorum gryphes inſculptos occurrere obſervavit Gorius (*a*); ſed nullam mihi ſatis probabilem allegat cauſſam, cur id fecerint antiqui. Ego vero cum gryphes, tum candelabra ad ſepulcrorum religionem commendandam, ne quis ſceleſtus manus inferret, & conditos cineres violaret, apponi conſueviſſe coniicio; utrumque enim ſymbolum rem ſacram ſtatim deſignat.

In fronte ſuperioris partis, vel operculi huius urnae varia monſtra marina inſculpta cernuntur, quae quidem obvia ſunt in ſarcophagis. Cum enim veteres perſuaſum ſibi eſſe paterentur Elyſios campos in extremis oceani finibus ſitos eſſe, ad quos beatorum animae commigrarent; propterea marina animalia, ſaepius etiam marinos Deos, Deaſque in ſepulcris repraeſentabant, tamquam animarum in longo itinere ſocios, Genioſque praeſtites, & deductores. Hinc Lucianus (*b*) falſe omnia haec figmenta irridens narrat, ſe navi conſcenſa, & mari tranſmiſſo εἰς τῶν μακάρων νῆσον, *ad beatorum inſulam* perveniſſe. Sed plura videſis apud Fabrettum (*c*), Bonarrotium (*d*), & Gorium (*e*).

Inter marina monſtra, quae labrum anterius exornant, media eſt tabella, in qua haec legitur inſcriptio:

D. M

GERONTIAE

ſic

FILIAE KRM


ex qua intelligimus parentum pietate, & cura hoc ſepulcro fuiſſe conditam Gerontiam, non vulgarem plane puellam, quantum ex urnae elegantia, & ſplendore coniicere poſſumus, quamquam nuſquam alibi huiuſmodi nomen occurrat: cui, ut videtur, Endymionis ſortem, videlicet aeternam quietem, beatitudinemque ſub eiuſdem Endymionis ſymbolo parentes ipſi adprecati ſunt: quod etiam confirmant coronae lemniſcatae in utroque latere operculi dependentes, cum corona, quam manu geſtare Endymionem vidimus, omnino congruentes. Demum illud quoque notatu dignum in hac urna eſt, quod in dorſo operculi tres viſuntur ſcrobiculi in modum foveae excavati, quorum unus totus patebat, ſed recenter clauſum eſt ſuperpoſita ei pinea ad ornatum. Hos ſcrobiculos ad libamina excipienda, quae in inferiis mittebantur mortuis, paratos fuiſſe ne dubites. Cum enim inferiae con-

Tom.IV. P ſtarent

(*a*) Tom. II. pag. 292.
(*b*) *Ver. hiſt.* lib. II. ſect. 6. Tom. II. Oper. pag. 109.
(*c*) *Inſcript. ant.* pag. 161.
(*d*) *Med. ant.* pag. 43.
(*e*) *Inſcript. ant.* pag. 88.

ſtarent liquoribus, & victimis; in ſcrobiculis perforatis aqua, vinum, lac, & ſanguis, forſan & unguenta infundebantur: in alia vero ſcrobe non perforata, ſed patente, res ſolidae immittebantur, videlicet partes victimae, coronae, flores, & alia donariola, quibuſcum parentes, vel amici ſuam in defunctum caritatem teſtatam faciebant. Exinde autem fit perſpicuum, quae eſſet inter ſarcophagos, & cenotaphia differentia. Nam cum in ſarcophagis mortuorum corpora, vel cineres conderentur; ad inferias inferendas rite, & recte locus erat paratus: in cenotaphiis autem id non erat plane obſervandum, quod ea eſſent, ut vox ipſa ſonat, vacui tumuli, & ad honorem, & ſpeciem tantummodo conſtructi, apud quos nec ſacra, nec libationes fiebant, ut aperte colligitur ex iis, quae de Ariſtomenis monumento tradit Pauſanias (*a*):

(*a*) *Meſſen.* lib. IV. cap. 32.



EXPLI-



EXPLICATIO
TAB. XXV.

LOnge celeberrima de Prometheo fabula, quae exacte ad myſtica Philoſophorum ethnicorum praecepta, ad hominis creationem, vitae curſum, atque interitum pertinet, hoc in Sarcophago repraeſentatur. Extra portam Aureliam in villa Pamphilia, quae propter ſitus amoenitatem *Belreſpiro* appellatur, hoc, non operis quidem praeſtantia, ſed rebus, quas litteratis hominibus conſiderandas proponit, praeclarum monumentum ſervabatur: quod Winckelmannius (*a*) exſtaſſe in aedibus nobilium Sacchettiorum imprudenter ſcripſit. Nam aliud plane a Capitolino illud eſt, ut cognoſcere quiſque poteſt ex eiuſdem exemplo apud Sanctem Bartolum (*b*), & ex Bartolino, qui libro ſingulari de antiquis ritibus puerperii monumentum Sacchettium illuſtravit. At vero idem Sanctes Bartolus (*c*) primus omnium noſtrum hunc etiam Sarcophagum vulgavit, tum Gronovius (*d*) partem eiuſdem edidit, atque explicavit, deinde totum Montfauconius (*e*) in ſuos de antiquitatibus libros intulit, poſtremoque Blanchinius (*f*) nonnullis illius iconibus in ſua declaranda hiſtoria uſus fuit.

Iacentem in Sarcophagi operculo puerum, quem in fronte huius Diſſertationis vides, nonnulli Diadumenianum dixerunt; hunc enim Caeſarem annos natum duodecim cum patre Macrino Imperatore, iuſſu Heliogabali, interfectum fuiſſe legerant. Sed unde haec opinio manarit, quibuſque praeterea argumentis nitatur, me latet. Ceterum ſatis conſtat, exiguum,

(*a*) *Monum. ant.* num. 184. pag. 242.
(*b*) *Admiranda Roman. antiquit.* Tab. 65.
(*c*) Idem Tab. 66.
(*d*) *Theſaur. Graec. antiq.* Tom. I. Tab. I.
(*e*) To. I. Par. II. p. 24., & P. II. Tab. 131. p. 214.
(*f*) *Iſtoria univerſale provata con monumenti &c.* Decad. I. icon. 2. n. 1. Icon. 5. n. 2, 3., Decad. II. Icon. 19. num. 1.

quem nobis natura circumſcripſit, vitae curriculum in Sarcophago exprimi, exacte quidem ad eam, quae in operculo cernitur, figuram.

In priore latere Sarcophagi vir omnino nudus, ſiniſtro pede ſaxo inſiſtens, ſuſpicit, indicatque dextera elata manu arborem: prope autem, & infra virum item nuda, cancellatiſque brachiis ſtat mulier. His deſignari Adamum, & Evam ſecus arborem vitae, ſive geneſim hominis a Moſe memoriae poſterorum traditam [quod animadverſum a Bellorio fuit (*a*)] quiſquam exiſtimabit, ubi in illas tantum imagines oculos intenderit. Sed cetera, quae in Sarcophago videntur inſculpta, contra pugnant. Nihilominus tamen Blanchinius (*b*) Bellorii opinionem probat, atque animadvertit miſcuiſſe artificem vera cum fabulis Poëtarum, & cum Philoſophorum veterum de primi hominis creatione meditationibus, atque ſententiis. Quoniam vero ex ordine, ſerieque rerum facillime noſcitur, Sculptorem Sarcophagi diſciplinam Platonicorum potiſſimum ſecutum fuiſſe, illis potius aſſentiendum eſſe arbitror, qui has duas imagines deſignare aiunt animas in caelo creatas, quae ad elementorum ſedem delapſae virile femineumque corpus ab elementis aſſumpſerunt, ut Plato (*c*), Plotinus (*d*), Hierocles (*e*), Iamblicus (*f*), Macrobius (*g*), aliique complures ex ſecta Platonicorum meditati ſunt. Quam ob cauſſam docuit Empedocles ex aëre, igne, terra, & aqua hominem conſtare, teſte Plutarcho (*h*); & ad hoc, fortaſſis alludit Horatius, qui habet hoc modo (*i*):

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Deſectam.

Itaque cum ex quatuor elementis compoſitus diceretur homo, & eorum virtute natura conſervari videatur, cuiuſque elementi imaginem ſecundum Poëtarum fabulas ingenioſe, diligenterque Sculptor expreſſit.

Principio autem expreſſit Aetnaeam officinam Vulcani, quae ab Euripide (*k*), perpetuo ibi ardentis ignis cauſſa πυρίστακτος πέτρα, *rupes diſtillans ignem* appellatur; & a Virgilio (*l*) mirifice deſcribitur his verſibus:

Inſula Sicanium iuxta latus Aetoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua ſaxis,
Quam ſubter ſpecus, & Cyclopum exeſa caminis
Antra Aetnaea tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, ſtriduntque cavernis
Stricturae chalybum, & fornacibus ignis anhelat:
Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.

Indicat haec officina elementum ignis, ex quo potiſſimum nervi, qui Empedoclis ſententia, vim omnem, motumque fabricae hominis miniſtrant, componuntur.

(*a*) In not. ad hanc Tab. *Admir. Rom. antiq.* num. *66.*
(*b*) *Iſtor. univerſ.* Dec. I. cap. 2. §. 5. pag. 80.
(*c*) *Timaeus* Tom. III. Oper. pag. 42. edit. Serrani.
(*d*) *Ennead.* IV. lib. III. cap. 15.
(*e*) *Comment. in aurea Carmina* pag. 101. edit. Petri Needham. 1709.
(*f*) *De myſteriis* ſect. 1. cap. 3.
(*g*) *In ſomn. Scip.* lib. I. cap. 14.
(*h*) *De placit. Philoſoph* lib. V. cap. 22.
(*i*) *Carmin.* lib. I. od. 16. v. 13.
(*k*) *Cyclop.* v. 297.
(*l*) *Aeneid.* lib. VIII. v. 416.

nuntur. *Vulcanus Rex Aetnae* Ἥφαιστος ἄναξ Αἰτναῖος, ut ab eodem Euripide nominatur (*a*), pileatus, ut in pleriſque monumentis, dextera manu malleum attollit, forcipibuſque ſiniſtra apprehenſis μυδροκτυπεῖ, ut ait Aeſchylus (*b*), *ignitas ferri maſſas tundit*, non quidem ἥμενος *ſedens*, ut idem Aeſchylus ſcribit, ſed ἑστὼς περὶ μύδρον *ſtans circa ignitum ferrum*, ut apud Callimachum legimus (*c*). Cyclopes Vulcani adminiſtri exhibentur tres, quorum duo ponderoſis malleis una cum Vulcano ferrum incudi ſuperpoſitum crebris ictibus contundunt: ῥαιστῆρας ἀειράμενοι ὑπὲρ ὤμων . . . . σίδηρον ἀμβολαδὶς τυπτόντες, inquit Callimachus (*d*), *elatis malleis ſupra humeros ferrum alternatim percutientes*; quod eleganter ita latine Virgilius expreſſit (*e*):

Illi inter ſeſe multa vi brachia tollunt
In numerum.

Tertius poſt antrum Cyclops follibus ignem ad candefaciendum metallum excitat, ſive, ut inquit Perſius (*f*),

. . . *anhelanti coquitur dum maſſa camino.*

Quam ob rem multos Cyclopes praeſto fuiſſe Vulcano Homerus (*g*) tradit: & ſeptem Strabo numerat (*h*). Hoc loco tres tantum, ut diximus, exhibentur, quot Heſiodus (*i*), Callimachus (*k*), atque Virgilius (*l*) fuiſſe Vulcani adminiſtros ſcribunt; ſed a Claudiano (*m*), & a Statio (*n*) numerantur duo. Prope incudinem ſubſtat pelvis aquae nimirum plena ad ferrum temperandum poſita, qua de re Virgilius (*o*) cecinit:

. . . . . *alii ſtridentia tingunt*
Aera lacu.

His Vulcani, & trium cum eo Cyclopum figuris quatuor aetatum gradus, ab Heſiodo traditos, fortaſſe indicari, Blanchinius putat (*p*): ſed malim planius deſignari quotidiana Vulcani artificia.

Iam vero ſupra antrum Neptunus ſiniſtra manu monſtrum marinum, cui inſidet, complectens, dexteraque remum tenens, quemadmodum & in nonnullis aliis monumentis apud Montfauconium (*q*) occurrit, elementum aquae indicat. Triton arundine coronatus, inflanſque Tritonum more buccinam, Neptunum antecedit, de quo Virgilius (*r*):

Hunc vehit immanis Triton, & caerula concha
Exterrens freta.

Et Lucanus (*s*):

. . . . *Quem toto littore pontus*
Audit ventoſa perflantem murmura concha.

Pli-

(*a*) *Cyclopſ.* verſ. 595.
(*b*) *Prometheus* v. 366.
(*c*) *Hymn. in Dian.* v. 49.
(*d*) Ibi v. 59. & 61.
(*e*) *Aeneid.* lib. VIII. v. 452.
(*f*) Sat. 5. v. 10.
(*g*) *Iliad.* lib. XVIII. v. 468.
(*h*) *Geograph.* lib. VIII. pag. 572. edit. Almeloveen.
(*i*) *Theogon.* v. 140.
(*k*) *Hymn. in Dian.* v. 68. & 75.
(*l*) *Aeneid.* lib. VIII. v. 425.
(*m*) *De raptu* lib. I. v. 239.
(*n*) *De equo Domitian.* v. 4.
(*o*) *Aeneid.* lib. VIII. v. 450.
(*p*) Lib. cit. Decad. I. cap. 2. §. 4.
(*q*) *Antiq. expliq. ſupplem.* Tom. V. Tab. 51. pag. 126.
(*r*) *Aeneid.* lib. X. v. 209.
(*s*) *Pharſal.* lib. IX. v. 348.

Plinius (*a*) fuiſſe Tiberii temporibus *viſum* ſcribit, *auditumque in quodam ſpecu concha canentem Tritonem*, *qua noſcitur forma*; quod quidem nil niſi ſomnium fuiſſe quiſque, ut opinor, facile dabit.

Aërem autem indicari intelligo quadriga Solis, poſt Neptunum inſculpta, & a Lunae biga procul expreſſa pone humeros Minervae. Namque quam maximam veteres eſſe compererant aëris cum Sole Lunaque coniunctionem; propterea quod ab iis aër lucem, omnem vim, variaſque mutationes acciperet. Quam ob cauſſam Apollinem, atque Dianam aëri praeeſſe dixerunt. Quinetiam cum ex morbida aëris qualitate, ut vocabulo utar Philoſophorum, peſtilentiae, atque contagiones latius manare videantur, quod praeclare Lucretius expreſſit his verſibus (*b*):

. . . . . Fit morbidus aër,
Atque ea vis omnis morborum, peſtilitaſque
Aut extrinſecus, ut nubes, nebulaeque ſuperne
Per caelum veniunt: aut ipſa ſaepe coorta
De terra ſurgunt, ubi putrorem humida nacta eſt
Intempeſtivis pluviiſque, & ſolibus icta;

finxerunt tunc Apollinem, & Dianam ſagittis ſuis homines, atque animantia percutere; cuius fictionis auctor fuiſſe dicitur Homerus, quod pertinet ad Solem, Iliados libro primo (*c*), quod vero ad Dianam, Odyſſeae libro decimo quinto (*d*); atque etiam Callimachus (*e*) Dianam inducit, quae peſtilentiam ſuis ſagittis immittit.

Poſtremo Terram repraeſentat mulier illa ſedens, quae Acheloicum cornu fructibus omnium generum refertum manibus tenet, indicem quidem ciborum, quibus homines aluntur. Primis enim temporibus is erat hominibus cibus, ut ſolis fructibus, quos Terra gigneret, veſcerentur: quod a Porphyrio luculenter pluribus in locis ſuorum de abſtinentia librorum demonſtratur. Pinea corona ea mulier videtur ornata; & quidem pinus dicata fuit Cybeli, ſub cuius nomine terram intelligebant. Utrimque cornucopiae Genii duo ſuſtinent, atque Hiemem, Aeſtatemque indicant. Nam veteres, Solino teſte (*f*), *ante Auguſtum Caeſarem incerto modo annum computabant*: & Plinius ſcripſit, quod *annum alii aeſtate unum determinabant, & alterum hieme*.

Tali modo cum per fabuloſas imagines elementa artifex expreſſerit, deinde ut oſtenderet, animas e caelo delapſas, ubi coniunctae fuerunt corporibus, elementiſque ſubiectae, mutuo exardeſcere amore coepiſſe; Cupidinem, & Pſychen ita expreſſit, ut mutuo ſeſe complecterentur, atque oſcularentur; propterea quod inter omnes animi motus amor principatum obtineat. Eodem fere modo Pſyche, atque Cupido cum in alio marmoreo monumento Capitolino, tum in alio Mediceo (*g*) repraeſentantur. Quorum in poſtremo alae papi-

(*a*) *Hiſtor. nat.* lib. IX. cap. 5.
(*b*) *De rer. nat.* lib. VI. v. 1095.
(*c*) *Iliad.* v. 43.
(*d*) *Odyſſ.* lib. XV. v. 409.
(*e*) *Hymn. in Dian.* v. 121. &c. Vid. Fornut. *de nat. Deor.* cap. 32., Heraclid. Pontic. *Allegor. Homer.* inter Opuſcul. Mytholog. Graeca a Thoma Galeo collecta pag. 418.
(*f*) *Polihyſt.* cap. 1. pag. 3. edit. Salmaſ.
(*g*) *Muſ. Florent.* Tom. III. Tab. 43.

papilionis, ut in noſtro anaglypho, ſunt Pſychi, quae animae naturam proprietateſque declarant. Sed hac de re, qui Tomo tertio huius operis Capitolinas Statuas illuſtravit, Platonem, Platonicoſque ſequutus iam egit diligentiſſime.

Prometheus ille vir eſt, qui ſedens, ſiniſtra manu a ſe effictum ſimulacrum ſubſtinet, dextera vero ſtilum ſtringit, quo artifices luteas effingunt figuras; & ita reperitur expreſſus σκελετὸν ducens etiam in numiſmate, quod Cauſaeus vulgavit apud Montfauconium (*a*). Poſt Prometheum ciſtam inſpicito refertam terra, ideſt ea materia, ex qua ille ſimulacrum ſuum finxit. Ovidius ſic habet (*b*):

Natus homo eſt: ſive hunc divino ſemine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo,
Sive recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Aethere cognati retinebat ſemina caeli,
Quam ſatus Iapeto mixtam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantûm cuncta Deorum.

Panopenſes huius materiae, ſive luti reliquias prope quemdam amnem regionis ſuae ſupereſſe dictitabant, teſte Pauſania (*c*). Ad Promethei pedes exiguum ſtat ſimulacrum ei ſimile, quod manu Prometheus ſubſtinet, non adhuc perfectum; & fortaſſis virum hoc ſignificat, illud vero feminam. Stat inde Minerva ſuis inſignibus diſtincta, galea, aegide, noctua, ſcutoque cum Gorgonis capite, dexteraque manu ſuper huius ſimulacri capite papilionem, veluti in propria ſede collocat: hoc enim ſymbolo, ſecundum Philoſophorum ſententiam iam uſque ab antiquiſſimis ductam temporibus, animae natura immortalis declaratur. Nec dubium quin Dea ſapientiae hoc in perficiendo opere eſſe praeſto Prometheo oportuerit; quoniam cum praeſtantiſſimum ſit efficere, ut luteum corpus vivat, atque ita vivat, ut mente, animoque immortali ſit praeditum, divinae id plane ſapientiae, Deaeque omnium praeſtantiſſimae tribuendum eſſe Poëtae quoque faſſi ſunt. Itaque protoparentum humani generis primordia ſic etiam in poſtica numiſmatis Antonini Pii, quod ex Muſeo Eminentiſſimi Cardinalis Alexandri Albani in Vaticanum translatum nunc cernitur, exhibentur, inque aliis veteribus monumentis (*d*); & Lucianus ſcribit (*e*), quod Minerva utpote ceterarum Dearum praeſtantiſſima *ſpiritum luto infudit, & ſtatuam animavit*, ἐμπνεύσασα τὸν πηλὸν, καὶ ἔμψυχα ποιοῦσα εἶναι τὰ πλάσματα. Etſi vero ubi locorum id eveniſſet Mythologi non declaraverint, attamen quia Athenarum urbis incolae maiores ſuos initio non fuiſſe natos gloriabantur (*f*), Sculptorem Sarcophagi Athenas in eo indicare voluiſſe ſuſpicor ob arborem, quam appoſuit, indicem fertilitatis. Etenim Athenienſes primi omnium uberrimos, maximeque fertiles agros incoluerunt. Atque adeo Sculptor arborem his interſeruit figuris, ut in loco deliciarum efformatos fuiſſe hominum protoparentes indicaret, quo Moſaicae hiſtoriae veritatem neſcius ſecutus

(*a*) *Antiquit. expliq.* Tom.I. Tab.6. pag.30.
(*b*) *Metamorph.* lib. I. verſ.78.
(*c*) *Phocic.* lib. x. cap.4.
(*d*) Vid. Montfaucon. *Antiq. expliq.* To. v. Par. II. Tab. 158. pag. 216.
(*e*) *Prometh.* §. 3. Tom. I. Oper. pag.27.
(*f*) Vid. Ariſtid. Panathenaic. To.I. *Oration.* pag.102. edit. Samuel. Iebb.

cuius eſſet, ex qua Adamo, & Evae terreſtrem paradiſum incolendum a Deo datum fuiſſe plane intelligitur. Enimvero Poëtae, ethnicorum Theologi, & qui eos ſecuti ſunt Mythologi, ut bene notat Lactantius (*a*), *non ipſas res geſtas finxerunt, ſed rebus geſtis addiderunt quemdam colorem.*

Proſequitur artifex ob oculos ponere vitae humanae in terris conditionem: fatalem ſcilicet illam neceſſitatem, qua homines vix in lucem editi, ſub varios incertoſque caſus ſubiecti vivere coguntur, ac tandem mori. Et quoniam immutabili, eaque aeterna lege, ut vera catholicorum fides docet, quot quiſque diebus vivat, decretum eſt, ab ethnico ſculptore ſuperſtitioſe, atque aniliter Clotho prima Parcarum ita repraeſentata fuit, ut nendo recens formati hominis vitae ſpatium ductura lanam colo aptaret. Nam vitae hominum Clotho praeeſſe credebatur. Cumque variis, iiſque neceſſariis eventibus homines ſubiiciantur, Dei providentiam, qua mundus adminiſtratur, Fatum ethnici dixerunt: quod mulieris ſimulacrum ſtilo quidpiam in globo ſcribentis exhibet; eoque in globo ſigna zodiaci inſcripta ſunt ſecundum Platonis doctrinam (*b*), qui de ortu adminiſtrationeque mundi agens inquit: Ξυστήσας δὲ τὸ πᾶν διεῖλε ψυχὰς ἰσαρίθμους τοῖς ἄστροις, ἔνειμέ θ᾽ ἑκάστην πρὸς ἕκαστον, καὶ ἐμβιβάσας ὡς εἰς ὄχημα τὴν τοῦ παντὸς φύσιν ἔδειξε, νόμους τε τοὺς εἱμαρμένους εἶπεν αὐταῖς. *Toto igitur omnino conſtituto ſideribus parem numerum diſtribuit animorum, & ſingulos adiunxit ad ſingula; atque ita quaſi in currum univerſitatis impoſuit, commonſtravitque leges fatales, ac neceſſarias.* Plotinus (*c*) quoque docuit humanas animas ſubiectas eſſe Fato, ex motu, aſpectuque aſtrorum fluente, quam Platonis ſententiam copioſe prae ceteris Marſilius Ficinus (*d*) expoſuit. Porro ethnici huiuſmodi ſuperſtitioni admodum dediti Aſtrologos in ortu puerorum conſulebant, ut, quid eis futurum eſſet, intelligerent. Has genethliacas divinationes Tertullianus (*e*) exſecratus inquit: *Dum per totam noctem menſa proponitur, dum ultima die fata ſcribunda advocantur;* & Auſonius (*f*):

Me tibi me patribus clarum decus eſſe profeſſus
Dictaſti fatis verba notanda meis.

De hiſce divinationibus diligenter diſſeruit Bartolinus (*g*), ubi huic ſimile ſimulacrum Fati illuſtrat in ſupra laudato Sarcophago in aedibus Sacchettorum ſervato inſculptum.

A tergo Minervae quid exſtet in noſtra tabula haud bene diſtinctum; at ſi quis ipſum marmor conſulat facile intelliget altam eſſe baſim illius ſimilem, cui globum impoſitum diximus, & huic horologium more veterum ſolare ſuperimpoſitum eſſe. Ac ſane haud aptius artifex exprimere poterat tempus, quam eo inſtrumento, quo horas metimur, & cuius inventor fuiſſe dicebatur Prometheus, qui Aeſchylo (*h*) auctore primus omnium traiectionum, motuumque ſtellarum ſcientiam mortales docuit.

Iis,

(*a*) *De falſ. relig.* lib. I. cap. 11. pag. 47. edit. Lenglet.
(*b*) *Timaeus* Tom. III. Oper. pag. 41.
(*c*) *Ennead.* II. lib. III. cap. 9.
(*d*) In Commentar. ad hunc loc. pag. 121.
(*e*) *De anima* cap. 39.
(*f*) *Parental.* epigr. 3. v. 21.
(*g*) *Expoſit. veter. in puerper. rit.* cap. 3.
(*h*) *Prometh.* verſ. 455. &c.

Iis, quae ad hominis vitam pertinent, ita expreſſis, quam exiguum illius curriculum eſſet ut Sculptor oſtenderet, ſtatim poſt vitae initia expreſſit vitae finem ſubiiciens ſtrati cadaveris imaginem, & animam a corpore ſeiunctam in papilionis ſupervolantis ſpecie, non ſecus ac eamdem rem vetuſtum aliud repraeſentat monumentum apud Sponium (*a*). Cum autem exanime corpus nullo iam ſenſu, motuque fungatur; Cupido, ſeorſum a Pſyche, extinctos eſſe poſt mortem omnes animi motus oſtentat converſam in pectus eiuſdem cadaveris faculam extinguens. Si quis tamen malit hanc non Cupidinis imaginem eſſe, ſed Genii, quem cuique naſcenti dari ſentiebat Plato, ut notat Plutarchus (*b*), & innuit etiam Menander (*c*), non abnuo; invertendo enim tali modo faculam, ut extinguatur, oſtendere poteſt, oriri Genium una cum nobis, vivere, ac interire, ut Cenſorinus ſcribit (*d*). Quare ita inſculpti in urnis cinerariis ſaepe videntur ſeu Genii (*e*), ſeu Cupidines; ac profecto in urnis cuiuſcumque magnitudinis itaut facile intelligatur, quod Maffeius (*f*) falſo ſcripſit has pueriles imagines ſolummodo in eorum urnis, qui primo aetatis flore deceſſerant, a veteribus inſculptas fuiſſe, ut indicarent triſtitiam, perturbationemque, quam ob immaturum adoleſcentium interitum patitur Cupidinis imperium. Corona autem, quam noſter Genius ſiniſtra manu retinet, indicat res a mortuo, dum viveret, ope, atque virtute eiuſdem Genii, fortiter, ſapienter, atque praeclare geſtas. Animadvertit enim Paſchalius (*g*), coronam mortuis poſitam, *demonſtraſſe eximiam quamdam, ac poſteris imitandam pietatem*. Ac ſane Cicero (*h*), *illa iam ſignificatio*, inquit, *eſt laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam, & ei, qui peperiſſet, & eius parenti ſine fraude eſſe lex impoſitam iubet*.

Prope cadaver duae inſculptae ſunt figurae, quarum una Funeram, altera vero Praeficam repraeſentari Bellorius (*i*) cenſet. Verum cur non quidquam excellentius, congruenſque fabulae, atque imprimis dogmatibus Platonicorum? Popularem ne morem artifex ſequutus eſt, cum praecipuas vitae hominis partes, varietates, viciſſitudineſque exprimeret? Quid? Nonne veri eſſe ſimilius videtur, repraeſentari de rebus a mortuo bene improbeque geſtis iudicium, eiuſque iudicii cauſſa Nemeſim adeſſe? Igitur palliata illa ſtans mulier eſt Nemeſis, [cuius maxime ſimilis imago in nummo Samio apud Montfauconium (*k*) cernitur] auſcultans, quae a muliere ſedente recitantur defuncti acta; papilioque immortalis a corpore ſeiunctus in aëre ſuſpenſus iudicium Nemeſis exſpectat. Quem latet, ethnicis quoque divinum poſt mortem iudicium perceptum, cognitumque fuiſſe? Namque Numen eſſe aiebant Nemeſim, a *diſtributione*, ut ab Ariſtotele (*l*) animadverſum fuit, appellatam, quae non modo poſt mortem *ultrix facinorum impiorum*,

 bono-

(*a*) *Miſcell. erudit. antiquit.* ſect. I. artic. 3.
(*b*) *De Iſid.*, *& Oſir.* pag 361.
(*c*) *Fragmenta* num. 205. pag. 261. edit. Ioh. Clerici.
(*d*) *De die natal.* cap. 3.
(*e*) Vid. Montfaucon. *Antiq. expliq.* Tom. I. Par. I., Martin. *Explication de diver. monum.* Tab. I. &c.
(*f*) *La religione de' Gentili &c.* pag. 11.
(*g*) *De coron.* lib. IV. cap. 5.
(*h*) *De legib.* lib. II. cap. 24.
(*i*) Loc. cit.
(*k*) *Antiquit. expliq.* To. I. Par. II. Tab. 195. num. 9.
(*l*) *De mundo* cap. 8.

bonorumque praemiatrix eſſet, ut ait Ammianus Marcellinus (*a*), ſed etiam in hac vita quam celerrime orbem terrarum, eamdem ob cauſſam, percurreret: unde illo veteres uſi ſunt proverbio: Νέμεσις δέ γε παρ ποσὶ βαίνει, *Nemeſis quidem prope pedes incedit*. Neque obeſt, quod ob velocitatem alae Nemeſi tribuerentur: nam in pleriſque vetuſtis monumentis, ut in noſtro, ſine alis quoque occurrit; qua de re alibi dicemus.

Ubi Nemeſis de actis cognovit, atque iudicavit, anima puellae ſpeciem papilionis alis inſtructae praeferens, quo divinum Numen decreverat, a Mercurio ducitur. Nam hoc Mercurius munere fungebatur; ut ex Scholiaſte Pindari (*b*), atque ex Diogene Laërtio (*c*) in vita Pithagorae perſpicuum eſt. Ait enim: Ἑρμῆν ταμίαν εἶναι τῶν ψυχῶν· καὶ διὰ τοῦτο Πομπαῖα λέγεσθαι, καὶ Πυλαῖον, καὶ Χθόνιον, ἐπειδήπερ οὗτος εἰσπέμπει ἀπὸ τῶν σωμάτων τὰς ψυχὰς, ἀπό τε γῆς καὶ ἐκ θαλάττης· καὶ ἄγεσθαι μὲν τὰς καθαρὰς ἐπὶ τὸν ὕψιστον· τὰς δὲ ἀκαθάρτους μήτε ἐκείναις πελάζειν, μήτε ἀλλήλαις, δεῖσθαι δ' ἐν ἀρρήκτοις δεσμοῖς ὑπὸ ἐριννύων. *Animarum Mercurium eſſe quaeſtorem, ob eamque cauſſam deductorem, & ianitorem, & terrenum appellari: quoniam is e corporibus e terra, ac mari animas deducat: ex quibus quae purae ſunt, eas celſiſſimum in locum duci; impuras autem, neque ad eas accedere, neque inter ſe conſociari, ſed duriſſimis a Furiis vinculis conſtrictas teneri*. Chlamyde collecta in humeros petaſoque alato ornatus hoc loco Mercurius cernitur, ſiniſtraque manu caduceum geſtans, veluti inſigne ſui muneris, poteſtatiſque in mortuos. Virgilius enim inquit (*d*):

Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit:
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Et Horatius (*e*):

Tu pias laetis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coërces
Aurea turbam, ſuperis Deorum
Gratus, & imis.

Poſt haec, quae ad demonſtrandum initium, curſum, finemque vitae hominis ſpectant, graviſſimum, quod de Prometheo Iuppiter, hominis creationis cauſſa, iratus, atque ſuccenſus ſupplicium ſumpſit, exacte quidem ad fabulam artifex expreſſit. En illum brachiis extenſis, ſaxoque Caucaſi montis ferrea catena religatis vides. Neque aliter hanc fabulam Martialis Poëta hiſce verſibus deſcripſit (*f*):

Ecce Prometheae rupes, & fabula montis
Quam prope ſunt oculis nunc adeunda tuis.
Videris immenſis cum conclamata querelis
Saxa ſenis, dices, durior illa fuit.
Et licet hoc addas, potuit qui talia ferre?
Humanum merito finxerat ille genus.

At

(*a*) Lib. XIV. cap. II. pag. 59. edit. Valeſii.
(*b*) Ad v. 106. od. 8. *Olymp.*
(*c*) Lib. VIII. pag. 221. edit. Ioh. Pearſon.
(*d*) *Aeneid.* lib. IV. v. 242.
(*e*) *Carm.* lib. I. od. X. v. 17.
(*f*) Lib. IX. epigr. 46.

At celebres quidem fuere Prometheum ſaxo alligatum repraeſentantes picturae duae, Parrhaſii una, cuius meminit Seneca (*a*), Evantis altera, quam diligenter deſcripſit Achilles Tatius (*b*). Finxit autem Aeſchylus (*c*) catenae annulos, qua vinctus Prometheus fuit, Vulcanum, iuſſu Roboris, fabricaſſe, ut firmiſſimos fuiſſe demonſtraret. De Caucaſo monte an apud Aſſyrios, an apud Scythas, an alibi fuerit haud diſſeram. Olearium conſule (*d*). Haud tamen omittam, fuiſſe Prometheum ex eo, quo effingebatur, Scythicae rupi alligatus modo, *cruci affixum* a Luciano dictum (*e*), & quod Tertullianus (*f*) Caucaſum montem *cruces Caucaſorum* appellavit. Promethei exeſt cor avis, de qua Martialis cecinit (*g*):

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
Aſſiduam nimio pectore pavit avem.

Haec ſiniſtro Promethei pede ſuſtentatur, & eius quoque ſuperſtat coxendici, quam ille ob cruciatum contrahere videtur, quemadmodum apparebat in picta ab Evante tabula, uti apud laudatum Tatium legimus: Ἐρείδει δὲ τῷ μηρῷ τῷ τοῦ Προμηθέως τὰς τῶν ὀνύχων ἀκμάς· ὁ δὲ ἀλγῶν πάντη συνέσταλται, καὶ τὴν πλευρὰν συνέσπασται, καὶ τὸν μηρὸν ἐγείρει καθ᾽ αὑτοῦ· εἰς γὰρ τὸ ἧπαρ συνάγει τὸν ὄρνιν· ὁ δὲ ἕτερος αὐτῷ τοῖν ποδοῖν τὸν σπασμὸν ὄρθιον ἀντιτείνει κάτω, καὶ εἰς τοὺς δακτύλους ἀποξύνεται. *Alteri Promethei coxae aquila ſummis unguibus innitebatur: quapropter ille in maerore totus erat, & latus retrahens eam ipſam coxam in ſuam ipſius perniciem elevabat. Ita enim volucrem iecori propiorem faciebat. Altera coxa contentos nervos ad imos uſque pedes commonſtrabat, in digitoſque acuebatur.* Praefert in Sarcophago haec avis figuram aquilae. Sculptor igitur Heſiodo (*h*), Aeſchylo (*i*), Apollonio (*k*), aliiſque compluribus Scriptoribus aſſenſus fuit, qui Prometheum ab aquila, non autem Valerio Flacco (*l*), & Claudiano (*m*), qui a vulture excruciatum fuiſſe tradiderunt.

Duris, ut Scholiaſtes (*n*) Apollonii teſtatur, Prometheum in eiuſmodi cruciatu fuiſſe ait, quod auſus fuerit Palladem concupiſcere; Lucianus vero (*o*), cuius eſt pene omnium conſenſu firmata opinio, quod hominem formarit: Τὸν δὲ Προμηθέα τίς οὐκ οἶδεν, οἷα ἔπαθε, διότι καθ᾽ ὑπερβολὴν φιλάνθρωπος ἦν; καὶ γὰρ αὖ καὶ τοῦτον ἐς τὴν Σκυθίαν ἀγαγὼν ὁ Ζεὺς ἀνεσταύρωσεν ἐπὶ τοῦ Καυκάσου, καὶ τὸν ἀετὸν αὐτῷ παρακαταστήσας τὸ ἧπαρ ὁσημέραι κολάψοντα. *Prometheo vero quis ignorat, quae acciderint ea cauſſa, quod ſupra modum homines complecteretur? Abductum enim in Scythiam Iuppiter Caucaſo monti, tamquam cruci affixit, aquila appoſita, quae iecur viri quotidie roſtro tunde-*

(*a*) Lib. v. controv. 34.
(*b*) *Amorum Clitoph., & Leucip.* lib.II. p.112. edit. Salmaſ.
(*c*) *Prometh.* v.52., & ſeq.
(*d*) In Not. ad Philoſtr. *de vita Apollonii* lib.II. cap.2. & 3.
(*e*) *De ſacrific.* §.6. Tom.I. Oper. pag.531.
(*f*) *Contr. Marcion.* lib.I. cap.1.
(*g*) *Spectacul.* epigr. 7.
(*h*) *Theogon.* v.523.
(*i*) *Prometh.* v.1021.
(*k*) *Argonaut.* lib.II. v.1254.
(*l*) *Argonaut.* lib.VII. v.359.
(*m*) *De raptu* lib.II. v.341.
(*n*) Ad v.1253. lib.II. *Argon.*
(*o*) *De ſacrific.* §.6. Tom.I. Oper. pag.531.

tunderet. Demum Menander (*a*) ita plexum fuiſſe cenſuit Prometheum ob hanc praecipue cauſſam; quod formarit feminam; ait enim:

. . . Οὐ μισεῖν δ' οἴμ' ἅπαντας τοὺς Θεοὺς,
Γυναῖκ' ἔπλασεν; ὦ πολυτίμητοι Θεοί,
Ἔθνος μιαρὸν.

Sed quod Deos odiſſe cunctos autumo
Formavit idem feminam; proh Dii boni!
Genus ſceleſtum.

Prometheus iacentis feminae, quae, ut diximus terram ſignificat, pede caput premit, quaſi ſupplicii ſui cauſſa fuerit, praeſtito ei luto, quo hominem finxit. Adiacet huic feminae cornucopiae, quod puer ſuſtentat tertiam anni tempeſtatem repraeſentans. Nam, teſte Diodoro Siculo (*b*), annus dividebatur in tempeſtates, ſive partes tres, eiuſque diviſionis, ut Aeſchylus (*c*) tradit, Prometheus, utpote doctiſſimus, peritiſſimuſque Philoſophiae, auctor fuerat. Qua de re Apollonii Scholiaſtas (*d*), laudatumque Diodorum (*e*) conſule, qui multa, quae ad hanc fabulam pertinent, a compluribus auctoribus excerpta narrant. Is figurarum complexus conſpicitur inſculptus etiam in Sarcophago Burgheſio apud Winckelmannium (*f*).

Sed Herculem cernito, qui Prometheo ſuccurrit, & laboranti ſubvenit. Quemadmodum illum Evantes pinxerat, ſic Sarcophagi Sculptor expreſſit. Ἔστηκε τοξεύων τοῦ Προμηθέως τὸν δήμιον ἐνήρμοσται τῷ τόξῳ βέλος· τῇ λαιᾷ προβέβληται τὸ κέρας ὠθῶν· ἐπὶ μαζὸν ἕλκει τὴν δεξιὰν, ἕλκων τὸ νεῦρον κεκύρτωται κατόπιν τὸν ἀγκῶνα. *Iis malis onerato Prometheo ſuppetias ferebat Hercules, impoſitam arcui ſagittam in eius tortorem intendens: quippe arcum ſiniſtra manus extenta impellebat, dextra vero nervo una adducto mammae admovebatur, cubito interim poſt ſe curvato*; ait ſuperlaudatus Achilles Tatius. Scribit autem Hyginus (*g*) eam Herculis ſagittam in ſignorum caeleſtium numerum collocatam fuiſſe, ut interfectae fatalis avis monumentum exſtaret ſempiternum. Sunt Herculi capilli mitra vincti, qua illos, cum Ioles amore captus eſſet, vincire conſueverat, ut ei ſic exprobrat Deianira apud Ovidium (*h*):

Auſus es hirſutos mitra redimire capillos:
Aptior Herculeae populus alba comae.

Herculem, qui Prometheo ſuppetias attulit, non fuiſſe illum Thebanum, ſed alium neſcio quem Philoſtratus (*i*), & Arrianus (*k*) prodiderunt; tamen

(*a*) *Fragment.* num.195. pag.257.
(*b*) *Biblioth. hiſtor.* lib.I. cap.11. pag.15., & cap.16. pag.20. edit. Weſſeling.
(*c*) *Prometh.* verſ. 453.
(*d*) Ad verſ.1252. lib.II. *Argon.*
(*e*) Lib.I. cap.19. pag.22.
(*f*) *Monumenti antichi &c.* num.43.
(*g*) *Poet. aſtronom.* lib. II. cap.15.
(*h*) *Heroid.* ep.9. v. 63.
(*i*) In vita Apoll. lib. II. cap.3.
(*k*) *Hiſt. Indic.* cap. 5. pag. 319. edit. Iac. Gronov.

tamen is in Sarcophago expreſſus ſane quidem Thebanus eſt Hercules, qualem fuiſſe eius ſeu aquilae, ſeu vulturis interfectorem veteres Scriptores pene omnes tradunt, qualemque oſtendunt nedum propria Herculis Thebani inſignia, clava, ſcutum, Nemaeique leonis pellis, ſed etiam prope eum inſculptus Atlas, & inde draco aureorum pomorum cuſtos, quem Hercules occidit ex eiuſdem Promethei conſilio.

Inſidet, ut vides, altae rupi Atlas, & ſiniſtra fatalem arborem complectitur, de qua Ovidius (*a*):

Arboreae frondes auro radiante nitentes,
Ex auro ramos, ex auro poma tegebant;

dexteraque Ladonis ſerpentis caput ſervare ſatagit, quem timens Herculem, Iunonis iuſſu, arbori cuſtodem appoſuerat. Nam Themis, teſte Ovidio (*b*), Atlanti praedixerat:

Tempus, Atla, veniet, tua quo ſpoliabitur auro
Arbor: & hunc praedae titulum Iove natus habebit.
Id metuens, ſolidis pomaria clauſerat Atlas
Moenibus, & vaſto dederat ſervanda draconi.

Quae autem in iis aureis pomis ab Hercule ſurreptis allegoria inſit, & qua ratione ex vocabulo μῆλα, quod & pomum, & ovem ſignificat, fabula manavit, Palaephatus ita declarat (*c*): Λέγουσιν ὅτι γυναῖκές τίνες ἦσαν αἱ Ἑσπερίδες· ταύταις δὲ ἦν μῆλα χρυσᾶ ἐπὶ μηλέας, ἣν ἐφύλασσε δράκων· ἐφ᾽ ἃ μῆλα καὶ Ἡρακλῆς ἐστρατεύσατο· ἔχει δὲ ἡ ἀλήθεια ὧδε. Ἕσπερος ἦν ἀνὴρ Μιλήσιος, ὃς ᾤκει ἐν τῇ Καρίᾳ, καὶ εἶχε θυγατέρας δύο, αἳ ἐκαλοῦντο Ἑσπερίδες· τούτῳ δὲ ἦσαν ὄϊς καλαὶ, καὶ ἔγκαρποι, οἷαι καὶ νῦν αἱ ἐν Μιλήτῳ· ἐπὶ τούτῳ δὴ ὀνομάζονται χρυσαῖ· κάλλιστον γὰρ ὁ χρυσὸς· ἦσαν δὲ ἐκεῖναι κάλλισται. Μῆλα δὲ καλεῖται τὰ πρόβατα· ἅπερ ἰδὼν ὁ Ἡρακλῆς βοσκόμενα περὶ τὴν θάλατταν, περιελάσας ἐνέθετο εἰς τὴν ναῦν· καὶ τὸν ποιμένα αὐτῶν ὀνόματι Δράκοντα, εἰσήγαγεν εἰς οἶκον, οὐκέτι ζῶντος τοῦ Ἑσπέρου, ἀλλὰ τῶν παίδων αὐτοῦ· ἔλεγον οὖν οἱ ἄνθρωποι· ἐθεασάμεθα χρυσᾶ μῆλα, ἃ Ἡρακλῆς ἤγαγεν ἐξ Ἑσπερίδων, τὸν φύλακα ἀποκτείνας δράκοντα· καὶ ἔνθεν ὁ μῦθος προσανεπλάσθη. *Ferunt mulieres quaſdam fuiſſe Heſperides, quibus aurea mala erant in arboribus a dracone ſervata; ad quae Hercules etiam expeditionem inſtituit. Res autem ita ſe habet. Heſperus vir Mileſius fuit, Cariam incolens, habuitque filias duas, nomine Heſperides. Erant vero huic oves pulchrae, & foecundae, cuiuſmodi etiam nunc Mileti: ac proinde vocabantur aureae; pulcherrimum enim, ſicut eſt aurum, ita & hae pulcherrimae.* Μῆλα *quippe vocantur oves: quas cum in littore paſcentes Hercules vidiſſet, mortuo iam Heſpero, ſed viventibus liberis, abactas in navem impoſuit, earumque paſtorem Draconem domum abegit. Dicebant itaque homines: vidimus aurea mala, quae Hercules, occiſo cuſtode Dracone, ex inſulis Heſpe-*

(*a*) *Metamorph.* lib. IV. v. 636.
(*b*) Ibi verſ. 643.
(*c*) *De incredibil. hiſt.* cap. 19.

Heſperidum avexit. Inde fabula conficta eſt. Horti Heſperidum cuſtodem fuiſſe hominem, cui nomen Draco, Heraclitus (*a*), aliique ſcripſerunt, contra vero brutum revera animal fuiſſe, in aſtrorum deinde numerum relatum, Heratoſtenes (*b*), & Hyginus (*c*).

(*a*) *De incredibil.* cap. 20.
(*b*) *Cataſteriſm.* cap. 3. & 4.
(*c*) *Poet. aſtronom.* lib. II. cap. 4.

EXPLI-



Jo. Cassini In.

EXPLICATIO
TABUL. XXVI. XXVII. ET XXVIII.

IN via Oſtienſi III. fere mille ab urbe paſſus, quo loco Alexandri Severi villa erat, quam villam Ammianus Marcellinus (*a*) de translato Obeliſco Conſtantii in Circum maximum agens memorat, pulcherrimum hunc Sarcophagum, in cuius antica parte novem Muſae cernuntur, repertum fuiſſe Ficoronius (*b*) teſtatur. Hunc olim illuſtravit Eques Alexander Maffaeius, qui eius aere inciſum exemplum praefixit prooemio in Collectionem veterum ſtatuarum in lucem editam a Iohanne Dominico de Rubeis, ubi recenſuit quoque plures inſcriptiones, quae in eodem cubiculo exſtabant, ex quibus plane liquet gentis Actiae ſepulcrum ibidem exſtitiſſe; quae etſi plebeia primum, poſt tamen propter affinitatem cum gentibus Octavia, atque Iulia, ex quarum prima Auguſtus, ex altera Iul. Caeſar prodierunt, nobiliſſima, opibuſque florentiſſima familia fuit. Sarcophagi exemplum loco indicato a Maffaeio editum Montfauconius iterum delineatum in Tomum primum Antiquitatum intulit (*c*).

In aliis autem pleriſque ſarcophagis novem exhiberi Muſas video, atque inprimis in Sarcophago ſervato in villa Matthaeia, a Sponio (*d*) primum vulgato, tum a Gronovio (*e*), atque a Montfauconio (*f*): apud quem reperies aere inciſa (*g*) aliorum quoque duorum ſimilium ſarcophagorum exempla, qui exſtant in Muſeo Iuſtinianeo. Neque praetermittendus ſilentio eſt ille ſarcophagus, qui in Aventina Prioratus Hieroſolymitani Ordinis Melitenſis

aede

(*a*) Lib. XVII. cap. 4.
(*b*) *Veſtigia di Roma* lib.I. cap.9. pag.54.
(*c*) *Antiquit. expliq.* Tom.I. Par.I. Tab.59. pag. 114.
(*d*) *Miſcellan. erudit. antiq.* ſect.2. art.9.
(*e*) *Theſaur. Graecar. antiq.* Tom. I.
(*f*) *Antiquit. expliq.* Tom.I. Par.I. Tab.56.
(*g*) Ibi Tab. 60.

aede S. Mariae Virginis exſtat, Traiano Decio Imperatore, ut ex artificio operis Ficoronius (*a*) colligit, elaboratus. In antica eius parte, quam aere inciſam habes in fronte huius explicationis, conſpiciuntur Muſae novem intermedia Minerva, & viri cum ea colloquentis imago, qui volumen manu tenet, ac fortaſſe eum repraeſentat, ad cuius condendos cineres, aut cadaver Sarcophagus perfectus fuit. In uno autem ex lateribus inſculptus eſt Pithagoras ſedens, caeleſtemque globum diſpiciens, in altero ſedens quoque, volumenque ſuorum, ut arbitror, operum retinens Homerus.

Iamvero etſi facile concedimus veteres artifices variis imaginibus ſepulcrales urnas exornare ſolitos fuiſſe, ut emptorum commodo inſervirent; attamen aliquas etiam conſulto perfeciſſe probabile eſt, ut virtutem, reſque geſtas illorum, qui in eis condendi erant, exprimerent; quod mihi quidem cum de Sarcophago Aventino, tum de hoc Capitolino coniici poſſe videtur. Nonne ex volumine, quod imago illa in Sarcophago Aventino inſculpta manu retinet, ac praecipue quod cum Minerva colloqui videatur, in eo Sarcophago tumulatum fuiſſe virum doctrina illuſtrem colligere ratiocinando poſſumus? Itaque haud abſimiliter coniicimus in hoc Sarcophago Capitolino fuiſſe illatum aliquem e gente Actia poëtices imprimis, eruditioniſque laude praeſtantem virum; & forte Lucium illum Actium, quem cum Varro ſaepe in ſuis de lingua Latina libris, tum alii Scriptores veteres, veluti excellentem nonnullarum Tragoediarum, atque Poëmatis inſcripti *Priamus*, auctorem laudant.

Variae ſunt, interque ſe diſcrepantes novem noſtri anaglyphi Muſarum imagines, habitus, inſignia; attamen quia Mythologi, Poëtaeque perpetuo diſſentiunt, ubi earum unam, aut alteram deſcribunt, perdifficile eſt cuiuſque Muſae nomen, ſtudiorumque litterarum genus, cui unaquaeque praeſit, adſerere. In qua illos varietate, ac diſſenſione conſtitutos fuiſſe ſuſpicor, quod nonnulli ſphaeras caeleſtes, alii litterarum ſtudia, variaſque diſciplinas, alii harum virtutes, alii earumdem complura genera Muſas dixerunt (*b*). Igitur quid mirum ſi a variis varia Muſis nomina, inſignia, ſymbola, officia tributa fuerint? Muſas non amplius tres cognitas initio fuiſſe Pauſanias (*c*) teſtatur, μελέτην, μνήμην, ἀοιδὴν, *meditationem*, *reminiſcentiam*, *cantum*, quod ternarius numerus, ut Phornutus animadvertit (*d*), omnem contineat perfectionem. Deinde auctus numerus illarum fuit. Nam, ut S. Auguſtinus (*e*), Varronem ſequutus auctorem, narrat, cuiuſdam urbis cives, cum in aede Apollinis tres Muſas collocare conſtituiſſent, earumque tria ſimulacra, ut elegantiora ex omnibus emerent, ab artificibus tribus faciunda curaſſent, nullum alio ſimulacro praeſtare iudicaverunt: quare novem ipſas Muſas, quarum cuique nomen Heſiodus Poëta tribuit, in ea aede poſuerunt. Sed diſcrepat a Varrone Pauſanias (*f*). Scribit enim Pyrrhum Macedonem, cum Theſpiam veniſſet, omnium primum novem Muſis cultum, ac preces adhibuiſſe, eaſque vocabulis, quibus nunc uti-

(*a*) *Veſtigia di Roma* lib. I. cap. 12. pag. 79.
(*b*) Vid. Fulgent. *Mytholog.* lib. I. cap. 14., & Averan. Diſſert. 19. in *Virgil.*
(*c*) *Boeotic.* lib. IX. cap. 29.
(*d*) *De nat. Deor.* cap. 14.
(*e*) *De doctr. Chriſtian.* lib. II. cap. 17.
(*f*) *Boeotic.* lib. IX. cap. 29.

utimur, aut oraculi reſponſo, aut ex Thracum diſciplina appellaſſe: & fuiſſe nonnulli, qui dicerent, Pyrrhum hoc feciſſe, quia Muſarum eiuſmodi nomina filiabus ſuis novem indiderat. Demum Plutarchus (*a*) docet, veteribus tres tantum cognitas Muſas fuiſſe: quod tria tantum principio genera diſciplinarum, ideſt Philoſophia, Rhetorica, atque Matheſis numerarentur; temporibus autem Heſiodi, cum quaeque harum diſciplinarum dividi coepiſſet in ſpecies, ſeu partes tres, totidem quoque fuiſſe numeratas Muſas.

Praeterea quo loco, & quo anni menſe ortae Muſae fuerint, hariolando quidam Mythologi adnotarunt. Ac vetuſtum quidem a Lambecio, Graevioque editum Kalendarium (*b*) exſtat, in quo Idibus Iunii feſtus dies ortus Muſarum indicitur. Et quoniam nihil aliud eſt ſcientia, quam perceptio, ac reminiſcentia, ſeu memoria cognitarum rerum, Iovis, & Mnemoſynes (*c*), intellectus nempe, & memoriae filias Muſas dixerunt. Muſas vero a Graeco μῶσθαι, ideſt *inquirere* fuiſſe nominatas Plato (*d*), atque Phornutus (*e*) tradunt; Diodorus vero (*f*), eique aſſentiens Euſebius Caeſarienſis (*g*), a μυεῖν, ideſt *inſtruere*. Neque praetereunda eſt Iohannis Clerici (*h*) acuta potius, quam veriſimilis opinio, qui a Phoenicio vocabulo *motſa*, ideſt *inventrix* Muſae nomen ductum eſſe adſeruit.

Proprium cuiuſque Muſae nomen ab Heſiodo (*i*) recitatur his verſibus:

> Κλείωτ᾽ Εὐτέρπη τε, Θάλειά τε, Μελπομένη τε,
> Τερψιχόρη τ᾽, Ἐρατώ τε, Πολύμνιά τ᾽, Οὐρανίη τε,
> Καλλιόπη.
> *Clio, & Euterpe, & Thalia, & Melpomene,*
> *Et Terpſichore, & Erato, & Polhymnia, & Urania,*
> *Et Calliope.*

Etiam apud veterem Latinum Poëtam anonymum (*k*), nec non apud Auſonium (*l*) in Epigrammate, quod exſtat quoque in Catalectis Virgilii (*m*), cuiuſque Muſae nomen, & cui quaeque praeeſſet diſciplinae legitur. Utrumque auctorem latine vertiſſe ſuſpicor unum & idem Graecum vetuſtioris Poëtae epigramma, ob verſionis ſimilitudinem. Cum opus fuerit, horum teſtimonia proferam; etſi ſaepius aliis Mythologis aſſentiar, quod ſymbola frequenter unicuique Muſarum a Scriptoribus tributa in aliquot tantum, ut animadverſum etiam a Montfauconio (*n*) fuit, in hiſce noſtris Muſis apte cadant. Ob quam fortaſſe cauſſam hiſce imaginibus varia genera Poëtices, non autem Muſas novem, uti a Scriptoribus recenſentur, exprimi Maffaeius putavit. At quibus argumentis novem eſſe genera poëtices Maffaeius (*o*) conclu-

(*a*) *Sympoſ.* lib. IX. quaeſt. 14.
(*b*) Vid Lambec. *Comment. in Biblioth. Vindobon.* lib. IV. pag. 276., & Graev. *Theſ. Rom. antiq.* Tom. VIII. pag. 99.
(*c*) Phornut. *de nat. Deor.* cap. 14., Heſiod. *Theog.* verſ. 915.
(*d*) *Cratyl.* To. I. Oper. p. 406. edit. Serran.
(*e*) *De nat. Deor.* cap. 14.
(*f*) *Biblioth. hiſtor.* lib. IV. ſect. 7. Tom. I. pag. 253.
(*g*) *Praeparat. evang.* lib. II. cap. 2.
(*h*) *Commentar. in Heſiod Theog.* ad v. 52.
(*i*) *Theogon.* verſ. 77.
(*k*) *Antholog.* lib. I. pag. 138. edit. Brod.
(*l*) Num. 367. p. 400. edit. ad uſum Delph.
(*m*) Pag. 173.
(*n*) *Antiquit. expliq.* Tom. I. Par. I. lib. III. cap. 5. ſect. 5. Tab. 59.
(*o*) *Raccolta di Statue antiche* ſerm. 2.

concludet? Cur ipſemet numerat tantum ſex? Praeterea eius opinio cum iis ſymbolis, actionibuſque, quae in nonnullis ex his imaginibus cernuntur, plane pugnat. Namque Urania quidem illa eſt, quae virgam prope globum manu retinet, Polhymnia vero, quae declamare videtur. Attamen Maffaeius illam omnino temere Poëtices ſacrae imaginem dicit, & hanc ne nominat quidem. Quinetiam ſibi ipſi contradicit; agens enim de ſimulacris Muſarum Reginae Svevorum, ſcribit, neque Uraniam, neque Polhymniam poëticas Muſas eſſe.

Itaque certum eſt mihi, in hoc Sarcophago Capitolino repraeſentari Muſas novem; quarum prima dextero brachio columnae incumbens, manuque volumen retinens Calliope in Graeco epigrammate a Callimacho (*a*) priore loco nominata videtur. Heroicae, quam invenit, poëticae ipſa praeeſt, ut ait Apollonii Scholiaſtes Graecus (*b*), utque in laudato epigrammate legitur

Καλλιόπη σοφίην ἡρωΐδος εὗρεν ἀοιδῆς.

Calliope heroicos invenit provida cantus.

Ab egregia voce ἀπὸ τῆς καλῆς ὀπὸς Calliopem Diodorus (*c*) nominatam exiſtimat; indeque eam eſſe ſymbolum Rhetorices, quae ars eſt bene dicendi, Phornutus (*d*) colligit: contra vero Euſtathius (*e*) heroicae ſolum poëtices. Nam pulchram, ſive egregiam vocem, quae tamen omnium eſt propria Muſarum, Calliopi inprimis tributam fuiſſe cenſet, quod multigeneris artem ſcribendorum verſuum poëtice heroica complectatur, ceteriſque omnibus antiquior, atque praeſtantior eſſe videatur. Quare ob eius quidem praeſtantiam antonomaſtice Deam Homerus appellavit, ut idem notat Euſtathius (*f*): & Heſiodus (*g*) προφερεστάτην *vetuſtiſſimam, atque antiquiſſimam*, quod *poëtica* ſit *antiquior ceteris diſciplinis tum honore, tum tempore*, ut Ariſtarchus interpretatur. Itaque eamdem ob cauſſam Calliopem etiam in noſtro Sarcophago priorem locum obtinere credimus. Haec undique palliata quidpiam ſecum cogitare, reſque praeclare geſtas in volumine, quod manu ſiniſtra tenet, ſcribere, quod proprium illius erat munus, videtur. Iam cum Calliope in omnibus antiquis monumentis volumen teneat; hoc illius eſſe inſigne antiquitatum inveſtigatores, atque inprimis Schottius (*h*), volunt. Quod ſi Clios hanc eſſe imaginem Montfauconius putavit, nulla id ratione, aut coniectura oſtendit (*i*). Novi quod a nonnullis Mythologis Clio priore loco nominatur, ſed alii plures diſſentiunt; & ſi nemo diſſentiret, oportebat tamen ut Montfauconius ſervaret ſeriem imaginum tum huius, tum alterius monumenti villae Matthaeiae, non Mythologos.

Secundo loco Melpomene ſiniſtra baculum, dextera larvam ſcenicam geſtans occurrit, de qua illud Auſonii

Melpomene tragico proclamat maeſta boatu.

A *can-*

(*a*) Loc. cit.
(*b*) Ad v.1. lib. III. *Argonaut.*
(*c*) *Biblioth. hiſtor.* lib. IV. ſect.7.
(*d*) *De nat. Deor.* cap.14.
(*e*) Ad verſ.1. lib. I. *Iliad.*
(*f*) Loc. cit.
(*g*) *Theogon.* verſ. 79.
(*h*) *Apotheoſ. Homer. nov. explanat.* cap. 4. in Supplem. Poleni Tom. II. pag.315.
(*i*) *Antiquit. expliq.* Tom. I. Par. I. lib. III. cap. 5. ſect. 5. Tab. 59.

A *cantu* ἀπὸ τῆς μολπῆς Melpomenem nominari Phornutus (*a*) ſcribit, Diodorus vero (*b*) a melodia, quae dulciter, & iucunde in aures, animoſque auditorum influit. Ac tragoediae quidem cantando, ut Lucianus (*c*) prodit, recitabantur: quam fortaſſe ob cauſſam cantus inventrix Melpomene a Scholiaſte Apollonii dicitur (*d*); cumque tragoedias, quibus illa praeerat, perſonati homines canerent, appoſite cum perſona, ſive larva exprimitur. Aeſchylus Tragicus, teſte Horatio (*e*), larvae inventor, quinimmo Graecis auctor, ut larvis in theatro uterentur, fortaſſe fuit. Animadvertit enim cl. Comes de Caylus (*f*), Ariſtotelem (*g*), qui annos poſt Aeſchylum fere centum floruit, aperte dicere, nequaquam compertum fuiſſe quiſnam larvas invenerit: quamobrem veri eſſe ſimile, a barbaris nationibus, ac fortaſſe ab Etruſcis, quibus Graeci familiariter, negotiorum cauſſa, utebantur, larvas in Graeciam manaſſe. Primus tragoediarum auctor Theſpis tragoedis, ne agnoſcerentur, perſuaſit, ut *peruncti faecibus ora*, ut ait Horatius (*h*), in ſcenam prodirent. Porro apte ad baculum, quem Melpomene retinet, haec de Nerone Svetonius ſcribit (*i*): *In tragico quodam actu Nero, cum elapſum baculum cito reſumpſiſſet, pavidus, & metuens ne ob delictum certamine ſummoveretur, non aliter confirmatus eſt, quam adiurante hypocrita non animadverſum id inter exſultationes, ſucclamationeſque populi*. Philoſtratus (*k*) hunc baculum Neronis ſceptrum vocat, fortaſſe ut primam, ideſt Regis in ſcena perſonam induiſſe Neronem oſtendat. Apud Winckelmannium (*l*) Melpomene in gemma inſculpta clavae dextera manu innititur, ſiniſtra larvam tenet. Baculus noſtrae etiam Melpomenes ſimilis eſt clavae, qua Tragoedi utebantur (*m*), ſed leviter e ſummo inflexus videtur. Quapropter, quoniam a paſtoribus orta tragoedia, aliaque genera poëtices fuerunt, ut Scaliger (*n*) animadvertit, dici coniectando poſſet, inde etiam, cum hominum diligentia genus illud auctum, perfectum, nobilitatumque fuiſſet, baculum paſtoralem, ideſt pedum in theatra, ſcenaſque urbanas manaſſe. Verum enimvero baculo, qui a Latinis pedum, λαγώβολος, & ἀζεσκος a Graecis dicebatur, Comoedi potiſſimum utebantur; cumque eo paſtores, nedum lepores, aliaſque feras comprehendere, ſed & ovium errantium pedes retinere ſolerent, incurvum, & a ſummo uncum fuiſſe, teſtantur Scriptores, & complura oſtentant antiqua monumenta. Porro Melpomene in noſtro Sarcophago vultu, habituque gravis exprimitur, quod, ut ait Horatius (*o*),

Effutire leves indigna tragoedia verſus;

utque Ovidius (*p*),

Omne genus ſcripti gravitate tragoedia vincit.

(*a*) *De nat. Deor.* cap.14.
(*b*) *Biblioth. hiſtor.* lib. IV. ſect.7.
(*c*) *De ſaltat.* ſect.27. Tom.II. Oper. p.285. edit. Friderici Reitz.
(*d*) Verſ.1. lib. III. *Argonaut.*
(*e*) *De art. Poetic.* v.278.
(*f*) Tom. I. pag. 147.
(*g*) *Poetic.* cap 5.
(*h*) *De art. Poetic.* v. 277.
(*i*) In vita Neron. cap.24.
(*k*) In vita Apollon. lib. v. cap.7. p. 193.
(*l*) *Monum. antichi* num.45.
(*m*) Vid. Polluc. *Onomaſt.* lib. IV. cap. 18. ſegm. 117.
(*n*) *Poetic.* lib. I. cap.4. & 5.
(*o*) Verſ. 231.
(*p*) *Triſt.* lib. II. v.381.

Sed ex cothurnis potiſſimum, quibus uterque pes ornatur, eam eſſe Melpomenem plane cognoſcimus. Cothurnis enim a Thalia, ut paullo poſt videbimus, diſtinguitur; & haec Winckelmannii (*a*) quoque ſententia eſt; nam Tragoedi cothurnis, Comoedi autem ſoccis uti ſolebant. Praeterea pallam, quo vocabulo muliebre pallium appellabatur, noſtra Melpomene tunicae ſuperinduit. Nam Aeſchylus, teſte Horatio (*b*), eiuſmodi veſtimento Tragoedos ornari iuſſit, ut maiori praeſtare gravitate, modeſtiaque viderentur. En Horatii, ubi de Theſpi agit, verſus:

Poſt hunc perſonae, pallaeque repertor honeſtae
Aeſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.

Tertia Sarcophagi imagine unam ex Muſis Philoſophicis repraeſentari ex habitu, veſtituque, ac praeſertim ex pallio, quo illa undique, praeter ſummam ſiniſtram manum, qua tangit quadratam baſim, obtegitur, cognoſci certo poteſt. Nam tali modo palliati Philoſophi incedebant. Quare, ut Aulus Gellius narrat (*c*), Herodi Attico percunctanti, quis eſſet quidam bene palliatus vir, qui ſtipem rogaverat, iratus ille *vultu, ſonituque vocis obiurgatorio Philoſophum ſe eſſe dicit, & mirari quoque addit, cur quaerendum putaſſet quod videret*. Scribit Pauſanias (*d*), ſe Aeſculapii undique palliati vetuſtum ſimulacrum vidiſſe: & apud Ferrarium (*e*) M. Aurelii Philoſophi ſimulacrum ita palliatum invenies. Sed cuinam ex Muſis Philoſophicis aptari is veſtitus poſſit, perdifficile eſt iudicare. Nam Philoſophia a veteribus dividebatur in partes tres, quarum cuique una ex Muſis praeerat. Euterpe fortaſſe eſt; quia Plutarcho teſte (*f*), ad illam veritatum circa res naturales contemplatio pertinet, eique Mathematicas diſciplinas Scholiaſtes Apollonii (*g*) tribuit. Martianus vero Capella (*h*) fingit in Philologia recens nupta Mercurio Philoſophiam ab Euterpe, quod huius facultatis magiſtra eſſet, efferri. Hinc igitur ſatis, opinor, aperte colligitur, habitum, cultumque Philoſophorum Euterpi convenire.

Quarta, quae ſequitur, imago tibiam utraque manu tenet. Manus eius dextera addita recens fuit: attamen vetus eſt, nullaque ex parte refecta ſiniſtra; & idcirco haud temere in ea Terpſichorem repraeſentari credimus. Callimachus enim in ſupralaudato epigrammate haec habet:

Τερψιχόρη χαρίεσσα πόρεν τεχνήμονας αὐλοὺς
Grataque Terpſichore calamos inflare paravit.

Praeterea huius ſimilem cum tibiis figuram, tum Begerus (*i*) Pomponii Muſae nummum explicans, tum Montfauconius (*k*) de Sarcophago Iuſtinianeo agens, Terpſichorem dixerunt. Terpſichore graece dicta eſt, quaſi cho-

(*a*) *Monum. antichi* pag. 247.
(*b*) *De art. Poet.* verſ. 278.
(*c*) *Noct. Attic.* lib. IX. cap. 2.
(*d*) *Corinthiac.* lib. II. cap. 11.
(*e*) *De re veſtiar* Par II. lib. IV. cap. 5.
(*f*) *Sympoſ.* lib. IX. quaeſt. 14.
(*g*) Verſ. 1. lib. III. *Argon.*
(*h*) *De nupt. Philolog.*, *&* *Mercur.* lib. II. pag. 40.
(*i*) *Theſaur. Brandemburg.* Tom. II. pag. 577.
(*k*) *Antiq. expliq.* Tom. I. Par. I. lib. III. cap. 5. ſect. 6. Tab. 60. num. 1.

choreis oblectaretur. Carmina enim, hymnoſque, quibus ipſa praeerat, in honorem Deorum, atque Heroum ſaltando cani ſolebant, ut Athenaeus (*a*) animadvertit, & ex Callimacho (*b*), atque Apollonio (*c*) clare colligitur. Ad tibias autem cani conſueviſſe, ut Spanhemius (*d*) adnotat, ex eodem Athenaeo (*e*), atque ex Sophoclis Scholiaſte (*f*) perſpicuum eſt. Neque vero Auſonius Terpſichori citharam tribuens:

Terpſichore affectus citharis movet, imperat, auget,

a nobis diſcrepat. Nam eiuſmodi carmina tum ad citharam, tum ad tibiam, Luciano teſte (*g*), canebantur. Laurea autem corona, qua nedum quartae huius Muſae, ſed etiam ſeptimae caput ornatur, propterea quod laurus ſemper vireat, aeternitatem famae, quae ex litteris, carminibuſque in poſteros manat, aut Muſarum virginitatem indicat. Sed alia eſt Tzetzis (*h*) in Lycophronem ratio. Is excitari lauro aeſtrum, atque phantaſiam docet, idque ex Heſiodo (*i*) perſpicuum eſſe, qui tum egregia voce, tum non modo praeteritarum, ſed etiam futurarum rerum ſcientia ſe praeditum ſenſit, ut ipſe narrat, ubi viridem a Muſis lauri ramum dono accepit. Nec omittam veteres Poëtas cum hymnos in honorem Deorum recitarent, retinere manu lauri ramum conſueviſſe; quo de more, quem *Rapſodes* ſequuti ſunt, Salmaſius agit (*k*). Illud praeterea animadvertendum eſt, ſtrophium quoque, quo Terpſichores tunica ad pectus cingitur, virginitatis indicium eſſe. Nam ſtrophium nihil aliud erat, ut vetus Prudentii Scholiaſtes (*l*) ſcribit, quam cingulum, ex eo ita dictum *quod a poſterioribus ad anteriora convertitur*. Nonius autem illud *brevem faſciam* dicit, *quae virginalium papillarum tumorem cohibet*. Quare Catullus ait (*m*):

Non tereti ſtrophio lactantes vincta papillas.

Palliolum vero tunicae Terpſichores impoſitum palla illa eſt, ſive amiculum, quo feminae utebantur, uſque ad pedes, & interdum quoque amplius prolixum, uti ex Plauto in Ciſtellaria cognoſcitur, ubi inquit (*n*):

Gy. *Amiculum hoc ſuſtolle ſaltem*.
Sil. *Sine trahi, cum egomet trahor*.

Edito ſaxo quinta Muſa utroque brachio innititur, mentumque dextera manu ſuſtinet. Inſigne, quo a ceteris diſtinguatur, mihi occurrit nullum. Verum cum ratiocinari, aut ratiocinanti aurem praebere, aut quidpiam meditari videatur; coniicere quiſquam poſſet Eraton eſſe Philoſophiae praeſidem, atque magiſtram. In his enim, ut omnes norunt, Philoſophia verſatur

(*a*) *Deipnoſoph.* lib.XIV. cap.5. pag.*626*.
(*b*) *Hymn. in Apoll.* verſ.8.
(*c*) *Argonaut.* lib. II. v. 7*16*.
(*d*) Verſ.1. *Hymn. Callim. in Iov.*
(*e*) Loc. cit.
(*f*) *Phoeniſſae* v. 103*6*.
(*g*) *De ſaltat.* ſect.1*6*. Tom.II. Oper. p.277.
(*h*) Verſ. *6*. *Alexandrae*.
(*i*) *Theogon.* verſ. 30.
(*k*) *Exercitat. Plinian. in Solin.* cap.40. To.I. pag. *609*.
(*l*) Verſ.29. hymn. 3.
(*m*) Carm. *64*. verſ. *65*.
(*n*) Act.I. ſc. 1. v.117.

ſatur, in rebus nempe contemplandis, atque diiudicandis, ratiocinando, ac diſputando. Quo enim alio habitu oris exprimi potuiſſet? Nullo haec Muſa neque in quinto nummo Pomponii Muſae (*a*), neque in Sarcophago Iuſtinianeo (*b*), ſingulari inſigni ornatur. Erato autem eſt appellata, ut nonnulli volunt (*c*), ἀπὸ τοῦ ἐρέσθαι καὶ ἀποκρίνεσθαι, *ab interrogando, & reſpondendo*, unde oritur diſputatio: ſed Fulgentius (*d*) *ab inveniendo*, quaſi εὕρων ὅμοιον, nominatam cenſet. Namque etſi ad omnes reliquas diſciplinas *inventio* pertinet; propria tamen imprimis eſſe videtur Philoſophorum, qui inveſtigant, ac perſcrutantur humanas omnes, divinaſque res, noviſque ſemper modis, quod non ſatis explorate perceptum eſt, & cognitum, explicare contendunt. Quapropter Philoſophia & inventrix legum, & magiſtra morum & diſciplinae a M. T. Cicerone (*e*) appellatur. Quod ſi ab aliis ἀπὸ τοῦ ἔρωτος *ab amore* nominata eſt, equidem non repugno, cum Philoſophia, ut idem Tullius ait, nihil aliud ſit quam ſtudium ſapientiae. Phornutus (*f*) poſtremam hanc etymologiam probat, quia amor ad philoſophicas praeſertim diſciplinas ſpectat. Tunica ſine manicis, qua noſtram Eraton ſub palla indutam vides, exomides a Graecis, & ab Ariſtophane ἐξωμίζειν *nudare brachia* dicitur. Hinc eam eſſe *veſtem ingenuam non cooperientem brachia*, χιτῶνα ἐλευθέριον οὐκ ἐπισκεπάζοντα τοὺς βραχίονας Suidas (*g*) ſcribit. Aulus quoque Gellius (*h*) de veſtibus Romanorum agens ſimilia habet: *Viri*, inquit, *primo quidem ſine tunicis toga ſola amicti fuerunt*, *poſtea ſubſtrictas*, *ac breves tunicas citra humerum deſinentes habebant*, *quod genus Graeci dicunt* ἐξωμίδας. Animadvertit vero Meurſius (*i*) varia fuiſſe apud veteres exomidum genera; ſed alienum ab hoc loco eſſe videtur de iis proponere.

Iam ſexta Muſa ſequitur Polhymnia, quae, ut ait Auſonius:

Signat cuncta manu, *loquitur Polhymnia geſtu*.

De nomine diſſentiunt Scriptores. Idem eſſe ac μνεία πολλῶν *memoriam multarum rerum* Plutarchus (*k*) docet, eique aſſentiens Fulgentius (*l*) Polhymniam eſſe ait quaſi πολυμνήμην *producentem multam memoriam*. Sed Diodorus (*m*) Πολύμνιαν, inquit, ἀπὸ τοῦ διὰ πολλῆς ὑμνήσεως ἐπιφανεῖς κατασκευάζειν τοὺς διὰ τῶν ποιημάτων ἀθανατιζομένους τῇ δόξῃ *Polhymnia quod immortali per carmina gloriae tranſcripti*, *multa hymnorum decantatione illuſtres reddantur*. Phornutus (*n*) quam ex his etymologiis probet non prodit. Ea eſt autem omnium Mythologorum ſententia, ad Polhymniam Polymathiam, ſeu eruditionem (*o*), atque inprimis artem oratoriam pertinere: unde illud veteris Poëtae (*p*):

Rhetoricos dictat Polhymnia Muſa colores.

Ac

(*a*) Vid. Beger. *Theſ. Brandenb.* Tom. II. pag. 577.
(*b*) Vid. Montfaucon. *Antiq. expl.* Tom. I. Par. I. lib. II. Tab. 60. num. 2.
(*c*) Vid. Phornut. *De nat. Deor.* cap. 14.
(*d*) *Mytholog.* lib I. cap. 14.
(*e*) *Tuſculan. Quaeſt.* lib. V. cap. 2.
(*f*) Loc. cit.
(*g*) *Lexicon* v. ἐξωμίς.
(*h*) *Noct. Attic.* lib. VII. cap. 12.
(*i*) Ad verſ. Lycophr. 1099.
(*k*) *Sympoſ.* lib. IX. quaeſt. 13.
(*l*) *Mytholog.* lib. I. cap. 14.
(*m*) *Biblioth. hiſt.* lib. IV. cap. 7.
(*n*) *De nat. Deor.* cap. 14.
(*o*) Vid. Plutarch. *Sympoſ.* lib. IX. quaeſt. 14.
(*p*) Vid. Gyrald. *de Muſis ſyntagm.* Tom. I. pag. 563.

Ac re quidem vera geſtu, memoria, eruditione veluti ſuis partibus, membriſque ars omnis oratoria continetur (*a*). Quî enim perfici, pronunciarique, ſi illa deſint, oratio poteſt? Haec volumine, quod Polhymnia apertum ſiniſtra tenet, dexteraeque geſtu indicantur. In praeclara quoque marmorea tabula, in qua Homeri apotheoſim vetus ſculptor expreſſit, Polhymnia, ut Schottius (*b*) cenſet, illa eſt, quae edito in loco prope Iovem pro Poëtarum principe habet orationem. Ac nullum ſane exſtare antiquum marmoreum, aeneumque cum imaginibus Muſarum monumentum intelligo, quod hanc noſtram Muſam non exprimat geſticulantem. Eſt enim maximo ornamento oratori geſtus, ut Quintilianus (*c*) imprimis docet. Quare poſitae praeſtantibus oratoribus ſtatuae, quod animadverſum a Dempſtero (*d*), atque Figrelio (*e*) fuit, geſticulantes videntur. Sed & panniculum, ſeu velum animadvertas oportet, quo Polhymniae caput regitur. Hoc de velo, quod nonnulli reticulum appellant, & quo mulieres colligere capillos ſolebant, in XXII. Iliad. libro Homerus (*f*) loquitur, ubi Andromacha Achillem trahentem ad currum religatum Hectorem virum ſuum videns:

Τῆλε δ' ἀπὸ κρατὸς χέε δέσματα σιγαλόεντα
Ἄμπυκα, κεκρύφαλόν τ' ἠδὲ πλεκτὴν ἀναδέσμην,
Κρήδεμνόν θ',
Longe vero e capite fudit ligamina ſplendida,
Reticulum, vittamque, & implexum redimiculum,
Velumque.

In hos Homeri verſus haec Euſtathius adnotat: Ἄμπυξ διάδημά τι πρὸς ἀνάδεσιν τριχῶν· ἴσως διὰ τὸ ἀμπέχειν τὰς τρίχας, ὥς φησιν Παυσανίας. *Ἄμπυξ diadema quoddam eſt, quo capilli vinciuntur, forte ita dictum, quod capillos contegat, ut inquit Pauſanias.* Itaque huiuſmodi velo, ſive reticulo capilli non colligebantur ſolum, ſed etiam quaſi pileolo tegebantur. Quod idem Homerus alio etiam loco (*g*) oſtendit, ubi Hecuba tractum ab Achille Hectorem conſpicata

. . . . λιπαρὴν ἔρριψε καλύπτρην.
. . . . *molle abiecit velamen.*

Euſtathius Ariſtophanem ſequutus auctorem eiuſmodi tegmen pileolo, quo noctu caput obtegere ſolebant, ſimile fuiſſe animadvertit; quare ea forma fuit, ut apte caput cooperiret, eamdemque ob cauſſam κεκρύφαλον dicebatur, quaſi κρυπτοκέφαλον, ut Scaliger (*h*) cenſuit. Porro ἄμπυξ Graecorum idem fortaſſe capitis tegmen erat, ac mitra, aut calantica Latinorum, aut his pene ſimile; calantica enim capiti ita accommodabatur, ut eam Servius (*i*) muliebre pileolum appellet. Sed his praetermiſſis, ſatis eſto animadvertere, hanc noſtrae Polhymniae imaginem nos docere qua de cauſſa Muſae χρυσάμπυκες, ideſt *velis aureis ornatae* ab Heſiodo nominentur (*k*).

Inſcul-

(*a*) Vid. Quintil. *Inſtit. orator.* lib. II. c. 3., atque alibi.
(*b*) *Apotheoſ. Homeri nova explanat.* In Supplem. Polen. Tom. II. pag. 316.
(*c*) *Inſtitut. orat.* lib. II. cap. 3.
(*d*) *Paralipom. ad Roſin.* cap. 9.
(*e*) *De ſtatuis* cap. 19.
(*f*) Verſ. 468.
(*g*) Ibid. verſ. 405.
(*h*) *Poetic.* lib. I. cap. 16.
(*i*) Vid. Theophil. Rainaud. *de pileo, & ceter. capit. tegmin.* ſect. 6.
(*k*) *Theogon.* v. 916.

Inſculpta ſeptimo loco poſt Polhymniam imago Clio eſſe videtur. Κλέω graece, *laudo* latine eſt; cumque fama, nominiſque celebritas ex laude oriatur, a fama, ſeu gloria, quae a Graecis κλέος dicitur, quamque laudari carminibus Poëtarum aſſequuntur, Clion nominatam fuiſſe nonnulli exiſtimarunt (*a*). Scribit Plutarchus (*b*) τὸ ἐγκωμιαστικὸν *artem laudandi* eſſe propriam Clios, quod laudes κλέα dicantur. Itaque non ſolum elogia heroum, ſed etiam hiſtoriae, ut Scholiaſtae Apollonii (*c*) volunt, ad Clion pertinent: quod clarorum virorum elogia hiſtoria complectatur. Ex cithara vero, quam retinet, hanc eſſe Clios imaginem colligimus. Nam Clio, teſte Callimacho, eiuſmodi muſici inſtrumenti inventrix fuit:

> Κλειὼ καλλιχόρου κιθάρης μελιηδέα μολπήν
> *Clio dulciſonae citharae modulamina prompſit.*

Quod etiam ex more veterum perſpicuum eſt, qui laudes heroum ex hiſtoricorum libris depromptas ad citharam canere ſolerent. Quare Auſonius dixit:

> *Clio geſta canens tranſactis tempora reddit.*

Narrat Homerus (*d*) Achillem ſui recreandi animi cauſſa ad citharam κλέα ἀνδρῶν *laudes praeſtantium virorum* ceciniſſe. Steſandrum vero Samium Delphis carmina Homeri canere ſolitum, Timonacus narrat in Cypriacis apud Athenaeum (*e*); & quod Pythagoras verſus cantare ſoleret ad citharam, quos idem Homerus de Euphorbo ſcripſit, Porphyrius teſtatur. Demum Quintilianus (*f*) animadvertit, quod *inter regalia convivia laudes heroum ad citharam canebantur*. In laudata Homeri apotheoſi illam eſſe iconem Clios Schottius (*g*) cenſet, quae tenet ſiniſtra citharam, dextera vero volumen hiſtoriam indicans, cui haec Muſa praeſidet. Deeſt ſane noſtrae Clio volumen, ſed etiam in nummo tertio Pomponii Muſae Clio tenet ſolum citharam, quae proprium illius erat inſigne (*h*). Praeterea laurea corona eius caput ornatur, quia ſic coronari quique cantores ſolebant. Scilicet & Clios, & Terpſichores munus & cura erat, ut res praeclare ab heroibus geſtae verſibus, hymniſque celebrarentur; Terpſichores tamen hominum, qui vitam agerent: Clios autem iam vita functorum.

Octava imago ſiniſtrum brachium, & caput ad columnam applicans, dexteraque retinens virgam, qua globum humi locatum contingit, Muſae illius imago eſt, quae omnium prima, ut Apollonii Scholiaſtae (*i*), aliique Mythologi arbitrantur, Aſtrologiam invenit, atque a Graeca voce οὐρανός, ideſt *caelum*, Urania nominatur. Ac eadem quidem inſignia ab omnibus Scriptoribus Uraniae tribui intelligo. Quapropter cum Callimachus, tum Auſonius ſimilia ſcribunt, quorum primus habet hoc modo:

Οὐρα-

(*a*) Vid. Phornut. *de nat. Deor.* cap. 14., Fulgent. *Mytholog.* lib. I. cap. 14., Diodor. *Bibl hiſtor.* lib. IV. cap.7.

(*b*) *Sympoſ.* lib. IX. quaeſt.13.

(*c*) Verſ 1. lib. III. *Argonaut.*

(*d*) *Iliad.* lib. IX. v. 189.

(*e*) *Deipnoſoph.* lib.XIV. cap.9. pag.628.

(*f*) *Inſtit. orat.* lib.I. cap.10. pag.104. edit. Petri Burman.

(*g*) *Apotheoſ. Homeri nova explan.* in Supplem. Polen. Tom. II. pag.315.

(*h*) Vid. Beger. *Theſ. Brandenburg.* Tom. II. pag. 576.

(*i*) Ad verſ. 1. lib. III. *Argonaut.*

Οὐρανίη πόλον εὗρε, καὶ οὐρανίων χορὸν ἄστρων
Uranie caelique gyros, atque aſtra notavit:

alter vero:

Urania caeli motus ſcrutatur, & aſtra.

Neque ſolum caeleſtium, ſed etiam naturalium omnium rerum ſcientiam a veteribus Aſtrologiam appellatam fuiſſe Phornutus (*a*) tradit. Nam mundum dixerunt caelum. *Mundum*, inquit Plinius (*b*), *& hoc, quod nomine alio caelum appellare libuit.* Quare minime mirandum eſt, Uraniam in pleriſque antiquis monumentis cum utroque globo caeleſti, atque terraqueo repraeſentari, etſi in noſtro Sarcophago unicus inſculptus eſt; qui globus cum nullo ſidere, neque alio quopiam ſigno caeleſti ornetur, terraqueus potius eſſe videtur. Iam vero terram undique rotundam, aut ſphaerae ſimilem fuiſſe veteres, iis notionibus, rationibuſque, quae nunc ſatis exploratae perceptaeque ſunt, deſtituti cenſuerunt. Sed non eſt opus de eiuſmodi opinione diſſerere. Porro virga indicat, eum eſſe Aſtronomorum, atque Geometrarum morem, atque inſtitutum, ut caelorum, terraeque ſpatia metiantur: unde illud Virgilii (*c*):

In medio duo ſigna, Conon: & quis fuit alter?
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem.

Quem in locum Servius *radio*, inquit, *ideſt virga Philoſophorum, qua Geometrae lineas indicant*, & qua non ſolum terram, *ſed & maris, & caeli, & aëria ſpatia metiri conſueverunt.* Iiſdem inſignibus Uraniam diſtingui Martianus Capella ſcribit (*d*): *Proſpicio*, ait, *quamdam feminam luculentam radium dextera, altera ſphaeram ſolidam geſtitantem.* Crepidas quoque geſtare idem Capella animadvertit, quibus & noſtram Uraniam calceatam cernimus. *Crepidas*, inquit, *peragrandae telluris cauſſa, eaſdemque permenſo orbe contritas viatrix infatigata geſtabat.* De veſtimento autem apud hunc ſcriptorem ne verbum quidem. At in noſtro anaglypho tunicam cum altera tantum manica Urania induit; quam tunicam genus quoddam exomidis ἑτερομάσχαλος, *alterius tantum manicae*, appellatum fuiſſe Meurſius in Lycophronem (*e*) adnotat. Auctor Etymologici: Ὁ δὲ τῶν οἰκετῶν μίαν εἶχε καὶ διὰ τοῦτο ἑτερομάσχαλος ἐκαλεῖτο, ideſt, *veſtis ſervorum unam ſolam manicam habebat, & idcirco dicebatur heteromaſchalos.* Iſtiuſmodi tunica in ſaepe laudata Apotheoſi Homeri, & apud Cuperum (*f*) Uraniam indutam videmus. Kuhnius in Pollucem ſcribit (*g*), ſiniſtram ei tunicae manicam fuiſſe, ſed hic ineſt dextera.

Poſtremo loco Thalia occurrit. Iam huius quoque nomen eſt Graecum ἀπὸ τοῦ θάλλειν *florere*; quia diu florent ii, qui carminibus celebrantur, ut Diodorus interpretatur (*h*), vel ut ait Phornutus (*i*), quia διὰ τὸ θάλλειν τόν βίον αὐτῶν, ἢ διὰ τὸ ἔχειν αὐτοὺς, καὶ τὴν συμποτικὴν ἀρετὴν, ἐπιξίως, καὶ ἐμμούσως ἀναστρεφομένους ἐν ταῖς θαλίαις, *vita doctorum floreat: ſeu quod praediti*

(*a*) *De nat. Deor.* cap.14.
(*b*) *Hiſtor. nat.* lib.II. cap.I., vid. Harduin. not. in hunc loc.
(*c*) Eclog.3. verſ.40.
(*d*) *De nupt. Philolog.*, *& Mercur.* lib. VI. pag. 219.
(*e*) Ad verſ. 1099.
(*f*) *Apoth. Homer.* in Suppl. Polen. Tom. II. pag. 146.
(*g*) *Onomaſt.* lib. VII. cap. 13. ſegm.47.
(*h*) *Biblioth. hiſtor.* lib.IV. cap.7.
(*i*) *De nat. Deor.* cap.14.

ſint convivali virtute, verſantes digne, & decenter in conviviis; quae poſterior eadem ac Plutarchi (*a*) ſententia eſt. Thaliam Comoediae veteres praefecerunt, indeque Callimachus ait:

Κώμικον εὗρε Θάλεια βίον τε δὲ ἤθεα κεδνὰ

Comica vita tibi eſt, moreſque, Thalia, reperti,

& Auſonius:

Comica laſcivo gaudet ſermone Thalia.

Dionyſius autem Melitenſis apud Plutarchum (*b*), & Scholiaſtae Apollonii (*c*) agrorum culturam Thaliae tribuerunt. Atque a cultoribus quidem terrae, auctore Athenaeo (*d*), temporibus vindemiae Comoedia initium ſumpſit. Itaque a reliquis Muſis octo Thalia larva, & ſoccis diſtinguitur. Satis cuique cognitum eſt, comoedos larvatos in ſcenam prodiiſſe, ut non modo aptius perſonam cuiuſquam ſimularent, ſed etiam ut iucundiores, facetioreſque auditoribus eſſent, liberiuſque turpitudinem, ceteraque vitia reprehenderent. Quare Thalia *arguta* ab Horatio (*e*) nominatur. Ex multis perſonis comicis, quas diligenter Pollux (*f*) deſcripſit, ne unius quidem caput, ut eſt huius iconis, de qua agimus, ita concinnatum fuiſſe comperio: niſi quiſquam pugnet, noſtrae perſonae ornatum ad eum referri, quem Pollux (*g*) vocat ὄγκον, ideſt tumorem, ac veluti aggeſtum lamdae Λ litterae Graecorum ſimilem. Nam ad hunc noſtrae perſonae ornatum accedere propius videtur. Tali tamen modo concinnatae in multis vetuſtis monumentis (*h*) perſonae, ut Thraſon miles, & Donax ſervus in antiquiſſimo codice Comoediarum Terentii (*i*) in Bibliotheca Vaticana ſervato, conſpiciuntur. Gronovius (*k*) de Muſis in Sarcophago villae Matthaeiae inſculptis agens, perſona, quam Thalia tenet, Menandrum exhiberi ſcribit, ea vero, quam geſtat Tragoedia, Euripidem. Quid? Itane tam abſurda defendam? Scenicae omnino eae ſunt perſonae, & ſpeciem praeſeferunt, quae magis placuit ſculptoribus. Menandri, atque Euripidis imagines dicere, in quibus nulla inſunt verarum imaginum lineamenta, atque indicia; id ſane novum, atque ridiculum. Hoc unum Gronovio, ſi quis velit, dabo, perſonas, quibus comoedi, atque tragoedi plerumque uti ſolebant, Comoediae, ac Tragoediae Muſis, ut facilius dignoſcerentur, tributas fuiſſe. Perſona in noſtro Sarcophago ineſt ſummo Thaliae capiti non ſecus ac capiti ineſt inſculpto in achate apud Ficoronium (*l*), & hinc fortaſſis coniicere licet, quod, Comoedia abſoluta, actores ſummo capiti perſonas adducerent. Quod vero ad ſoccum pertinet: ſubtilis, ac plani calceamenti genus ſoccus erat, quare comoedi, qui ſoccis utebantur, excalceati a Seneca appellantur. Menander a Sydonio (*m*) ſoccifer dicitur, quod in ſcribendis Comoediis praeſtiterit; & ſoccorum riſum luctui cothurnorum, quibus calceati in ſcenam prodibant tragoedi, Claudianus (*n*) opponit, quod

(*a*) *Sympoſ.* lib. IX. quaeſt. 14.
(*b*) Loc. cit.
(*c*) Ad verſ.1. lib.III. *Argonaut.*
(*d*) *Deipnoſoph.* lib. II. cap.3. pag.40.
(*e*) *Carm.* lib.IV. od.6. v.25.
(*f*) *Onomaſt.* lib.IV. cap.19. ſegm.143.
(*g*) Ib. ſegm.133.
(*h*) Vid. Ficoron. *Maſchere ſcen.* cap. 26. 41. 47. 60., & alib.
(*i*) *Eunuch.* Act.3. ſc.2., & Act.4. ſc.7.
(*k*) *Theſaur. antiq. Graec.* Tom. I.
(*l*) *Le Maſchere ſcen.* cap.8.
(*m*) Carm. 9. v.215.
(*n*) *In Eutrop.* lib. I. v. 299.

quod triſtia, atque luctuoſa eſſent tragoediarum, contra vero iocoſa, atque feſtiva comoediarum argumenta.

Reſtat ut quale ſit Sarcophagi operculum, conſideremus. In hoc figurae convivantes cernuntur ſex. Cuius rei tres eſſe poſſe veriſimiles explanationes intelligo. Primum, quod Muſae convivia frequentarent, haec enim iucundius cantu, carminibuſque agitari conſueviſſe ex Heſiodo (*a*), atque ex hymnis Orphaei colligitur. Deinde quod aliqua feralis coena exprimatur. Nam eiuſmodi coena non ab Ethnicis modo, ſed etiam a primis Chriſtianis, aut ob anilem quamdam ſuperſtitionem (*b*), aut exhilarandi animi cauſſa, anniverſaria cuiuſquam ex ſuis neceſſariis, aut ipſa, qua is deceſſerat, dies traducebatur. Tertia explanatio eſt, quod inſculptum convivium gaudia, voluptateſque elyſiorum indicet (*c*), quas Ethnici in conviviis, ſaltationibuſque ſitas eſſe exiſtimabant. Extremum utrumque operculi latus duae exornant perſonae, quae profecto ſatis apte ad anaglyphi argumentum conveniunt.

Iam Sarcophagi latera Tabulis XXVII., & XXVIII. aere inciſa inſpicito. In ſiniſtro Tab. XXVII. Socratem Xantippi uxori moroſae ſupplicem, in dextero Tab. XXVIII. Diogenem Cynicum, atque Philoſophiam repraeſentari ex duobus canibus, quos in ſuperiore ornatu inſculptos vidit, Montfauconius colligit (*d*). At mea haec eſt ratio: in ſiniſtro latere exhiberi Homerum, huiuſque fortaſſe matrem Calliopem Muſam. Nonne id aptius imaginibus in antica parte expreſſis colligatum, connexumque eſt? Annon Homerus, cum ſuos libros mirificis, ac pene divinis omnium diſciplinarum praeceptis, ſententiiſque referſerit, ab ipſis Muſis, ut veteres putarunt, inſtitutus, inſpiratuſque viſus eſt? Nonne illum Μȣσοτραφῆν, ideſt *a Muſis nutritum* Euſtathius (*e*) dixit? Annon Graecus Poëta (*f*) eumdem non ex homine genitum finxit, ſed de caelo in terram delapſum? En huius verſus:

Οὐ γὰρ ἔφυ χθόνος ἔργον· ἀπ' αἰθέρος ἀλλὰ ἐ Μȣ͂σαι
Πέμψαν. ἵν' ἡμερίοις δῶρα ποθητὰ φέρῃ.

Mortalis non illud opus, ſed ab aethere Muſae
Miſere, ut terreis dulcia dona ferat.

Neque ſolum princeps Poëtarum dictus eſt Homerus, & ceteris omnibus longe praeſtans, ut ſol ſtellis, ſed etiam (*g*) habitus eſt omnium magiſter, ac veluti fons poëticae eloquentiae; unde Ovidius cecinit (*h*):

Aſpice Moeoniden, a quo, ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

(*a*) *Theogon.* v. 917.
(*b*) Vid. Kirchman. *de funerib. Roman.* lib.IV. cap. 4. &c.
(*c*) Vid. Platon. *de Rep.* lib.II. Tom.II. Oper. pag.363., Lucian. *ver. hiſt.* lib.II. §.14. & ſeq. Tom.II. Oper. pag.112.
(*d*) *Antiquit. expliq. ſupplem.* Tom.III. lib.I. cap.8. Tab. quae nonam ſequitur pag 34.
(*e*) Ad verſ.403. lib.I. *Iliad.*
(*f*) *Antholog.* lib. IV. cap.27. n.2. pag.411. edit. Megiſeri.
(*g*) Ibi lib.I. cap.67. num.I. pag.438.
(*h*) *Amor.* lib.III. eleg.9. verſ.25.

Atque id Manilius eleganter expreſſit his verſibus (*a*):

> . . . . *cuiuſque ex ore profuſos*
> *Omnis poſteritas latices in carmina duxit*
> *Amnemque in tenues auſa eſt deducere rivos*
> *Unius fecunda bonis*.

Si igitur ita haec ſunt, quid mirum ad Homerum Muſas omnes pertinere, eaſque conſulto in illius apotheoſi inſculptas ab Archelao Prienenſi fuiſſe, ut praeclariſſimum virum omnes ſummis laudibus in caelum efferre, inque Deorum numero poſitum immortalitati conſecrare viderentur? Sed vel ipſa facies imaginis in ſiniſtro noſtri Sarcophagi latere inſculptae Homerum plane exhibet. Nam maxime eam eſſe ſimilem reliquarum imaginum Homeri, futurum qui neget arbitror neminem. De illis copioſe actum eſt in primo huius Operis volumine; quare id unum hic addam; aeneae ſtatuae Homeri caput, quam incendio conſumptam Conſtantinopoli fuiſſe Cedrenus (*b*) prodidit, Richardum Meadium ſibi comparaſſe, & quamdiligentiſſime eius iuſſu aere inciſum a B. Barone fuiſſe, & ex manifeſtis plane ſignis liquere eſſe ſtatuae igni conſumptae caput. Homerus in noſtro anaglypho inſculptus eſt ſedens, non ſecus ac in templo in illius honorem a Ptolemaeo Philopatore exaedificato, Aeliano teſte (*c*), inſculptus videbatur: utque in pleriſque nummis exprimitur. Animadvertit autem Leo Allatius (*d*), Homerum ſedentem exhiberi, *ut ipſe ſcilicet quieſcens ceteris honoribus, firmis ac perennibus gaudeat, & imperium ſine fine poſſideat. Doctrinae etiam cauſſa cathedram decernunt, & ſeſſione iudicis officium indicant: qui enim iudicium adminiſtrat ſedet, maieſtatem ſibi concilians, & gravitatem*. Demum palliatus eodem fere modo noſter Homerus occurrit, quo in aliis monumentis, atque inprimis in nummis Amaſtrianorum, atque Smyrnenſium apud Cuperum (*e*), & Gronovium (*f*).

Stans contra Homerum mulier haſtae dextera manu innititur, illique volumen ſiniſtra tradit. Hanc coniicit Maffaeius (*g*) Iliadem eſſe, quam veteres, inprimiſque Antiphylus (*h*) in ſuo Graeco epigrammate Muſam dixerunt. Sed non video, cur Calliope dicenda non ſit. Haec Homeri nutrix, ac parens habebatur (*i*), ut Antipater ſcripſit his verſibus (*k*):

> Πάτρα σοι πελέθει μέγας οὔρανος, ἐκ δὲ τεκούσης
> Οὐ θνατᾶς, ματρὸς δ᾽ ἔπλεο Καλλιόπη,

ideſt, ut praeclare Politianus vertit,

> *Dicere ſi liceat mihi Phoebi oracula, caelum*
> *Certa tibi patria eſt, Calliopea parens*.

Volu-

(*a*) *Aſtron.* lib. II. v. 8.
(*b*) *Hiſt.* cap. 149. pag. 369. edit. R. Typograph. Pariſien.
(*c*) *Var. hiſt.* lib. XIII. cap. 22.
(*d*) *De patria Homer.* in Praefat. pag. 24.
(*e*) *Apoth. Homer.* in Supplem. Polen. To. II. pag. 22. & 23.
(*f*) *Theſ. antiq. Graec.* Tom. II.
(*g*) *Raccolta di Statue antiche* pag. 158.
(*h*) *Antholog.* lib. I. cap. 67. num. 3.
(*i*) Ib. lib. IV. cap. 12.
(*k*) Ib. lib. IV. cap. 27. num. 3. pag. 412.

Volumine opera Homeri indicari cenſendum eſt, quae ille, ut ait Maximus Tyrius (*a*), Muſa dictante perſcripſit, haſta vero ſceptrum exprimi Homero paratum, tamquam Poëtarum principi. Ac declarant quidem iſtiuſmodi opinionem laudatus nummus Amaſtrianorum, praeclarumque marmor Apotheoſis Homeri: quod ibi Homerus ſedens ſimili haſtae innititur, hic vero tum volumen, tum haſtam, non Calliope, ſed ipſe immortalitate donatus manu retinet. Sed quam nos haſtam, ſeu ſceptrum, Maffaeius (*b*) tibiam longam, tubamque bellicum inſtrumentum dixit ad indicandam Iliadem, quo in opere de bello a Graecis cum Troianis confecto Homerus agit. Nugae. Inſpicienti anaglyphum nullus datur ambigendi locus, quod artifex haſtam ſculpſerit. Ceterum ſi quid ſibi fingere Maffaeius placebat, potuiſſet melius dicere eam haſtam Odyſſeae eſſe indicem; propterea quod in hoc libro Ulyſſis itinera continentur.

In oppoſito Sarcophagi latere Tab. XXVIII. inſculptus eſt Socrates ſub porticu ſedens, qui cum Philoſophia diſſerere videtur. Scilicet adeo arcte coniuncta Poëticae Philoſophia eſt, ut Strabo Poëticem appellaverit, πρώτην τινὰ φιλοσοφίαν εἰσάγουσαν εἰς τὸν βίον ἡμᾶς ἐκ νέων, καὶ διδάσκουσαν ἤθη, καὶ πάθη, καὶ πράξεις μεθ' ἡδονῆς, *primam quamdam Philoſophiam vitae a prima aetate formatricem, quae morum, affectuum, actionumque rationes nos voluptate comitante doceat* (*c*). Maximus autem Tyrius (*d*) inter Poëticen, & Philoſophiam id unum intereſſe voluit, quod illa prior tempore ſit, ac res fabulis quaſi velo quodam involutis proponat, contra vero Philoſophia, ut ſunt, omnia ediſſerat. Itaque Philoſophiam σαφεστέραν *veraciorem*, & χρόνῳ νεωτέραν *tempore poſteriorem* dixit, proptereaquod Poëtae omnium primi ſuis carminibus eruditionem, atque doctrinam mortalibus tradidiſſe videantur. Ac Homerus quidem e Philoſophis ingenio ſcientiaque ita excelluit (*e*), ut vel ipſi Platoni, atque Ariſtoteli ab Themiſtio praeferatur (*f*), praeclariſque vocabulis parens, & vox Sophiſtarum (*g*) ab Hippodromo nominetur. Quod ſi quaeras, cur Socratem potius, quam alium quemquam ex tot doctiſſimis Philoſophis Sculptor expreſſerit, en tibi Horatius, qui Poëtis hoc praeſcripſit, ut in Philoſophia, quae ad mores pertinet, Socratem, utpote praeſtantiſſimum, ſequerentur auctorem. Nam inquit ille (*h*):

Rem tibi Socraticae poterunt oſtendere chartae.

Quo loco *Socraticae chartae*, quoniam nullos Socrates libros confecit, praeceptiones eiuſdem, ac dogmata, praeclareque res geſtae monumentis litterarum a Philoſophis Socraticis traditae appellantur. Praeterea Socrates, ut Dion Chryſoſtomus (*i*) prodidit, Homeri diſcipulus fuit: Ἀλλὰ τοῦτό γε οἶμαι πολλοῖς εἶναι σαφὲς, εἴ τις ἔμπειρος ἀμφοῖν τοῖν ἀνδροῖν· ὅτι Σωκράτης, τό γε ἀληθὲς Ὁμήρου μαθητὴς γέγονεν, οὐχ᾽ ὥσπερ ἔνιοι φασὶν, Ἀρχελάου. *At ego hoc*

(*a*) Diſſert.32. §.1.
(*b*) Loc. cit.
(*c*) *Geograph.* lib.I. pag.29.
(*d*) Diſſert.10 §.1. p.102. edit. Londin.1740.
(*e*) Vid. Lucian. *de merced. conduct.* §. 25. Tom.I. Oper. pag.682.
(*f*) Orat.20. pag.236. edit. Harduin. Typograph. Regiae.
(*g*) Vid. Philoſtrat. *de vit. Sophiſtar.* lib. II. num.27. Ippodr. §.6.
(*h*) *De art. Poet.* verſ.310.
(*i*) Orat.55. pag.558. edit. Frider. Morelli.

hoc ſane multis arbitror eſſe perſpicuum, ſi quis modo amborum virorum habeat experientiam, quod Socrates vere Homeri diſcipulus fuerit, non, ut nonnulli dicunt, Archelai. Cumque unius aetas cum alterius aetate minus conveniat; adiungit: οὐκοῦν ἄτοπον τὸν, μήτε ξυγγενόμενον, μήτε ἰδόντα, τῆς δὲ ποιήσεως ξυνιέντα τῆς Ὁμήρου, καὶ τῆς ὅλης διανοίας ἔμπειρον γενόμενον, μαθητὴν Ὁμήρου γενέσθαι, *non eſſe abſurdum, eum qui licet non converſatus ſit, neque viderit, intelligat autem Homeri poëſim, totiuſque illius animi habeat experientiam, diſcipulum Homeri fuiſſe.* Figura quoque, atque oris lineamenta noſtri Socratis ſimilia omnino illorum ſunt, quae in ceteris eiuſdem imaginibus, de quibus copioſe Tom. I. huius Operis actum fuit, cernuntur. Sedet autem ſub porticu palliatus Socrates, quod Philoſophi ſub porticibus Athenis diſputarent: Poſtremo Philoſophiam eſſe, quae cum Socrate ſermonem habere videtur, cum ex pallio, quo tegitur, tum ex ara, cui incumbit, quaſi philoſophicae virtutis firmitatem oſtendat, colligimus.



EXPLI-



EXPLICATIO
TAB. XXIX.

QUum ſacra aedes S. Euſtachii Romae reſtitueretur, eo loco, quo magnifica, atque elegantiſſima eius aedis ara maxima conſtituta; Nerei Corſinii S. R. E. Cardinalis, filiique fratris Clementis XII. Pont. Max. liberalitate fuit, praeclarus Sarcophagus, cuius aere inciſum exemplum hoc numero XXIX. exhibetur, effoſſus eſt. Endymionis in antica illius facie fabula exprimitur, de qua alibi copioſe diximus.

Principio Diana Lucifera, ideſt Luna ex curru deſcendens Endymionem dormientem intuetur; tum iter coeptum eodem curru vecta pergit. Huc atque illuc complures alati pueri, quorum unus utraque manu, alius ſiniſtra faculam tenet, circumvolare, geſtireque videntur. Hi ſigna, atque imagines fortaſſe ſtellarum ſunt. Dimidiatae autem icones mulierum, quarum una currui ſolo inſiſtenti imminet, altera per aëra vectum currum ſubſequitur, Venerem errantem ſtellam indicant, quae, ut ait Cicero (*a*), *graece* Φωσφόρος, *latine LUCIFER dicitur cum antegreditur ſolem, cum ſubſequitur autem HESPERUS*.

Rupes, ibique aſſidens cuſtos, mulguſque caprarum deſignant Latmium montem, in quo ſopitus perpetuo Endymion cubabat, ac tempus, quo hunc Luna inviſere conſueſcebat, *iam tenebris, & ſole cadente* (*b*), aut *ſurgente die*, ſcilicet cum Luna iiſdem ſpatiis circum terram fertur, eodemque modo oritur, & occidit. In Sarcophago ſervato in hortis Iuſtinianis, atque a Ioachimo Sandrartio (*c*), & a Gronovio (*d*) vulgato, magna ex parte non ſecus ac in noſtro haec exhibetur Endymionis fabula. Quod vero ad eam pertinet huius

(*a*) *De nat. Deor.* lib. II. cap. 20.
(*b*) Virgil. *Georg.* lib. III. verſ. 400. & 401.
(*c*) Pag. 52. edit. Norimb. 1680.
(*d*) *Antiq. Graec.* Tom. I. Tab. 3.

huius noſtri anaglyphi partem, quam diximus montem Latmium repraeſentare, iuvat animadvertere, quod anaglyphum affabre, Graecoque artificio factum, in quo collis cum rupibus, inque extremo colle caprimulgus conſpicitur, Eques Petrus Leo Ghezzius diligentiſſimus Pictor, inque cognoſcendis, declarandiſque veteribus monumentis maiorem in modum verſatus, anno 1728. aere incidendum curavit, ac deinde tum ipſum marmor, tum inciſam aeream tabulam Cardinali de Polignac dono dedit cum hac inſcriptione: *Vetus anaglyphum periti Graeci artificis manu, ſalino marmori inciſum, caprimulgum ſub frondoſae arboris tegmine ad collis planitiem conſidentem repraeſentans, qui verno tempore ex duabus in collis dorſo florentes herbas, arboriſque ramuſcula depaſcentibus capris, obvolutiſque in linteolo arboris ramento appenſo duobus recenter natis hoedis, dextra ſitulam lacte plenam collis ſcopulo deponens, laevum caprae emulſae cruris latus leviter ſiniſtra pertingens. Petrus Leo Ghezzi aere incidi curavit anno* 1728. Eſt autem huius noſtri Capitolini Sarcophagi ſculptura tam ſimilis, ut illud ſibi, veluti aliquod praeſtantiſſimum exemplar, Sculptor noſter ad imitandum ſibi propoſuiſſe videatur.

Operculum quoque huius Sarcophagi anaglyphis omnino quinque ornatur. In horum primo Parcas ſtamen vitae humanae nentes, quarum una Lacheſis illud recidat, repraeſentari, antiquitatum Capitolinarum Indicis, ſeu Catalogi auctor ſcribit. At vero indiligenter, atque confuſe. Nam quinque ſunt, ut vides, imagines, quarum duae utrimque ſtatura parva pronis genibus, una viri, altera feminae; tres vero ſtantes, quarum una net, alia volumen utraque manu explicatum retinet, tertia, eaque media, capite diademate ornato, ſiniſtra ſuſtentat cornucopiae, dextera manu bilancem.

Prioribus iis duabus imaginibus ſtatura parva, exprimi cenſeo virum, huiuſque uxorem, quibus conſtitutus Sarcophagus fuit, Parcis ſupplices, ut ſecundos ſibi tribuere exitus, ſortemque felicem vellent. Nam Parcas equidem eſſe tres illas ſtantes intelligo. Tradit enim Martianus (*a*) munia Parcarum fuiſſe, ſcribere, ſervareque decreta Iovis. Quare appoſite volumen explicatum, bilanx, cornucopiae, ſtaminiſque filum exhibentur; quod cuique, ex ſententia Iovis, aut ſupplicium, aut praemium, exitumque Parcae decernerent. Nae nentem illam eſſe imaginem Parcae, qui neget, futurum arbitror neminem. Satis enim explicate a Mythologis memoriae proditum eſt, unam Parcarum aptaſſe colo ſtamina, aliam neviſſe, tertiam recidiſſe: ſtamina, inquam, candida, atque argentea, ſi felix; fuſca vero, atque ferruginea, ſi infelix, atque aerumnoſa futura vita eſſet: atque ob hanc cauſſam Lanificas a Poëtis appellari Parcas conſueviſſe (*b*). Satis quoque conſtat, Parcas aetate ſenili, ut in noſtro anaglypho, & undique veſtibus amictas repraeſentari; contra vero nudas cum Horas, tum Gratias (*c*).

Et quoniam fuerunt, qui Parcas in throno aequalibus ſpatiis aſſidentes, veſte alba indutas, atque coronatas fingerent, quarum Lacheſis praeterita,

(*a*) *De nupt. Philolog.* lib. I. pag. 21. edit. Lugdun. 1539.

(*b*) Martial. lib. IV. ep. 54. verſ. 5.

(*c*) Artemid. *Oneir.* lib. II. cap. 49., Catull. carm. 64. verſ. 307. &c.

terita, Clotho praeſentia, Atropos futura caneret, colligi inde poſſet, explicato volumine praeterita, bilance & cornucopiae praeſentia, digitiſque ſubacto ſtamine futura indicari. Ex aliis etiam vetuſtis monumentis cognoſci declararique planius poteſt, Parcas eſſe, quae volumen, & quae bilancem & cornucopiae tenet. Eſt apud Gruterum mulieris undique veſte amictae pedibus rotam prementis ſimulacrum ex marmore, brachiis quidem quo tempore a Boiſſardo (*a*), cuius exemplum Gruterus (*b*) in ſuum opus tranſtulit, delineatum fuit, aliqua ex parte, ſed non ante id tempus, fractis; nam, oculato teſte Pighio, volumen explicatum, ut in noſtro anaglypho videmus, utraque manu tenebat. Haec unius imago eſt Parcae, ut clare ex inſcriptione conſtat, quae eſt huiuſmodi: FATIS CAECILIVS FEROX FILIVS. Praeterea nummi exſtant pene ſingulares duo, unus Diocletiani, alter Maximiani, in quorum poſtica feminae undique veſtibus obtectae tres, & unaquaeque earum brachio cornucopiae complectens, circumque inſcriptum: FATIS VICTRICIBVS. Fata igitur tria, quae aut ipſae Parcae erant (*c*), aut Parcae trium Fatorum, quod Fatorum eſſent arbitrae; ſpeciem praeſeferebant. Hunc Diocletiani nummum in Muſeo Leopoldi Medicei Cardinalis tunc ſervatum primus omnium Spanhemius (*d*) vulgavit: Maximiani vero tunc ſervatum in Muſeo domini de Monieux, quo deinde Muſeo Rex Chriſtianiſſimus potitus eſt, Morellius (*e*). De duobus hiſce nummis copioſe quidem, ſed imperite, ut demonſtratum a Sigiſmundo Liebeo (*f*) fuit, Bandurius egit. Atque is ſane Liebeus aequalem nummum Diocletiani, quem in Muſeo Friderici II. Saxoniae Ducis comperit, delineandum accuratius, quam delineatum iuſſu Spanhemii fuerat, aereque incidendum curavit. Iis numiſmatibus ornatam huiuſce lucubrationis frontem reperies. Varias autem, interque ſe diſcrepantes de cauſſa, ob quam cuſi hi nummi fuerint, doctiſſimorum virorum opiniones eſſe intelligo. Nam indicari allatam a Diocletiano, atque a Maximiano, ut hi ſe iactabant, qua late patebat Romanum imperium, perniciem religioni Chriſtianorum, Spanhemius putavit. Morellius vero, abdicatum ab iis ultro quidem, ut videbatur (*g*), re autem vera invitis animis, imperium fuiſſe. Demum Liebeus, templum trium Fatorum Romae, Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, conſtitutum. Ac ſane tunc temporis hoc templum conſtitutum fuiſſe ex eo ſuadetur, quod S. Cyprianus (*h*), poſterioreſque Scriptores, non autem Tertullianus (*i*), qui ante id tempus vixit, hoc templum memorant. At haec quaſi per tranſennam diximus. Illud apte ad rem, noſtraſque imagines animadvertendum eſſe adſero, non temere me ſcripſiſſe, imaginem fortaſſe Parcae illam eſſe, quae bilancem & cornucopiae, inſignia Fortunae, tenet.

(*a*) *Antiquit.* Par. III. pag.48.
(*b*) *Inſcript.* pag. 304. num. 9.
(*c*) Vid. Fulgent. *Mytholog.* lib. I. cap. 7.; Procop. *de bell. Goth.* lib. I. cap. 25. pag. 375. edit. Pariſ. ex typogr. Reg.
(*d*) *De praeſt. , & uſu numiſm.* Diſſert. 13. §. 9. Tom. II. pag. 639.
(*e*) *Specimen rei nummariae* pag.81.
(*f*) *Gotha numaria* cap.3. pag.75.
(*g*) Vid. Auctor. *de mort. perſec.* cap. 18.
(*h*) Ep.20. pag. 29. edit. typograph. Reg. Pariſ.
(*i*) *Apolog.* cap.25. pag. 59. edit. Pamel. an. 1616.

In ſecundo operculi anaglypho unum feminae ſimulacrum pallio oblongo etiam ſummo capite tecto , dextera manu , more quidpiam aientis , pectori adiuncta , altera deorſum pendente . Etſi rotam , quae proprium Nemeſis inſigne eſt , hoc loco inſculptam non video , tamen huius eſſe Deae , de qua alibi diximus , ſimulacrum cenſeo . Teleſphorum *convaleſcentiae* Numen viſum eſt auctori Indicis Muſei Capitolini . At ego ita expreſſum Teleſphorum numquam vidi ; effingebant enim eum ut puerum cum penula cucullata . Miror equidem editum toties huiuſmodi Indicem fuiſſe , correctum numquam .

Tertium , illudque medium operculi anaglyphum figuris , ac ſignis ornatius , latius patet . Pluto , atque Proſerpina , *Dii* , ut ait Virgilius (*a*) , *quibus imperium animarum* , haſtam , ſceptrum iampridem Regum , tenentes in throno conſidunt . Pluto rerum terrenarum praeſes *ſceptrum* , ut ait Fulgentius (*b*) , *in manu geſtat* , *quod regna ſolis competant terris* . Sed Pindarus ſcribit (*c*) , Plutonem virgam in manu geſtare , ut hac ad ſua regna animas mortuorum deducat . Aeque Proſerpina ſceptrum retinet , quod a Plutone rapta imperii conſors dicta ſit . Quare illam Pluto apud Claudianum (*d*) ſic alloquitur :

Sub tua purpurei venient veſtigia Reges
Depoſito luxu , turba cum paupere miſti .
Omnia mors aequat : tu damnatura nocentes ,
Tu requiem latura piis .

Proprio autem vocabulo Δέσποινα a Graecis (*e*) , & a Latinis *Domina* Proſerpina appellata eſt , quia in unumquemque hominum vitae , neciſque habebat poteſtatem . Itaque Ovidius inquit (*f*) :

Perſephone noſtras pulſat acerba fores ;

& Tibullus (*g*) :

At mihi Perſephone nigram denunciat horam ;

& Horatius (*h*) :

Miſta ſenum , ac iuvenum denſantur funera : nullum
Saeva caput Proſerpina fugit ;

quo loco Horatius videtur alludere ad eorum ſuperſtitionem , qui Proſerpinam recidere ſolitam capillos morituris putabant , unde etiam illud Virgilii de nece Didonis (*i*) :

Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat ;

& Statius de Glaucia ſcripſit (*k*) :

Iam complexa manu crinem tenet infera Iuno .

Proxi-

(*a*) *Aeneid.* lib. VI. verſ. 264.
(*b*) *Mytholog.* lib. I. cap. 4.
(*c*) *Olymp.* od. 9. verſ. 50. &c.
(*d*) *De rapt Proſerp.* lib. II. verſ. 300.
(*e*) Vid. Pauſan. *Arcad.* lib. VIII. cap. 27. 35. & 37.
(*f*) Ovid. *Heroid.* ep. 21. v. 46.
(*g*) Lib. III. eleg. 5. verſ. 5.
(*h*) *Carm.* lib. I. od. 28. verſ. 19.
(*i*) *Aeneid.* lib. IV. verſ. 698.
(*k*) *Silvar.* lib. II. carm. I. v. 147.

Proximus eſt Plutoni canis cuſtos inferorum Cerberus (*a*),

Cui tres ſunt linguae, tergeminumque caput,

ut plerumque a Poëtis, & a Mythologis deſcribitur, utque in vetuſtis monumentis exprimitur. Sed illi fuiſſe capita quinquaginta Heſiodus, centum vero Iſaacius Tzetzius in Caſſandram Lycophronis, & Horatius produnt. Is enim hoc modo loquitur (*b*):

Demittit atras bellua centiceps
Aures . . . . . .

Prope Cerberum eſt ara rotunda cum igne; prope Proſerpinam alatus puer, tum tripus item cum igne. Hic puer manibus caniſtrum rotundum geſtat thure fortaſſis refertum, ita ut ei aptari poſſit illud Virgilii (*c*):

Et plena ſupplex veneratur acerra.

Genium autem eſſe puto, & pietatem indicare viri uxoriſque in eo Sarcophago conditorum. Neque vero inconſulto poſt thronum horum infernorum Numinum, quaſi porta inſculpta fuit. Nam a Proſerpina opportune foribus ſuis nomina morientium inſcribi conſueviſſe ethnici crediderunt. Quare Statius (*d*):

Nec dum illum aut trunca luſtraverat obvia taxo
Eumenis, aut furvo Proſerpina poſte notarat.

Etiam in anaglypho, quod Oſtiae in aedibus Epiſcopi ſervabatur, & mox in Muſeum Vaticanum translatum eſt, Pluto ac Proſerpina conſidentes in throno cernuntur. Sed confuſe delineatum, aereque infabre inciſum vulgatum, ac inſcite inepteque explicatum a Vulpio fuit (*e*). Quid? Cerberum is tricipitem canem, aquilam alas extendentem dixit.

Unus Mercurius galero capite tecto, pedibus alatis, ſiniſtra caduceum, dexteraque virgam tenens in quarto operculi anaglypho inſculptus eſt. Hac virga deductas ab illo animas ad inferos, indeque iam expiatas reductas miſſaſque in Elyſios campos fuiſſe, Poëtae fabulati ſunt. Quamobrem cum horrida, tum aurea virga appellata ab Horatio fuit (*f*).

In quinto, eoque poſtremo operculi anaglypho lectulum vides ſimilem illius, quem nos *canapè* dicimus, inque lectulo virum ac mulierem conſidere, coniugum fortaſſe, ut diximus, eo in Sarcophago incluſorum imagines: deinde eoſdem intuentem canem, exacte ad morem herorum, qui aedium cuſtodes canes habent. Nonnulli ſic ſuos amabant canes, ut illos in ſuis ſepulcris inſculpi vellent; uti Trimalcion apud Petronium (*g*): *Valde te* [pictorem] inquit, *rogo, ut ſecundum pedes ſtatuae meae catellam pingas . . . . ut mihi contingat tuo beneficio poſt mortem vivere*. Sed hoc loco, ut eſſe veriſimilius arbitror, fuiſſe ab iis coniugibus ſancte ſervatam

 fidem,

(*a*) Tibull. lib. III. eleg. 4. verſ. 58.
(*b*) *Carm.* lib. II. od. 13. verſ. 34.
(*c*) *Aeneid.* lib. V. verſ. 745.
(*d*) *Theb.* lib. VIII. verſ. 9.
(*e*) *Vetus Latium* Tom. VI. Tab. II.
(*f*) Vid. *Carm.* lib. I. od. 24. v. 15., & od. 10. verſ. 17. eiuſdem lib.
(*g*) *Satyr.* cap. 71. pag. 352. edit. Petri Burmanni.

fidem, canis indicat; quod canes perpetuo dicantur *fideles*, & ſint, ut illos Horatius (*a*) imprimis vocat, utque ex multis mirabilibus exemplis, quae apud Aelianum (*b*), Plinium (*c*), Solinum (*d*), alioſque complures non veteres modo, ſed etiam novos Scriptores leguntur, perſpicuum cuique eſſe poteſt. Demum apte quidem ad rem ab Athenaeo (*e*) φυλακτικὸν τοῦ τῶν εὐδρώντων βίου *cuſtos vitae bonorum* canis dicitur, tales enim fuiſſe coniuges in hoc Sarcophago conditos clare colligitur ex iis, quae in anaglyphis hunc eorum Sarcophagum exornantibus exprimuntur.

(*a*) *Carm.* lib. I. od.1. verſ.27.
(*b*) *De nat. anim.* lib.I. cap.8., lib.VI c 25. & 62., lib.VII. cap.10., lib.XII. c.35., & alibi.
(*c*) *Hiſt. nat.* lib. VIII. cap.40.
(*d*) *Polihyſtor.* cap. 15.
(*e*) *Deipnoſoph.* lib. XIII. cap.9. pag.611.

EXPLI-



Io. Cassini In.

EXPLICATIO

TAB. XXX.

QUA mente, quo conſilio quatuor Deorum ſymbola in hoc zophoro artifex expreſſerit, ipſoſque Deos una ſimul coniunxerit, divinare quidem poſſum, non autem affirmare. Num quia huius zophori ſigilla hiſce quatuor Diis commune, ac dicatum delubrum quondam exornabant? Satis enim aperte ex antiquis Scriptoribus colligitur, quod plures Dii ob quamdam poteſtatis, vel officii ſimilitudinem, & coniunctionem, tamquam ſocii, comites, & cognati uno eodemque colerentur in templo, qui ea de cauſſa σύνναοι, ὁμόναοι, συνέστιοι ἱερῶν, σύνοικοι, ὁμότοιχοι a Graecis, uno autem verbo *contubernales* a Latinis dicebantur: quod etiam veteres inſcriptiones confirmant, ut fuſe, & late demonſtrat Georgius d' Arnaud in ſuo erudito commentario *de Diis* παρέδροις (*a*). Quoniam vero in Diis ſociandis, coniungendiſque aliqua ſemper ſuberat occulta aut ex mythica, aut ex morali, aut ex phyſica ethnicorum doctrina petita ratio, non abs re forſan videri poſſit, ſi haec ipſa quatuor Deorum ſymbola ad phyſicum ſenſum deducentes quatuor anni tempora, quod multis placet, dicamus exprimere. Itaque ver in Mercurio, hiems in Diana, autumnus in Baccho, aeſtas in Apolline deſignetur. Ac plane quod ad Dianam, Bacchum, & Apollinem ſpectat, nulla plane eſt difficultas; nam hibernae venationis Diana, autumnalis vindemiae Bacchus, aeſtivae meſſis Apollo, quem ipſum eſſe ſolem conſtat, recordationem ſtatim ingerunt intuenti: quare in uno Mercurio laborandum videtur, ut ad ver ſignificandum non admodum invitus pertrahatur. Ver ex multarum gentium placito & conſenſu anni eſt initium, & ut cum Cicerone

(*a*) Apud Polenum *Suppl. antiq.* Tom. II. pag. 746.

cerone (*a*) loquar, *tamquam adoleſcentiam ſignificat, oſtenditque fructus futuros.* At Mercurius nullo fuco, nullo comptu ornatus adoleſcens, hilari ſemper vultu, & acribus oculis paſſim exhibetur, formoſo iuveni omnino ſimilis:

> Πρῶτον ὑπηνήτῃ, τοῦπερ χαριεστάτη ἥβη,
>
> *Primum pubeſcenti, cuius gratiſſima pubertas,*

ut de eo cecinit Homerus (*b*). Hinc cum Venere, quae primo vere *genitalia ſemina ſolvit*, σύνθρονον, & ſocius Deus habitus eſt, & Gratiarum, & Iuventae comes additus: quod paucis verſibus expreſſit Horatius ſic ad Venerem ipſam loquens (*c*):

> *Fervidus tecum puer, & ſolutis*
> *Gratiae zonis, properentque Nymphae,*
> *Et parum comis ſite te Iuventa*
> *Mercuriuſque.*

Atque eamdem plane poteſtatem Mercurio, & Veneri aliquando tribuiſſe veteres teſtantur Hermae virilibus erectis, & quadrata figura vulgo formatae; nam vim ſeminalem virilia, & quadrata figura *vel totidem mundi plagas, vel quatuor vices temporum, quibus annus includitur* in Mercurio ſignificabant, ut declarat Macrobius (*d*), in quo contendit Mercurii Numen non eſſe aliud quam ſolem. Sed & illud iuvare coniecturam poteſt, quod ſicuti ver eſt quoddam medium inter hiemem, & aeſtatem temperamentum, ſic Mercurius medium quoddam erat Numen inter Deos, & homines conſtitutum, cuius ope & miniſterio humanae preces in caelum, & divina beneficia in terram deferebantur. Ille enim Deorum erat nuncius, qui non ſolum divina humanis, & ima ſummis quodammodo coniungeret, ſed Deos ipſos ſuperos & inferos concordiae, & pacis vinculo alligatos, & unius eſſe voluntatis oſtenderet: quod viſus eſt Claudianus innuere (*e*) dicens;

> *Atlantis Tegeaee nepos, commune profundis*
> *Et Superis Numen, qui fas per limen utrumque*
> *Solus habes, geminoque facis commercia mundo.*

Sed plura, quae ex magis reconditis Mythologiae myſteriis, & ex ipſius Mercurii officiis attentius conſideratis depromi poſſent, abſtineo dicere, ne pro re certa videar pugnare. Si cui vero haec nullatenus arrideant, is tamen intelligat velim, non uno eodemque modo ſemper horas, & anni tempora repraeſentaſſe veteres, ſed varie ſaepe luſiſſe, & unos alteroſque Deos ad hoc argumenti genus deſignandum adhibuiſſe, ut fidem facit Dionyſiacum vas a Pighio illuſtratum (*f*), in quo ver in Venere, aeſtas in Pane, in Libero patre autumnus, & in Libera Dea hiems denotatur: unde etiam Mercurio per me ſuus eſſe poſſit locus. Sed haec coniecturas ſequens dicebam, ut Deorum coniunctionem in hoc anaglypho expreſſam declararem. Ceterum, ut mea eſt opinio, tota marmoris ſpecies, & rerum, quae in eo cernuntur, apparatus nihil aliud quam Deorum pompam repraeſentant. Quippe haud aliter quam hic videmus, ſtata ac ſolemni feſtorum die in eius generis vehicu-

(*a*) *De ſeneſt.* cap.19. ſect.70.
(*b*) *Iliad.* lib. XXIV. v. 347.
(*c*) *Carm.* lib I. od.30. v. 5.
(*d*) *Saturnal.* lib. I. cap.19.
(*e*) *De rapt. Proſerp.* lib.I. v. 85.
(*f*) Apud Graevium *Antiqu. Graec.* Tom.IX. pag 1189.

vehiculis ſimulacra Deorum, vel quae iis alioquin eſſent ſacra, hoc eſt inſtrumenta, vaſa, inſignia, & alia, in publicis pompis geſtari conſueverant. Ita in Panathenaeis Minervae peplus, in Dionyſiacis Bacchi ciſta, & phalli, in Cybeles ſacris pinus, in Cerealibus calathus circumferebantur: quod Athenaeus, Bacchi pompam a Ptolemaeo Philadelpho immenſo ſumptu paratam, & celebratam deſcribens, ſic paucis concluſit (*a*): Μετὰ δὲ ταύτας αἱ τῶν Θεῶν ἁπάντων οἰκείαν ἔχουσαι τῆς περὶ ἑκάστων αὐτῶν ἱστορίας διασκευὴν, *poſtea ſequebantur Deorum omnium pompae, ut uniuſcuiuſque illorum hiſtoriae conveniens erat, proprio ornatu.*

Quatuor currus, qui quatuor Deorum ſymbolis onuſti ſpectantur, nihil inter ſe differunt. Plauſtra dicerem, ἁμάξας graece, ſi onera in ipſis congeſta tantum conſiderarem, nam Iſidoro teſte (*b*), *plauſtrum eſt vehiculum duarum rotarum, quibus onera deferuntur.* Attamen memini plauſtris non fuiſſe rotas radiatas, ſed tympana cohaerentia axi, cuiuſmodi ſunt alicubi etiam nunc rudiora quaedam vehicula ad immenſi ponderis inſtrumenta comportanda apta, & accommodata. Itaque currus, vel bigas nominabo; nam bigae, quas συνωρίδας Graeci dixerunt, erant currus duabus rotis muniti, qui a totidem equis, vel alterius generis animalibus inter ſe iunctis trahebantur. Nec forma plane diſcordat a bigis, quibus tum Graecos cum Latinos in ludis Circenſibus, & Olympicis uſos eſſe paſſim declarant nummi, marmora, & ſcalpturae, ut videre eſt, ne plures auctores memorem, apud Panvinium *de lud. Circ.* At vero primam bigam eſſe ſacram Mercurio demonſtrant primo iuncti arietes; & eum pecudum, & armentorum praeſidem Deum fuiſſe praeter ceteros Scriptores appoſite monet Pauſanias dicens (*c*): Ἐπὶ Λεχαίῳ χαλκοῦς καθήμενός ἐστιν Ἑρμῆς· παρέστηκε δὲ ὁ κριὸς, ὅτι Ἑρμῆς μάλιστα δοκεῖ ἐφορᾶν, καὶ αὔξειν ποίμνας, *in Lechaeo Mercurius ex aere ſedens viſitur, cui adſiſtit aries; quod unus prae ceteris Mercurius greges tueri, & augere exiſtimatur.* Atque ea de cauſſa in Oechaliae ſilva, ut idem Pauſanias eſt auctor (*d*), Mercurius erat φέρων κριὸν, *arietem portans*, unde κριοφόρον a Tanagraeis eum eſſe dictum teſtatur (*e*). Ceterum Mercurium cum ariete paſſim exhibent antiqua monumenta, ut alibi innuimus. Praeterea Arnobius tradit (*f*) capro eidem Mercurio litari ſolitum inquiens: *quem patri ſolemne eſt Libero, Mercurioque mactari.* Imberbis puer, qui pone arietes quaſi clanculum, oculis patentibus, & micantibus, exerit caput, Genius Mercurialis eſt, qui vel paſtorem Deum innuens curam, & vigilantiam in paſcendis gregibus ſuadet, vel mercatorum, & latronum praeſidem demonſtrans induſtriam, & omne aſtutiae genus ad comparandas divitias commendat, quae potiſſimum ex ovium mercatura, & lanificio promanant; unde illud Plauti (*g*):

Cum bene re geſta ſalvus convertor domum,
Neptuno grates habeo, & tempeſtatibus,
Simul Mercurio, qui me in mercimoniis
Iuvit, lucriſque quadruplicavit rem meam.

Genius

(*a*) *Deipnoſoph.* lib. v. cap. 7. pag. 197.
(*b*) *Origin.* lib. xx. cap. 12.
(*c*) *Corinthiac.* lib. II. cap. 7. pag. 117.
(*d*) *Meſſen.* lib. IV. cap. 33. pag. 362.
(*e*) *Boeot.* lib. IX. cap. 22. pag. 752.
(*f*) *Adv. gent.* lib. VIII. cap. 8.
(*g*) *Stich.* Act. III. ſc. I. v. 1. & ſeq.

Genius autem alatus leviter inſidens dextero arieti, ac ſuaviter bigam taeniolis, pro habenis, regens, idipſum fortaſſe inſinuat, quod agit, leniter nimirum eſſe tractandas oves, & multa arte, & patientia ex eis parandum eſſe quaeſtum. At alter Genius item alatus; qui poſt currum, & currum ipſum quaſi conſcenſurus uno tantum pede humi inſiſtit, facem dextrâ ſuſtinens manu, ad varia Mercurii officia ſignificanda deflecti poteſt; nam eo ſtatu vel mercatorum vigilantiam iterum commendat, quibus nec die nec nocte licet eſſe deſides & pigros, nec ullo tempore parcendum eſt laboribus: vel ſomniorum occultam vim deſignat, quae Mercurius credebatur immittere, quod & ſomnia nuncii haberentur Deorum, ut tradit Phornutus (*a*) ὀνείρους ἐπιπέμπειν ἔδοξε .... θεῶν, τ' ἄγγελοι ὄνειροι: vel tandem Mercurii planetam indicat, quem motuum varietate, & tergiverſatione homines verſutos, & ad omnem calliditatem promptos, & expeditos reddere autumabant. Supra currum primo eminet caduceus eleganter expreſſus, de cuius virtute ceciniſſe Virgilium noſti (*b*). Deinde proſtat olla Mercurio potiſſimum conſecrata; nam quamvis aliis Diis offerrentur ollae variis oblationibus plenae, ut diſerte tradit Antonius Van-Dale (*c*), id tamen proprius obſervari ſolitum in Mercuriorum dedicationibus docet Ariſtophanes (*d*):

Xo. Ἄγε δὲ τί νῶϊν ἐντευθενὶ ποιητέον;
Tρ. Τί δ' ἄλλον, ἢ ταύτην χύτραις ἱδρυτέον,
Xo. Χύτραισιν; ὥσπερ μεμφόμενον Ἑρμίδιον;
Ch. *Age quid iam deinceps faciendum eſt?*
Tr. *Quid aliud quam illam conſecrantes ollis ſtatuere?*
Ch. *Olliſne? tamquam vilem quemdam Mercuriolum?*

Ad quae verba Scholiaſtes: Ὅτε μὲν ταῖς χύτραις ὄσπρια ἧψον, ὅτε δὲ ἄλλοτι πολυτελέστερον ἱερεῖον, *aliquando ollis coquebant legumina, aliquando vero quid pretioſius litantes offerebant*. At vero ollas ipſas capiti impoſitas a feminis vario ornatu diſtinctas circumferri in ſacris moris fuiſſe, teſtis eſt idem Poëta (*e*). Galerus tandem, vel petaſus ſpectatur, qualis in ſimulacris Mercurialibus perſaepe occurrit, qui pinnatus eſt, perinde ac ſupra caduceus, ad Numinis velocitatem in ferendis Deorum nunciis connotandam. Sed illud admonebo, galerum hic galeae quamdam ſpeciem exhibere, quod ſententiam eorum confirmat, qui Mercurio galeam pro pileo tribuunt, & Pauſaniam illuſtrat (*f*), qui ait eſſe Mercurium *galea caput armatum*. Sed & ſi audiendus Suidas, galea aliquando dictus eſt petaſus; ait enim in voce κυνῆ: Κυνῆ δὲ ὅτι ἔχει περικεφαλαίαν τὸν πέτασον, ὡς ὁ Ἑρμῆς, ἄγγελος ὤν· καὶ οἱ Πέλοπες δὲ κυνῆν τὸν πέτασον φασί. *Galea vero dixit, quia* Iris *habebat petaſum pro galea, ut Mercurius, qui Deorum erat nuncius. Quin etiam Peloponneſii galeam petaſum vocant*. Galeam vero, aut galeae ſimilem hic eſſe petaſum etiam ſubtus pendens ἱμὰς *corrigia* apertius demonſtrat, qua ſub mento galea ipſa religari ſolebat, ut inſigni loco docet Homerus (*g*) de Paride, quem Hector iratus arreptum poſt ſe trahebat, ſic dicens:

Ἄγχε

(*a*) *De nat. Deor.* cap. 16.
(*b*) *Aeneid* lib. IV. verſ. 242.
(*c*) *Schediaſm. de conſecr. ethnic. &c.*
(*d*) *In Pace* verſ. 921.
(*e*) *In Pluto* verſ. 1197.
(*f*) *Eliacor. prior.* lib. V. cap. 27. pag. 449.
(*g*) *Iliad.* lib. III. verſ. 371.

Ἄγχε δέ μιν πολύκεστος ἱμὰς ἁπαλὴν ὑπὸ δειρὴν,
Ὅς οἱ ὑπ' ἀνθερεῶνος ὀχεὺς τέτατο τρυφαλείης.
Praeſocabat autem ipſum acu pictum lorum teneram ſub gulam,
Quod ipſius ſub mento retinaculum diſtenſum erat galeae.

Bigam Dianae ſacram rite & recte duae trahunt iunctae cervae; novimus enim ex Callimacho (*a*), primam praedam, qua Dea inclaruit, fuiſſe quatuor tauris maiores cervas, quas in monte Parrhaſio errantes aſſequuta eſt. Hinc obvia eſt in nummis, & marmoribus haec Dea, modo a cervorum bigis deducta, modo vero cervos ipſos inſectans, ac cum eis ludens, ſeſeque oblectans. Cervas autem, non cervos ad Dianam vehendam proprie & vere ſub iugum immitti conſueviſſe eximium hoc marmor teſtatur, in quo cervae exhibentur ἀκέρατοι *ſine cornibus*. Nam quamvis certum ſit apud veteres Scriptores, ne Callimacho quidem excepto, τὰς ἐλάφους tam cervas, quam cervos paſſim notare, eoſque promiſcue cervis tum maribus, cum feminis cornua tribuiſſe, quod etiam plurima antiqua monumenta declarant; attamen non credo argumentum inde peti poſſe ſatis firmum ad inſimulandos omnes antiquos inſcitiae, quod cervas non eſſe cornutas ignoraverint: tum praeſertim quod Ariſtoteles (*b*), id quod nunc omnibus eſt apertum, tradat diſerte, cervas cornigeras non inveniri (*c*). Nec a noſtro quidem marmore abludit aeneum anaglyphum Muſei Herculanenſis (*d*) geminas cervas exhibens ſine cornibus. Alter Genius, qui ſuper tapete currui inſtratum ſedet, ad ea ſuſtinenda quae Dianae ſunt, eamque venationis, & noctis praeſidem declarant, appoſitus eſt. Eius ad pedes aſſurgit adiuncto arcu pharetra, ſagittis plena, recluſo operculo, quod teſte Polluce (*e*) πῶμα dixerunt Graeci. Ait enim: Φαίης δ' ἂν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ καὶ πῶμα, καὶ ἐπίθημα, οἷον πίθου, ἢ λέβητος, ἢ φαρέτρας.... Ὅμηρος δ' ἔφη· ὡς εἴ τε φαρέτρῃ πῶμ' ἐπιθείη. *Idem etiam unumque dices operculum, epithema dolii, lebetis, & pharetrae. Homerus autem inquit: veluti ſi pharetrae operculum apponeret*. Idem Genius utraque manu ſuſtinet, ac fere in complexu haeret ſigni Dianam δᾳδοῦχον *taediferam* referentis, ut quemadmodum pharetra venationis officium, ſic faces Lunaris luminis beneficia in ea demonſtrent. Iconem Dianae huic ſimilem habes in Morellio (*f*). Ac geminae quidem faces νουμηνίας *novilunii* virtutem, ut videtur, exprimunt, quod non modo a Romanis, ſed ab omnibus gentibus fuit admodum religioſe obſervatum: ita ut duplex taeda corniculatam lunae faciem denotet. Ceterum unam facem praeferens Diana obvia eſt in antiquis monumentis, & φωσφόρος *lucifera* tunc appellatur; ſed geminam oſtentans, ut plurimum Hecaten repraeſentare dicunt, quo ſtatu fingitur, & vocatur τρίμορφος *triformis*, ut videre eſt in Maffeio (*g*). Sed haec non ſatis firma eſſe oſtendunt alia monumenta, ex quibus liquet Dianam, Lunam, & Hecaten tum Poëtarum, cum opificum arbitrio varie eſſe repraeſentatam; nam Sophocles (*h*): Ἄρτεμιν Ὀρτυγίαν, ἐλαφηβόλον, ἀμφίπυρον, *Dianam Ortygiam, cervorum iaculatricem, utrimque faces tenentem* vocat,

(*a*) *Hymn. in Dian.* verſ.103.
(*b*) *De part. animal.* lib. III. cap.2.
(*c*) Vide Bochartum *Hieroz.* lib.III. cap.17., & Bonarrotum *Med. ant.* pag. 242.
(*d*) Tom. V. pag.233.
(*e*) *Onomaſt.* lib. X. cap. 51. ſegm.188.
(*f*) *Famil. Claud.* Tab.II. num.1.
(*g*) *Muſ. Rom.* pag. 41.
(*h*) *In Trachin.* verſ. 217.

quamvis Scholiaſtes ad Hecaten id referri debere moneat dicens: Ἀμφίπυρον· παρ' ὅσον ἀμφοτέραις χερσὶ δᾳδουχεῖ, ἡ αὐτὴ οὖσα τῇ Ἑκάτῃ. *Dicit* ἀμφίπυρον, *quod utraque manu facem gerat, cum eadem ſit cum Hecate*. Verum, ut ſuperius dictum eſt, Diana montana, & venatrix geminam attollens facem apparet in nummo familiae Claudiae apud Morellium, & in nummis Hadriani apud Vaillantium, & in gemma apud Winckelmannium (*a*). Bigae inſtratum tapete ad Numinis maieſtatem melius declarandam poſitum eſt: velis enim & aulaeis Deorum ſtatuae tum ob reverentiam, cum ad pompae decus ornabantur, ut ea, quae de ipſorum Deorum pulvinaribus, & lectiſterniis leguntur apud Scriptores, teſtantur.

Bacchum ſtatim manifeſtant ſub iugum iunctae pantherae, thyrſus, cantharus, ciſta myſtica, quae ſunt obvia in Bacchanalibus. Itaque brevi me expediam. Lyncibus, pantheris, tigribus deductus Bacchus obvius eſt in antiquis monumentis, ut vini potentia, Phornuto teſte (*b*), in feris moribus domandis oſtendatur. Propterea cicures, & manſuefactae hic viſuntur pantherae Genio rectore iugum trahere. Ac pantheras quidem ferocis naturae belluas vino quondam capere venatores conſueviſſe tradit Oppianus (*c*). Plauſtro inſidentem Bacchum ebriae trahunt pantherae in Sarcophago apud Gorium (*d*). Ceterum etiam contrarium vini effectum hae ferae Baccho appoſitae indicare poſſunt; ut enim ait Athenaeus (*e*): Ἀπὸ τοῦ κατὰ μέθην καταστήματος καὶ ταύρῳ παρεικάζουσιν τὸν Διόνυσον, καὶ παρδάλει, διὰ τὸ πρὸς βίαν τρέπεσθαι τοὺς ἐξοινωθέντας. *Bacchum veteres pro ebriorum ſtatu, ac moribus, quoniam ad violentiam temulentos vinum concitat, nunc cum tauro, nunc cum panthera comparant*. Vas in medio curru eminens non cantharum, non carcheſium, neque cotyliſcum eſſe dicam, quae erant Bacchi pocula, ut docet Athenaeus (*f*), ſed quae, ut gemmae & nummi, in quibus Bacchus bibax exhibetur, videntur ſuadere, utrimque anſata non erant; quare craterem potius nominabo, ingens vas vinarium, quod & in menſis apponi, & in ſolemnibus inter vaſa ſacra deferri ſolebat, ut teſtatur idem Athenaeus de pompa Ptolemaei agens (*g*): προέκειτο δὲ αὐτῶν κρατὴρ λακωνικὸς χρυσοῦς μετρητῶν δεκαπέντε; *Laconicus aureus crater, metretarum quindecim ante illum* [Bacchum] *iacebat*. Ciſta myſtica, e qua ſerpens fere elapſus prorepit, nil notius. De hoc vaſe vimineo nonnulla habes in Tom. III. huius operis (*h*); ſed quae, & quanta in Diſſertatione cl. viri Iohannis Lamii (*i*) *de ciſtis myſticis* inſcripta leguntur! Innumera ſunt veterum monumenta, & teſtimonia, quae fidem faciunt, ciſtam in ſacris & pompis cum aliorum Deorum, tum praeſertim Bacchi primum locum obtinuiſſe, eo quod arcana deridiculae religionis contineret. Gentium erga ciſtas reverentiam declarat Apuleius de pompa Iſidis (*k*) dicens: *Ferebatur ab alio ciſta ſecretorum capax, penitus celans operta magnificae religionis*: & Pſychem (*l*) inducens uberi fletu plorantem, & *per*

(*a*) Tab. XXIV.
(*b*) *De nat. Deor.* cap. 3.
(*c*) *Cyneg.* lib. IV. verſ. 228.
(*d*) *Inſcript. antiq.* Tom. III. Tab. XXVIII.
(*e*) *Deipnoſoph.* lib. II. cap. 2. pag. 38.
(*f*) Ibid. lib. V. cap. 7. pag. 198., & Pollux lib. VI. cap. 16.
(*g*) Loc. cit.
(*h*) Tab. XXIV.
(*i*) *Diſſertazioni dell' Accademia di Cortona*, Tom. I. pag. 63.
(*k*) *Metamorph.* lib. XI. pag. 373.
(*l*) Ibid. lib. VI. pag. 174.

& *per ſecreta ciſtarum deprecantem Cererem* , *ut ſubſiſtat*. Sed quae eſſent haec tam horrenda viſu , & dictu myſteria ciſtis incluſa non ſine admiratione, & riſu patefecit Clemens Alexandrinus (*a*). Anguem autem Baccho fuiſſe ſacrum praeter ceteros tradit idem Clemens (*b*), σημεῖον ὀργίων βακχικῶν ὄφις ἐςὶ τετελεσμένος , *orgiorum Bacchicorum inſigne eſt ſerpens arcano ritu conſecratus*. Cuius conſecrationis cauſſas varias recenſet Lamius (*c*) , quem a cenſura Winckelmannii facile eſt vindicare, in eo quod ciſtam cum vanno Bacchi confuderit : neque enim Lamius , ut placet Winckelmannio (*d*) , ciſtam cum λίκνῳ *vanno* , aut *ventilabro* idem plane eſſe ſtatuit , ſed quia ciſtas, vannos, calathos, caniſtros, & ſi quid aliud eſt huiuſmodi , quod ethnicorum ſacra contineret , ex viminibus contextos fuiſſe bene noverat, parum ea omnia, ſi materiam, vel officium ſpectes, inter ſe differre dixit ; & hoc aperte idem Lamius (*e*) declaravit dicens , quod feminae , quae huiuſmodi ciſtas ſolemniter deferebant, κανηφόροι, κιςοφόροι, & λικνοφόροι a Graecis vocabantur . Sed praeſtat conſulere Spanhemium (*f*), ubi de λικνοφόροις plura σοφῶς.

Appoſite gryphes bigam Apollinis trahunt. Τὰ γὰρ θηρία ταῦτα , ut verbis utar Philoſtrati (*g*) , εἶναί τε ἐν Ἰνδοῖς , καὶ ἱερὰς νομίζεσθαι τοῦ ἡλίου, τέθριππά τε αὐτῶν ὑποζευγνύναι τοῖς ἀγάλμασι τοὺς τὸν ἥλιον ἐν Ἰνδοῖς γράφοντας. *Sunt enim haec animalia in India* , *& Soli ſacra habentur* , *illorumque quadrigis ſimulacra imponunt ii*, *qui Solem inter Indos depingunt*. Sed eſſe, aut umquam fuiſſe haec animalia nemo ſanus concedet. Ego vero multa fabuloſa, quae de fabuloſis gryphibus narrantur ab Herodoto, Pauſania, Aeliano, & Plinio conſultus praetereo ; vulgata enim ſunt, & ab illuſtribus viris Bonarrotio (*h*), & Spanhemio (*i*) abunde quidem pertractata. In veteri marmore apud Sponium (*k*), Sol ad mentem Apollonii ſpectatur a quatuor gryphibus deductus; a duobus autem ſubvectum, ut hic eſt, repraeſentat ſingularis Aureliopolitarum nummus in honorem Commodi cuſus apud laudatum Bonarrotium (*l*) . At gryphem unum ad pedes Apollinis ſedentem videre eſt in Tom. III. huius Muſei (*m*), & alium Genio poëſeos adſtantem in elegantiſſima gemma cimeliarchii Regis Chriſtianiſſimi (*n*) . Obſervandum autem eſt , non temere Genium alatum , qui gryphas , ut in tribus aliis bigis arietes, cervas, pantheras regeret, hic ab artifice fuiſſe praetermiſſum ; nam ex induſtria puto id feciſſe , ut Solis velocitatem , alacritatemque ſua vi ubique pervadentem , & omnia permeantem denotaret , quam ipſi alati gryphes apertius declarant. Ut enim ſunt ex leone & aquila quaedam ad arbitrium compoſita & ficta animalia, leo vero & aquila ceteris omnibus animalibus, volucribus, atque terreſtribus antecellunt, ita ea Solis vim , & potentiam in caelo, & terra manifeſtant. Primum & maximum Apollinis inſigne citha-


(*a*) *Protrept.* pag.19. edit. Ioh. Potterii.
(*b*) Ibid. pag.11.
(*c*) Loc. cit. pag.74.
(*d*) *Monum. ant.* cap.21. §.2. pag.*66*.
(*e*) Pag. 77.
(*f*) Ad verſ.127. *hymn. in Cererem*.
(*g*) *In vita Apollonii* cap.48. pag.134. edit. Olearii.
(*h*) *Med. ant.* pag. 138.
(*i*) *De praeſt.*, *& uſu Numiſm.* Diſſert.v. §.x. Tom. I. pag. 270.
(*k*) *Miſcellan.* pag. 3.
(*l*) Loc. cit. pag.136.
(*m*) Tab. XIII.
(*n*) Apud Mariette *Pierres gravées* Tom. II. Tab. XVII.

cithara eſt, quae ſupra currum elata cernitur, χρυσέα φόρμιγξ, ut ſcite canit Pindarus (*a*), Ἀπόλλωνος, καὶ ἰοπλοκάμων σύνδικον Μοισᾶν κτέανον, *aurea cithara Apollinis, & violaceos crines habentium conveniens Muſarum poſſeſſio*, de qua cum omnes agant Scriptores, quid mihi dicendum ſumam plane neſcio; vere enim inopem me copia facit. Μουσικὸς, ait Phornutus de Apolline (*b*), καὶ κιθαριστὴς παρεισῆκται, τῷ κρούειν ἐναρμονίως πᾶν μέρος τοῦ κόσμου, καὶ συνῳδὸν αὐτὸν πᾶσι τοῖς μέρεσι ποιεῖν, *muſicum eum eſſe, & cytharoedum fingunt, quod debita menſura feriat, & regat omnes mundi partes*. Nec minus vulgata ſunt, quae de tripode μαντικῷ *divinatorio* ad citharam adpoſito dici ſolent. Is enim erat Apollinis Delphici commune ſymbolum, quo eius in divinandis futuris ſingularis poteſtas monſtrabatur. Quoniam vero nec tripus, nec oraculum ullum eſt Delphico clarius, videſis eius hiſtoriam in Diodoro Siculo (*c*). Sed de tripodum vario uſu & forma praeclare agit Sponius (*d*). Urna etiam, quae in extrema currus parte conſpicitur, ad Apollinem fatidicum referri poteſt; ſaepe enim per ſortes ex urna educendas petebantur in templo Delphico reſponſa & oracula, quae Thebas, vel Pythoniſſa declarabat. Verum ea eſt huius vaſis forma, ut melius ad urnam ſignificandam, e qua ſortes in ludis Olympicis coram Agonotheta, vel Hellanodica ab athletis educebantur, pertrahatur. Huic enim omnino ſimilis paſſim ſpectatur in nummis cum uno vel duobus palmae ramis exſtantibus, qui athletarum erant praemia. Itaque tria Apollinis ſuprema officia in quatuor ſymbolis hic congeſtis deſignantur: quemadmodum enim cithara cantorem, & tripus vatem, ſic urna *Agonium* Deum declarat. *Agonium* vero, quamquam ſciam id nominis Mercurio proprie convenire, Apollinem dico Euſtathio auctore (*e*), qui ad verſus Homeri (*f*) ſic ait: Ἀπόλλωνος δ᾽ ἐνταῦθα μέμνηται ὁ ποιητὴς διὰ τὸ δοκεῖν ἐναγώνιον εἶναι καὶ αὐτὸν ὁμοίως τῷ Ἑρμῇ. *Apollinis mentionem facit Poëta, quod videatur non ſecus ac Mercurius certaminibus praeeſſe*. Urnae agonalis uſum late deſcribit apud Lucianum Hermotimus (*g*) dicens: κάλπις ἀργυρᾶ πρόκειται ἱερὰ τοῦ Θεοῦ· ἐς ταύτην ἐμβάλλονται κλῆροι μικροὶ, ὅσον δὴ κυαμιαῖοι τὸ μέγεθος, ἐπιγεγραμμένοι, *urna argentea propoſita eſt Dei ſacra, in quam parvae, fabarum inſtar, ſortes iniiciuntur inſcriptae*.

Reſtat, ut illud moneam, huic zophoro, ut nunc viſitur in Capitolio, ex una parte additos eſſe duos leones, itemque ex alia elephantos duos, quos alati Genii moderantur; ſed haec ad parietis ſpatium aequandum recenti manu ex opere albario confecta ſunt.

(*a*) *Pyth.* od. I. verſ. 1. & ſeq.
(*b*) Cap. 32.
(*c*) *Biblioth.* lib. XVI. §. 26. Tom. II. pag. 101. edit. Weſſeling.
(*d*) *Miſcell. antiq.* ſect. III. pag. 118.
(*e*) *Comment. in Iliad.* p. 1322. edit. Rom.
(*f*) *Iliad.* lib. XXIII. v. 658.
(*g*) To. I. Opp. §. 40. p. 782. edit. Fed. Reitzii.

EXPLI-



EXPLICATIO
TAB. XXXI.

ANtii nobiliſſimi olim Volſcorum oppidi, deinde coloniae Romanorum, quo Caeſares imprimis, otiandi cauſſa, divertebant [quod ab Urbe non amplius xxx. millibus paſſuum abeſſet, longeque ceteris omnibus Italiae oppidis ad Mediterraneum mare, amoenitate, & altitudine ſitus, praeſtaret] praeter nonnulla rudera illius portus, qui nunc *Caput Antii* appellatur, unum modo ſupereſt iam celebratum nomen. Verum inibi pleraque ſaepe vetera monumenta, cum terra, aut colendorum agrorum, aut conſtruendarum aedium, aut conſulto inquirendorum eiuſmodi monumentorum, aut anguſti portus, Innocentio XII. Pont. Max. conſtituti, ab arenis, continenter aeſtu maris illatis, purgandi cauſſa, effoderetur, reperta fuiſſe accepimus: ſtatuas, vaſa, ornatus, inſcriptiones, aras. In his arae numerantur tres, quae Tabula XXXI. exhibentur, vulgataeque cum a Vulpio (*a*), tum a clariſſimo Montfauconio (*b*) fuerunt. Huic, quem poſtremo loco nominavi, non modo harum trium, ſtatim ac repertae ſunt, ſed etiam quartae ſimilis arae delineatum exemplum Fontaninius miſit. At cum in quarta unus roſtri navis cuſpis, ut in prioribus, expreſſus occurrat, quem, temere quidem, Montfauconius tridentem dixit, eam hoc loco afferre praetermiſimus. Ficoronius (*c*) quoque, ac Muratorius (*d*) quatuor haſce aras memorant. Sed is inſcriptionem poſitam eſſe Neptuno in antica unius ex iiſdem aris, aliam vero Ventis in poſtica, falſo adſerit. Nam huiuſmodi inſcriptiones in duabus aris ſeparatim exſtant.

Quo

(*a*) Tom.III. lib.IV. cap.9. Tab.XVII. p.188.
(*b*) Tom.II. Par. I. lib.III. cap. 2. Tab. LI. pag. 132.
(*c*) *Veſtigj di Roma antica* pag.55.
(*d*) *Inſcript.* pag. 148.

Quo loco fauces erant antiqui portus, effoſſae ſunt; ac ſane huiuſmodi aras in portubus ita conſtituere mos fuit, ut ex Appiano Alexandrino plane colligimus. Nam cum Caeſar Octavianus paratae contra Siciliam, Sextumque Pompeium claſſis navium luſtrationem faceret, aras ita in extremo littore collocatas fuiſſe Appianus ſcribit (*a*), ut undique mari alluerentur. En huius auctoris luculentiſſimum teſtimonium: Ἐπεὶ δ' ἕτοιμος ἦν ὁ στόλος, ἐκάθαιρεν αὐτὸν ὁ Καῖσαρ ὧδε· οἱ μὲν βωμοὶ ψαύουσι τῆς θαλάσσης, καὶ ἡ πληθὺς αὐτοὺς περιέστηκε κατὰ ναῦν μετὰ σιωπῆς βαθυτάτης· οἱ δὲ ἱερουργοὶ θύουσι μὲν ἑστῶτες ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ, καὶ τρὶς ἐπὶ σκαφῶν περιφέρουσιν ἀνὰ τὸν στόλον τὰ καθάρσια, συμπεριπλεόντων αὐτοῖς τῶν στρατηγῶν, καὶ ἐπαρωμένων ἐς τάδε τὰ καθάρσια. ἀντὶ τοῦ στόλου τὰ ἀπαίσια τραπῆναι· νείμαντες δὲ αὐτὰ, μέρος ἐς τὴν θάλασσαν ἀπορρίπτουσι, καὶ μέρος ἐς τοὺς βωμοὺς ἐπιθέντες ἅπτουσι, καὶ ὁ λεὼς ἐπευφημεῖ· οὕτω μὲν Ῥωμαῖοι τὰ ναυτικὰ καθαίρουσιν. Quod latine verſum habet hoc modo: *Abſolutam deinde claſſem luſtravit in hunc modum: altaria ſtant in extremo littore, undis attingentibus: naves plenae claſſiariis ordine circumſtant cum altiſſimo ſilentio: ſacrifici ſtando in mari mactant victimas, moxque in ſcaphis ter circum claſſem luſtramina circumferunt, navigantibus una & ducibus, comprecantibuſque ut in ea luſtramina a claſſe avertantur infauſta omnia: diviſis deinde luſtralibus viſceribus, partem in mare porriciunt, partem adolent in altaribus, fauſta ominante multitudine. Hoc modo Romani claſſes ſuas luſtrare ſolent.*

Animadvertendum autem eſt, huiuſmodi ritum porriciendorum in mare extorum victimarum Diis maris immolatarum, de quo Cleanthes apud Virgilium dicit (*b*):

> . . . . *extaque ſalſos*
> *Porriciam in fluctus*;

& Silius Italicus (*c*):

> *Cui numen pelagi placaverat hoſtia taurus*
> *Iactaque caeruleis innabant fluctibus exta*;

ita ſervatum fuiſſe, ut altera pars tantum in mare porriceretur, altera vero pars in aris cremaretur. Itaque Antii navigantes nautaeque hiſce aris, de quibus egimus, cum ſolverent, aut reverterentur, ad ſacrificia utebantur. Sic Anchiſes, antequam in Cretam inſulam navigaret, quo ſe a fato arceſſiri exiſtimabat (*d*)

> . . . . *meritos aris mactavit honores*,
> *Taurum Neptuno*, *taurum tibi*, *pulcher Apollo*,
> *Nigram hiemi pecudem*, *zephyris felicibus albam*.

Quod vero Romani quoque claſſium ducibus, cum navibus a portu ſolverent, ſacrificia Numinibus maris facere conſueſcerent, M. Tullius Cicero (*e*) teſtatur. *Noſtri quidem duces*, inquit, *mare ingredientes immolare hoſtias fluctibus conſueverant*. Quare Scipio in Africam, ut Carthaginis imperio potiretur, navigatu-

(*a*) *De bell. civil.* lib. I. pag. 1151. edit. Amſtelodami anno 1670.
(*b*) *Aeneid.* lib. v. verſ. 237.
(*c*) *Punicor.* lib. XVII. v. 50.
(*d*) Virgil. *Aeneid.* lib. III. verſ. 118.
(*e*) *De nat. Deor.* lib. III. cap. 20. ſect. 51.

vigaturus iiſdem Numinibus ſacrum fecit. *Ubi illuxit*, inquit T. Livius (*a*), *Scipio e praetoria nave, ſilentio per praeconem facto*: DII, DEAEQUE, *inquit*, QUI MARIA, TERRASQUE COLITIS, VOS PRECOR, QUAESOQUE, QUAE IN MEO IMPERIO GESTA SUNT, GERUNTUR, POSTQUE GERENTUR, EA MIHI, POPULO, PLEBIQUE ROMANAE, SOCIIS, NOMINIQUE LATINO, QUI POPULI ROMANI, QUIQUE MEAM SECTAM, IMPERIUM, AUSPICIUMQUE, TERRA, MARI, AMNIBUSQUE SEQUUNTUR, BENE VERRUNCENT, EAQUE VOS OMNIA BENE IUVETIS: BONIS AUCTIBUS AUXITIS: SALVOS, INCOLUMESQUE, VICTIS PERDUELLIBUS, VICTORES SPOLIIS DECORATOS, PRAEDA ONUSTOS TRIUMPHANTESQUE, MECUM DOMOS REDUCES SISTATIS: INIMICORUM HOSTIUMQUE ULCISCENDORUM COPIAM FAXITIS, QUAEQUE POPULUS CARTHAGINIENSIS IN CIVITATEM NOSTRAM FACERE MOLITUS EST, EA UT MIHI POPULOQUE ROMANO IN CIVITATEM CARTHAGINIENSIUM EXEMPLA EDENDI FACULTATEM DETIS. *Secundum eas preces cruda exta, caeſa victima [uti mos] in mare porricit, tubaque ſignum dedit proficiſcendi*.

Hoc Livii teſtimonium protuli, ut quibus ſacrificantes, qui proſperos exitus conſequi navigationis vellent, precationibus uterentur, oſtenderem. Quae autem precationes eſſent illorum, qui incolumes in portum revertebantur, ex Plauto habemus. Apud hunc enim Poëtam, Carmides ſalvus in patriam reverſus haec pronunciat (*b*):

SALSIPOTENTI, ET MULTIPOTENTI IOVIS FRATRI NEPTUNO, ET NEREO
LAETUS LUBENS LAUDES AGO ET GRATES, GRATIASQUE HABEO ET FLUCTIBUS SALSIS,
QUOS PENES MEI POTESTAS, BONORUMQUE FORET, ET MEAE VITAE,
QUUM SUIS ME EX LOCIS IN PATRIAM, URBISQUE MOENIA REDUCEM FACIUNT:
ATQUE EGO, NEPTUNE, TIBI ANTE ALIOS DEOS GRATIAS AGO, ATQUE HABEO SUMMAS.

Iamvero de unaquaque ara agendum eſt. In earum prima *num.* I. Neptunus ſtans, panno neſcio quo pone humeros collecto, tridentem ſiniſtra manu, dextera vero delphinum tenens, ut in duabus aris apud Gorium (*c*), exprimitur. Enimvero eiuſmodi inſignibus in omnibus fere marmoreis, aereiſque monumentis Neptunus ornatur; ſed in nonnullis delphinus ſub illius pede (*d*), non autem in manu cernitur. *Qui Neptuno*, inquit Hyginus (*e*), *ſimulacrum faciunt delphinum aut in manu, aut ſub pede eius conſtituere videmus, quod Neptuno gratiſſimum eſſe arbitrantur*. In ſymbolis, myſteriiſque, quae tridente continentur, imperium omnium aquarum, maris, fluviorum, fontium Mythologi numerant; at de delphino plurimas fabellas narrant. Equidem arbitror delphinum aut in manu a Neptuno retentum, aut Neptuni pede

(*a*) Lib. XXIX. cap. 27. pag. 346. edit. Iani Gruteri.
(*b*) Plaut. in *Trinumm.* Act. IV. ſcen. I. verſ. I.
(*c*) *Inſcript. Don.* Tab. V. num. I., & Tab. VII. num. 3.
(*d*) Vid. Pauſan. *Phocic.* lib. X. cap. 36.
(*e*) *Poet. Aſtronom.* lib. II. cap. 17.

pede compreſſum indicare votum navigantium , ne piſcis illic diſcurreret. Nam *ſemper mare turbatur*, *cum delphini apparuerint*, ut Servius ſcribit in eos Virgilii verſus (*a*):

> . . . . *ſed fluctu ſpumabant caerula cano:*
> *Et circum argento clari delphines in orbem*
> *Aequora verrebant caudis, aeſtumque ſecabant.*

Cicero autem in ſecundo *de Divinatione* libro (*b*): *Gubernatores*, inquit, *cum exſultantes loligines viderint*, *aut delphinos ſe in portum coniicientes*, *tempeſtatem ſignificari putant*. Verum haud me praeterit, communiorem eſſe opinionem: delphinum fuiſſe proſperae navigationis ſymbolum; eaque de cauſſa & naves (*c*), & numiſmata omnium fere urbium maritimarum eiuſmodi inſigni decorari conſueviſſe. Ac ſingulare quidem eſt numiſma Tarſi Alexandro Severo Imperatore cuſum, in quo navis explicatis velis, duoque ad eius navis latera delphini, coronam, ſignificandae proſperitatis itineris cauſſa, ſuſtinentes, repraeſentantur.

Quod vero pertinet ad Aram cum hac inſcriptione: ARA TRANQVILLITATIS, *num.* 2. ſponte fateor mihi liquere, *Tranquillitatis publicae* imaginem exhiberi in vetuſtis nummis; *Tranquillitatis* autem *maris* imaginem nuſquam me vidiſſe. At vero intelligo, in templo Neptuni, quod erat in Iſthmo Corinthiaco, huiuſmodi imaginem expreſſam in illa ingenti baſe currus, Neptuni, & Amphitrites ſimulacris ornati, tempore quo Pauſanias (*d*) floruit, exſtaſſe. Noſtra in Ara navicula, quae unico quadrato velo, & nauclero, ſecundo vento fertur, Tranquillitatem maris ob oculos ponit. Id me meminiſſe monet illud Ciceronis (*e*): *Sed ſi iam ex hoc loco proficiſcatur Puteolos ſtadia triginta*, *probo navigio*, *bono gubernatore*, *ac tranquillitate*, *probabile videatur ſe illuc venturum eſſe ſalvum*. Satis tamen explorate cognitum eſt, Romanos in Diis Tranquillitatem maris numeraſſe, eidemque hoſtias immolare conſueviſſe: & hoc cum ex noſtra Ara, tum ex Appiano (*f*) plane ad veritatem percipimus. Is enim gravis, doctuſque auctor ſcribit, Caeſarem Octavianum Puteolis claſſem in Siciliam contra Sextum Pompeium ducturum tum ſolviſſe: Θύων ἅμα καὶ σπένδων ἀπὸ τῆς ναυαρχίδος νεὼς ἐς τὸ πέλαγος ἀνέμοις εὐδίοις, καὶ ἀσφαλείῳ Ποσειδῶνι, καὶ ἀκύμονι θαλάσσῃ, *cum in mari ſacrificaſſet Ventis ſerenis*, *Neptuno propitio*, & *Tranquillo mari*. Quo teſtimonio Appiani tres, de quibus agimus, aras indicari, unam Ventorum, aliam Neptuni, tertiam Tranquillitatis maris, perſpicuum cuique eſt.

Arae Ventorum exemplum habes *num.* 3. cum inſcriptione huiuſmodi: ARA VENTORVM. Scribit Pratillus (*g*), ſub ruinis veteris cuiuſdam templi ad Appiam viam, Caudium inter & Beneventum urbes, lapidem a ſe repertum fuiſſe cum eadem inſcriptione: cumque longe is locus ab ora maritima diſtet, coniectura perſequitur, non eos ibi Ventos, qui mari

(*a*) *Aeneid.* lib. VIII. v. 672.
(*b*) Cap. 70. ſect. 145.
(*c*) Vid. Euripid *Electr.* v. 435.
(*d*) *Corinthiac.* lib. II. cap. I.
(*e*) *Quaeſt. Academic.* lib. II., ſeu ex Nonii numeratione IV. cap. 31. ſect. 100.
(*f*) *De bell. civil* lib. V. pag. 1153.
(*g*) *Della via Appia* lib. III. cap. 4.

mari praeſunt, ſed eos, qui mortalium preces ac vota ad Deos deferunt, coli conſueviſſe; quare Venerem apud Ovidium dicere (*a*):

Detulit aura preces ad me non invida blandas,

Virgilium vero (*b*) ita Ventos precari:

Partem aliquam Venti Divum referatis ad aures.

Sed vereor, ne ſtudioſe perquiſita potius, quam veriſimilis haec Pratilli opinio cuiquam videatur. Clara ſane illa eſt: in mediterraneis quoque locis adhibitum Ventis cultum fuiſſe, quod ex iis potiſſimum caeli in homines ſalubritas, aut intemperies permanet. Quare in Taigeto monte equum Ventis immolare, cremareque Spartani ſolebant, *ut eorum flatu*, ut ait Feſtus (*c*), *cinis eius per fines quam latiſſime deferatur*. Calabri vero, atque Apuli Ventum Atabulum imprimis eamdem ob cauſſam venerabantur; quem Horatius memorat (*d*): huiuſque Poëtae doctus Scholiaſtes Porphyrion ἀπὸ τοῦ τὴν ἄτην βάλλειν, *quod agris detrimento eſſet*, nominatum cenſet. Nam *ſi flaverit circa brumam*, ait Plinius (*e*), *omnia exurit*, *frigore arefaciens*, *ut nullis poſtea poſſint ſolibus recreari*. Scribit autem Menander (*f*) apud Stobaeum (*g*), Ventos ab Epicharmo in Deorum numero reponi:

Ὁ μὲν Ἐπίχαρμος τοὺς Θεοὺς εἶναι λέγει
Ἀνέμους, ὕδωρ, γῆν, ἥλιον, πῦρ, ἀστέρας.
Epicharmus quidem Deos eſſe dicit
Ventos, *aquam*, *terram*, *ſolem*, *ignem*, *ſtellas*.

Porro in civitatibus maritimis iam uſque ab antiquiſſimis temporibus divinum cultum Ventis adhiberi generatim conſueviſſe accepimus; verique eſt ſimile, omnium primos Phoenices adhibuiſſe (*h*), propterea quod, importandarum, exportandarumque mercium cauſſa, maiori quam ceteri audacia, longe lateque navigarint. At natio fuit omnis Graecorum huic admodum dedita ſuperſtitioni; quod ex innumeris pene monumentis, quae ne longiores ſimus, quam oporteat, ſilentio praetermittimus, cuique eſſe compertum, exploratumque poteſt. De Romanis autem ſic habeto: Caeſarem Auguſtum, cum in Gallia commoraretur, teſte locuplete Seneca (*i*), Circio vento; Veſpaſianum vero Antiochiae, ut Iohannes Malala (*k*) auctor eſt, omnibus Ventis templum dedicaſſe. Praeterea meminit Sponius (*l*) cuiuſdam Arae votivae, in Africa non longe a Conſtantina repertae, quam legio III. [haec legio in aliis inſcriptionibus, temporibus Traiani,

(*a*) *Metamorph.* lib. X. v. 642.
(*b*) Eclog. 3. verſ. 73.
(*c*) *De verb. ſignif.* v. *October*.
(*d*) *Sermon.* lib. I. ſat. 5. v. 78. Vid. quoque Gell. lib. II. cap. 2.
(*e*) Lib. XVII. cap. 24. ſect. 37. §. 8.
(*f*) *Fragmenta* num. 151. pag. 241. edit. Ioh. Clerici.
(*g*) Serm. 89. pag. 503. verſ. 51. edit. Conradi Geſneri.
(*h*) Euſeb. *Praeparat. evang.* lib. I. cap. 10. pag. 35.
(*i*) *Natural. quaeſt.* lib. V. cap. 17.
(*k*) *Chronograph.* lib. X. pag 111.
(*l*) *Miſcellan. erud. antiq.* ſect. 3. pag. 77.

& Hadriani, perfectis, *Cyreniaca* a regionibus, quibus praeſidio ſtativo erat, appellatur] Ventis dedicarat cum hac inſcriptione:

VINTIS
BONARVM TEMPES
TATIVM POTENTIBVS
LEG. III. AVG. DEDICANTE
Q. FABIO CALVITINO
LEG. AVG. PR. PR

His cognitis de anaglypho huius tertiae Arae ita ſentio. Adoleſcens per aërem volitans, inflanſque concham, Venti figuram exhibet. Illum Boream Indicis antiquitatum Muſei Capitolini auctor vocat. At Boreas in urna Cipſeli (*a*) inſculptus erat ſub monſtri horrendi ſpecie, caudam, ut ſerpens, pro cruribus trahentis; eiuſque tanta eſt vis ac ſtridor, ut ἀπὸ τῆς βοῆς, *a clamore* Borea nominetur (*b*). Quare apud Ovidium hoc modo is ventus loquitur (*c*):

Apta mihi vis eſt : vi triſtia nubila pello,
Vi freta concutio, nodoſaque robora verto,
Induroque nives , & terras grandine pulſo.

Igitur cum hac in Ara *placidis ventis*, ἀνέμοις εὐδίοις, ut eos Appianus vocat (*d*), non autem procelloſis hoſtiae immolarentur, fatendum eſt, ea adoleſcentis figura indicari iucundum, fauſtum, propitium ventum. Philoſtratus (*e*) hyacintho flori Zephyrum aſſimilat, deſcribitque blanda delicataque forma, temporibus alatis, omniſque generis floribus coronato capite. Ceterum *fere ab omnibus Venti pinguntur hiantes*, ut Statii Scholiaſtes Lactantius (*f*) ſcribit, utque in pleriſque vetuſtis monumentis conſpiciuntur (*g*); praetereaque alatis ſive humeris, ſive pedibus, ſive utriſque, quan-

(*a*) Vid. Pauſan. *Eliacor. prior.* lib. v. c. 19.
(*b*) Vid. Gellium lib. II. cap. 22.
(*c*) *Metamorph.* lib. VI. verſ. 690.
(*d*) Loc. cit.
(*e*) *Icon.* lib. I. §. 24. pag. 799. edit. Olearii.
(*f*) Verſ. 37. lib. VII. *Thebaid.*
(*g*) Vid. Montfaucon. *Antiquité &c.* Tom. I. Par. II. Tab. CCXXIV. pag. 412., & in *Supplem.* Tom. III. lib. IX. cap. 6. pag. 220., & Winckelmann. Tab. XLIII.

quandoque vero etiam capite, cum Latini, tum Graeci Poëtae, quod ab eruditis viris animadverſum eſt (*a*), illos eſſe dixerunt. Sed noſter Ventus reiecto in humeros, agitatoque inſtar alae pallio exprimitur.

Reſtat ut de quarta etiam illa Ara aliis tribus aequali, cum roſtro navis, ut ſupra diximus, ſed ſine inſcriptione, & anaglypho, aliquid proponam. Neptuno eam conſecratam fuiſſe Montfauconius putat. Veri tamen ſimilior eorum opinio eſt, qui alii Numini dicatam volunt. Ac ſane, cur non Tempeſtati, quam *Hiemem* Virgilius vocat? In Vaticano Codice Virgilii alata Hiems, flagrantemque facem unaquaque manu tenens exhibetur. Itaque in hac Ara, ut aſſequi coniectura poſſumus, idcirco inſculpta non fuit, ne eiuſmodi ſpectro nautae perterriti quidpiam funeſtum, ac perniciosum ſibi portendi formidarent. Ceterum ſatis explorate cognitum, compertumque eſt, Romanos Deam Tempeſtatem coluiſſe; ex quo illud Ovidii (*b*):

Te quoque, Tempeſtas, meritam delubra fatemur;
Cum pene eſt Corſis obruta claſſis aquis.

Hoc ab Ovidio laudatum delubrum via Appia extra portam Capenam a Marco Marcello Tempeſtati dedicatum fuiſſe Carolus Neapoli cenſet; propterea quod ille in mari Corſo, & Sardo ex adverſa tempeſtate ereptus, ſecundo Punico bello, Syracuſarum imperium obtinuiſſet. Sed temere. Nam ex inſcriptione ſepulcri L. Scipionis filii L. Cornelii Scipionis Barbati certum eſt, a L. Scipione, qui Corſicae imperio potitus fuit, Tempeſtati fuiſſe dedicatum templum. In ea enim inſcriptione (*c*) anno 1616. ad eamdem portam Capenam reperta [qua ſane poſt inſcriptionem columnae Duillii nullum vetuſtius hactenus exſtare linguae Latinae monumentum comperi] ſic legitur:

HIC CEPIT CORSICA ALERIAQVE VRBE

DEDET TEMPESTATIBVS AIDE MERETO

Poſtremo, cum in eiuſmodi Ara neque ullus titulus, neque ulla imago, neque ulla inſit certa iudicandi, & aſſentiendi nota, ſi quis ſuſpicari malit, eam, cuique Numini immolandi cauſſa, uti navigantibus nautiſque ſuarum nationum Deos ſingulari ſuperſtitione colentibus collibuiſſet, conſtitutam fuiſſe, non abnuam. Namque non unum genus Deorum triſtiſſimis

 iis

(*a*) Bonarrot. *Oſſervazioni ſopra i vetri &c.* pag. 238., Wiltemius *in Dypticon Leodienſe* cap. 4. §. 17.

(*b*) *Faſt.* lib. VI. v. 193.

(*c*) Hanc inſcriptionem a Iacobo Sirmondo vulgatam Raphael Fabrettus, Hieronymus Aleander, aliique eruditionis laude clari Scriptores illuſtrarunt. Reineſius autem *Var. lect.* lib. I. cap. 21. dubitavit, utrum elogium ſepulcrale eſſet, an vero fragmentum Faſtorum Romanorum, ad annum U. C. 494. pertinens. Sponius de eadem agit ſect. 4. *Miſcellan.* pag. 130., Maffeius vero in ſua *Art. crit lapidaria* lib. III. cap. 4. col. 450. falſam eſſe falſiſſime dicit.

iis temporibus ethnici venerabantur ; ſed alios publicos , alios privatos , alios uniuſcuiuſque proprios . Praeterea Deos habebant *littorales* , teſte Catullo (*a*) , & Deos complures , *quibus imperium pelagi* , ut ait Virgilius (*b*) , tribuebant . Nonnullorum nomen idem Virgilius prodit his verſibus (*c*):

Votaque ſervati ſolvent in littore naûtae
Glauco , & Panopeae , & Inoo Melicertae .

(*a*) Carm. IV. v.22. (*b*) *Aeneid.* lib. V. verſ.235. (*c*) *Georg.* lib. I. v.436.

EXPLI-



Jo. Caſſini. Sc.

EXPLICATIO

TABUL. XXXII. ET XXXIII.

Centauros duos , quos Tab. XXXII. & XXXIII. exhibemus, eruditus Praeſul , poſtea S.R.E. Cardinalis Furiettus an. 1736. in Tiburtina Hadriani villa reperit . De his Tomo III. proprius erat ſcribendi locus , cum veteres Muſei Capitolini ſtatuae numerabantur . Sed illo iam typis vulgato inlati in Muſeum fuerunt . Hos enim , & celeberrimum columbarum muſivum , de quo deinceps dicemus , ac muſiva praeterea duo , in quorum uno frondium florumque colligationes , nexuſque , in alio autem ſilva cum nonnullis belluis repraeſentantur , Clemens XIII. ab heredibus Furietti emit . Nunc muſiva haec duo exſtant in profano bibliothecae Vaticanae Muſeo .

Horum autem Centaurorum ſimulacra e marmore fuſco tantopere a doctis peritiſque ſtatuaria arte viris laudata ſunt , ut eorum exempla multifariam aere inciſa fuerint , atque tum aere conflata , tum in marmore inſculpta in longinquas , peneque ultimas gentes aſportata . Rhodi in aede Liberi ſcyphum exſtaſſe , in quo Acragas Centauros , Bacchaſque caelarat ; & Archeſitam in anaglypho Centauros dorſo Nymphas ferentes expreſſiſſe ; & Phidiam in ſandaliis celeberrimae ſtatuae Minervae , quam Athenis partim ex ebore , partim ex auro fecerat , Centaurorum cum Lapithis pugnam ſculpſiſſe , Plinius (*a*) quidem prodidit ; alicubi autem ſimulacra Centaurorum exſtaſſe non prodidit . Prodidiſſet autem ſane quidem , ob ſingularem operis praeſtantiam , ſi haec duo Hadriani Imperatoris iuſſu , aut e Graecia Romam advecta , aut ibidem Graeca manu elaborata illius aetate exſtaſſent . Iam vero artificum antehac ignotorum nomina in utriuſque ſimulacri baſe inciſa leguntur , quae ſunt ΑΡΙCΤΕΑC ΚΑΙ ΠΑΠΙΑC ΑΦΡΟΔΕΙCΕΙC ,

Ari-

(*a*) Lib. XXXIII. cap. 12. ſect. 55., & lib. XXXVI. cap. 5. ſect. 4. §. 4. & 10.

Ariſteas, *&* *Papias Aphrodiſienſes*. In ora quoque veſtis ſtatuae ſenatoriae, quae exſtat in villa Ludoviſiorum ΑΦΡΟΔΙΣΙΕΥΣ Zeno nominatur. Igitur ſculpendorum marmorum arte Aphrodiſienſes florebant. Sed incertum eſt, ex quonam eſſent oppido, cui nomen Aphrodiſium, cum id eſſet commune compluribus. Porro utrumque Sculptor Ariſteas, & Papias ad utrumque ſimulacrum perficiendum operam praeſtitiſſe ſuam videtur, cum amborum nomina in utraque baſe legantur, quia alter fortaſſe altero in aliqua ſculpenda parte praeſtabat. Ac ſane coniunctim quandoque artifices opus aliquod perfeciſſe laudatus Plinius tradit (*a*): *Palatinas*, inquit, *domos Caeſarum replevere probatiſſimis ſignis Craterus cum Pythodoro*, *Polydectes cum Hermolao*, *Pythodorus alius cum Artemone*, *&* *ſingularis Aphrodiſius Trallianus*. Sed & Pauſanias (*b*) ſcribit, ſe apud Eleos vidiſſe ſtatuam Mercurii cum nominibus Onatae Aeginetae, & Callitelis; Theleſtem autem, ſeu Theletem, & Ariſtonem fratres Spartanos coloſſicum Iovis ſimulacrum in altitudinem XVIII. pedum feciſſe. Praeterea idem eſt auctor Plinius (*c*) multiformes ſtatuas praeclariſſimi monumenti, quod Rhodo in urbem translatum fuit, & in urbe adhuc miramur, Taurusque Farneſiorum dicitur, ab Apollonio una ſimul cum Tauriſco perfectas fuiſſe. Demum ex iiſdem Plinio (*d*), & Pauſania (*e*) colligitur, quod Dipoenus quoque, & Scyllis fratres Cretenſes, Daedali diſcipuli, primique omnium marmoreis ſculpturis praeſtantes, eadem opera inſimul inſculpere conſueverunt.

De origine autem Centaurorum, qui membra partim equina, partim humana habere credebantur, ac de illorum, atque Hippocentaurorum nominibus, deque veterum, novorumque Poëtarum cum Graecorum, tum Latinorum, qui varia, eaque myſtica Centauris vocabula tribuerunt, fabulis, cum Mythologorum eſſe intelligam neminem, qui copioſe non agat; inſtar omnium unus audiatur Palaephatus (*f*), qui haec habet: *Centauri ferae fuerunt*, *&* *ad equorum modum totam formam habuere*, *excepto capite*. *Si quis itaque perſuaſum habeat eiuſmodi beſtiam fuiſſe*, *impoſſibilius credidit*. *Neque enim natura equi*, *hominiſque inter ſe convenit*; *neque alimentum ſimile*; *neque per os*, *&* *guttur humanum equi nutrimentum poteſt deſcendere*. *Si autem forma talis tum temporis exſtitiſſet*, *etiam nunc ſupereſſet*. *At rei veritas ita habet*. *Ixione Theſſaliae Rege*, *in monte Pelio furore correptum eſt taurorum agmen*, *ac quidquid montium reliquum erat*, *inacceſſum reddidit*. *Tauri enim in loca culta deſcendentes arbores concutiebant*, *ac fructus*, *iumentis ſimul noxii*. *Proclamari itaque iuſſit Ixion*, *ſi quis hos tauros ſuſtuliſſet*, *illi ingentem pecuniae vim dandam*. *Iuvenes autem quidam e locis ad montis pedem*, *&* *pago dicto Nephele*, *equos condocefacere celetes excogitarunt*. *Neſcivére enim prius equis vehi*; *ſed curribus ſolum utebantur*: *ita quidem*, *celetes adſcendentes*, *ferebantur in tauros*, *&* *facta in gregem incurſione iaculis illum feriebant*. *Atque ubi inſequerentur tauri*, *aufugere iuvenes*, *erant enim equi velociores*. *Tauris vero conſiſtentibus*, *converſi denuo tela immittebant*. *Atque hoc pacto interemerunt illos*,

(*a*) Loc. cit. §. 11.
(*b*) *Eliacor. prior.* lib. V. cap. 27.
(*c*) Loc. cit. §. 10.
(*d*) Lib. XXXVI. cap. 4. ſect. 4.
(*e*) *Corinthiac.* lib. II. cap. 15. & 22.
(*f*) *De incredibil. hiſt.* cap. 1.

illos, & nomen quidem exinde acceperunt Centauri, quod tauros ſtimulis exagitaſſent. Nihil enim equi Centauris ineſt; ſed ab hoc opere figura equi, hominiſque provenit. Accipientes itaque Centauri ab Ixione pecuniam, ob commiſſum facinus, & divitias arroganter gloriantes, contumelioſi exſtitere, & ſuperbi, ac plurima mala perpetrarunt; etiam contra ipſum Ixionem, urbem, nunc Lariſſam nuncupatam, habitantem. Qui ea tempeſtate regionem illam incolebant, Lapithae vocabantur. Centauri autem ad convivium a Lapithis invitati, ubi vino incaluere, rapuerunt illorum mulieres; quibus in equos iniectis, fugientes unde prodierant, domum ſe receperunt. Suſcepto igitur cum Lapithis bello, de nocte in loca plana procedentes inſidias illis ſtruebant; & ſimulac illuxiſſet, montes repetebant populabundi. Sic vero illis abeuntibus, equorum caudae, & virorum capita ſolum apparuere; ac ſpectaculum videntes inuſitatum, dixere homines: Centauri ex Nephele proruentes multis nos malis afficiunt. Ab hac utique loquendi forma, conficta incredibilis fabula eſt, quomodo ex Nephele homo ſimul, & equus in monte eſſet progenitus. Haec graece Palaephatus. Porro ad rem noſtram animadvertiſſe iuverit, Centauros, etſi ab artificibus cum Sole, Hercule, Aeſculapio, Proſerpina, ipſoque Iove; uti Pergami cuſa numiſmata oſtendunt, exprimebantur; tamen Libero potiſſimum attributos fuiſſe. Hinc intelliges cauſſam, ob quam uterque Centaurus tigrinam pellem in humeros coniectam geſtat, & in alterius baſe tympanum, in alterius vero fiſtula, thyrſuſque exhibentur. Alter autem aetate provectus, vultuque ferox manus poſt humeros, induſtria quidem diligentiaque artificum, ut quantis ſit viribus ex pectoris lineamentis cognoſcatur, invertit. Sic Hylaei Centauri robur ut exprimat Statius, ait (*a*):

> *Non aliter ſilvas humeris, & utroque refringens*
> *Pectore, montano duplex Hylaeus ab antro*
> *Praecipitat.*

Alter autem, quaſi Cyllarus Centaurus, cui, ut ait Ovidius (*b*),

> *Gratus in ore vigor: cervix, humerique, manuſque,*
> *Pectoraque artificum laudatis proxima ſignis,*
> *Ex qua parte vir eſt,*

alter, inquam, iuvenili aetate, hilari vultu, dextero graviter extento brachio, ſiniſtra manu *pedum*, ut vulgo creditur, tenet; plures enim litterati homines in aliis etiam ſculpturis Centauros tenere manibus *pedum* ſibi videre viſi ſunt. Sed ſingularis hac etiam de re Winckelmannii (*c*) ſententia eſt. Fuſtem eſſe is auctor ſcribit, quem Graeci λαγώβολον vocant, qui in lepores, eorum captandorum cauſſa, coniiciebatur, atque ab artifice uti ſymbolum venationum, in quibus multum erant Centauri, expreſſum. Mea autem, & quidem planior, ut arbitror, ſic eſt ratio. Arborum truncis ramiſque, ut Poëtae fabulantur, Centauri pugnare ſolebant. Ac Ovidius quidem ait (*d*), Monychum Centaurum ſilvas ipſas momento expoliaſſe, ut

(*a*) *Thebaid.* lib. IV. verſ. 139.
(*b*) *Metamorph.* lib. XII. verſ. 397.
(*c*) *Monumenti antichi &c.* cap. II. §. 4. p. 12.
(*d*) *Metamorph.* lib. XII. verſ. 510. & ſeq.

ut arbores in hoſtes iacularetur. Propertius autem (*a*), Menalionem amaſium Atalantae arboris ramo ab Hylaeo Centauro vulneratum fuiſſe, ſcribit iis verſibus:

Ille etiam Hylaei percuſſus vulnere rami
Saucius Arcadicis rupibus ingemuit.

Quidni igitur arboris truncus dici poterit, quem Winckelmannius (*b*) λαγώβολον, aliique litterati *pedum*, quo paſtores utebantur, certo proprioque vocabulo dixerunt?

Poſtremo diligenter inſpicienda exempla horum Centaurorum ſunt, quae a nobis hoc loco exhibentur. Nam multo magis, quam cetera, incidendi ratione praeſtant, ſicque Centauros exprimunt, ut quod pulchrum, quod praeclarum, quod ſingulare in eorum ſimulacris ineſt, clare, diſtincteque ſub aſpectum cadat.

(*a*) Lib. I. eleg. I. verſ. 13.

(*b*) Loc. cit.

EXPLI-



EXPLICATIO
TAB. XXXIV.

ROmanarum antiquitatum Scriptores non ſatis dilucide colligentes ex veteribus deſcriptionibus Sexti Rufi, & Publii Victoris, quis eſſet locus, in quo Neptuni templum eſſet conſtitutum, aliorum veterum auctorum conſultis teſtimoniis, templum ipſum unum & idem fuiſſe cum porticu Argonautarum nuncupata non immerito ſtatuerunt. Nam in Regione IX. porticum, & templum Neptuni prope Pantheon fuiſſe praeter ea, quae laudati Rufus, & Victor tradunt indicia, ſatis aperte ſibi videbantur id poſſe concludere ex Dione Caſſio (*a*) ſic dicente: Ἀγρίππας δὲ ἐν τούτῳ τὸ ἄστυ τοῖς ἰδίοις τέλεσιν ἐπικόσμησεν· τοῦτο μὲν γὰρ, τὴν στοὰν τὴν τοῦ Ποσειδῶνος ὠνομασμένην καὶ ἐξῳκοδόμησεν ἐπὶ ταῖς ναυκρατίαις, καὶ τῇ τῶν Ἀργοναυτῶν γραφῇ ἐπελάμπρυνε. *Agrippa autem eodem tempore propriis ſumptibus urbem exornavit; nam & porticum Neptuni propter victorias navales exſtruxit, & Argonautarum pictura decoravit.* At ſi Agrippa maritimis expeditionibus celeberrimus porticum Neptuni exſtruxit, ſimile vero admodum eſt, Neptuni templo hanc porticum adiunxiſſe; ſi autem ipſam porticum pictura Argonautas referente decoravit, Argonautarum porticus à Neptuni porticu, ut videtur, nil differebat, & promiſcue Neptuni vel Argonautarum porticus antiquitus vocabatur. Quod ſi Agrippa, cuius fuit maxima in rebus omnibus magnificentia, templum, & porticum Neptuni picturis illuminavit [id autem de parietibus intelligendum plane eſt] ſculptis etiam marmoribus ſumma faſtigia exornaſſe non eſt dubitandum; hiſce enim decoramentis plurima urbis loca diſtinxit, ut de Septis idem Dio (*b*) teſtatur aperte, quae cum nuper a Lepido porticibus eſſent clauſa, idem Agrippa

(*a*) Lib.LIII. cap.27. Tom.I. pag.721. edit. Reimar. (*b*) Ibid. cap.23. pag.718.

πλαξὶ λιθίναις, καὶ ζωγραφήμασιν ἐπικόσμησε, *tabulis lapideis, & picturis exornavit*. Quomodo autem cumque ſe res habeat, ex templo & porticu Neptuni lapſu temporis haec marmora, quae ſpectanda in hac Tab.XXXIV. proponuntur, in aedem S. Laurentii extra muros primum fuiſſe tranſvecta, ac demum in Capitolium translata, una omnium conſentiens vox eſt, ut ex Fabretto (*a*), & ex Cauſeo (*b*) colligitur, & diſerte affirmat Ficoronius (*c*). Porro adnumeranda eſſe iis ſigillis, quibus templorum zophori ornabantur, innumera huius generis monumenta declarant, animalium capita, vaſcula, vittas, & alia huiuſmodi, quae adhiberi ſolebant in ſacrificiis, praeferentia. Sigilla autem ea hic voco, quae nos Itali *baſſirilievi* nuncupamus, auctore Vitruvio (*d*), qui zophori altitudinem praeſcribens ait: *Sin autem ſigilla deſignari oportuerit, quarta parte altior, quam epiſtylium, ut auctoritatem habeant ſcalpturae*. Quare, ſi placet, ſigilla, vel zophoros ſigillatos huiuſmodi marmora nominamus, quemadmodum veſtes, quae hominum & beſtiarum figuris eſſent diſtinctae, ζωδιωταὶ graece, & *ſigillatae* latine dicebantur (*e*). Celeberrima autem iam ſunt: eorum enim typum aere inciſum iamdiu edidit Henricus Vanſchoel, ſcalpturae vero a multis praeclaris viris, Fabretto (*f*), Scheffero (*g*), Begero (*h*), aliiſque laudantur. Nec plane ſilentio praetereundus Iohannes Winckelmannius, qui de hiſce ſigillis non ſemel mentionem fecit in ſuo opere, cui titulus *Monumenti antichi*, quamvis a tanto viro, qui haec monumenta Capitolina prope & ſaepius inſpexit, accuratiora exſpectari aequo iure potuiſſent. Quis enim non mirabitur eum, qui tam acriter pag. XCIV. in Fabrettum inſurgit, quod anaglypha in atrio Santacruciorum ex opere albario formata pro antiquis habere viſus ſit, attamen pag. XXVI. non ſenſiſſe binas ex hiſce tabulis Capitolinis, quae laevo & ſiniſtro lateri ad ornatum iunctae ſpectantur, ad ſimilitudinem antiquarum, multa quidem elegantia & ſtudio, ſed noſtris plane temporibus, atque ex eodem opere albario eſſe confectas? Certum enim omnino eſt, quatuor ſolum eſſe marmoreas, & antiquas: nos vero trium tantummodo ſpecimina edere ſtatuimus, quia quae tertio loco hic viſenda proponitur, nil differt a quarta. Nunc autem quomodo haec ſigilla ad Neptuni templum pertineant, quamquam res ipſa clamet, propius videamus.

In zophoro *num.* I. primo ſtatim intuitu ſe offert vaſculum, quod eſſe mihi videtur *praefericulum*; nam quamquam Scriptores in praefericuli forma definienda diſſentiant, ſatis valet, ut cenſeo, ad hoc affirmandum Feſti ad rem conveniens auctoritas; ait enim: *Praefericulum vas aeneum ſine anſa appellatur, patens ſummum ut pelvis, quo ad ſacrificia utebantur in ſacrario Opis Conſivae*. Itaque parum me dimovent a ſententia viri eruditi, qui aſſerunt Feſti deſcriptionem minime concordare cum antiquis numiſmatibus, & toreumatibus, quae anſatum illud repraeſentant. Facile enim concedam in antiquis monumentis occurrere vaſa anſis munita, ſed quis ea ſtatim eſſe praefe-

(*a*) *De col. Traian.* pag. 115.
(*b*) *De inſign. Pont. max.*
(*c*) *Veſtigj di Roma* pag. 118.
(*d*) *De architect.* lib. III. cap. 3.
(*e*) De qua re videſis plura in notis Salmaſii ad Trebellium Pollionem *trig. Tyran.* num. XVI.
(*f*) Loc. cit.
(*g*) *De milit. nav.*
(*h*) *Theſ. Brandemb.* Tom. III. pag. 408.

Praefericula tutus affirmabit, cum tantum inter ſe differant ſacra veterum vaſa, nec ſatis diſtincte de eorum forma & uſu ſit aliquid definitum? Videſis Gyraldum (*a*), Roſinum (*b*), Caſalium (*c*), Cauſeum (*d*), alioſque, qui contra Feſtum ſunt. Ego vero ex ipſo nomine mihi videor poſſe, quod dicebam, melius aſtruere; nam ſi *praefericulum* omnium conſenſu idcirco dictum eſt, quod in ſacrificiis praeferri ſoleret, & Feſto auctore anſam non habebat, profecto tale eſſe debuit, quale hic exhibetur, parvae molis vaſculum, quod facile poſſet a rei ſacrae miniſtris attolli, & circumferri.

Sequitur taurinum faſciis & vittis ornatum caput, ut fieri ſolebat in victimis ad ſacrificandum deſtinatis, de quo ritu plura in Paſchalio (*e*). Taurum a Popis ad ſacrificium deductum, & cum mitra infuliſque exornatum exhibent duo admodum ſimilia anaglypha, quorum alterum in hortis Mediceis, alterum in atrio aedium Matthaeiorum conſpicitur. Ac hoſtiam quidem Neptuno caedi ſolitam fuiſſe taurum teſtis eſt Virgilius (*f*):

. . . . meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo.

Quin ſi fides Ioh. Tzetzae taurinus ipſe Neptunus ταύρειος Ἐννοσιγαῖος idcirco dictus eſt ab Heſiodo (*g*), quia tauri ei mactabantur in Helicone. Sed furvis & valde nigris tauris ſacrificari ſolitum Neptuno colligitur ex Homero (*h*):

. . . . ἱερὰ ῥέζον
Ταύρους παμμέλανας ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ.
. . . . *ſacra faciebant*
Tauros nigerrimos Neptuno caeruleam habenti caeſariem.

Cauſſam vero aſſignat Euſtathius (*i*) dicens: Καὶ διὰ τὸ τοῦ ὕδατος μέλαν, ὃ δηλοῦται ἐν τῷ πορφύρεον κῦμα· καὶ πόντον μέλανα, καὶ ἠεροειδέα, καὶ ἰοειδέα· ὃ ἐπὶ αὐτὸ ταυτόν ἐστι τῷ πορφυροῦν. *Ob aquae nigrorem; quod declaravit quoque, dum inquit undam nigrantem, & mare nigrum, & obſcurum, & violaceum, quod idem eſt ac nigrum.* Itaque recte tauri caput excoriatum hic exhibetur, quod ea eſſet victima Neptuno ſacra. Nemo enim ignorat, quod in templorum zophoris ea paſſim repraeſentabantur, quae ſingulis Diis conveniebant. Ita in fanis Dianae cervorum cornua affigebantur, ut tradit Plutarchus (*k*). Celebris autem eſt ara cornea Deli ab Apolline exſtructa, de qua Callimachus (*l*):

Δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν
Ἐκ κεράων, κεραοὺς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους.
Conſtruxit quidem cornibus fundamenta, complevitque aram
Ex cornibus: cornua vero undique appoſuit parietibus.

Ac ſane hanc ipſam epiſtylii partem, quae zophorus a Graecis dicta fuit, ab animalibus, quae ſcalpi in ea ſolebant, nomen traxiſſe, quaſi ζωοφόρον diceres, manifeſtum eſt.

 Plu-

(*a*) *De ſacrific.* Tom.I. pag.158.
(*b*) *Antiq.* lib.III. pag.32.
(*c*) *De profan. rit.* cap.15.
(*d*) *De inſign. Pont. max.*
(*e*) *De coron.* lib.IV. cap.16.
(*f*) *Aeneid.* lib.III. verſ.18.
(*g*) *In ſcut. Herc.* verſ.104.
(*h*) *Odyſſ.* lib.III. v.5.
(*i*) Pag.1454. edit. Rom.
(*k*) *Quaeſt. Rom. in princ.*
(*l*) *Hymn. in Apoll.* v.61.

Plures deinde ac diverſae navis partes ſpectandae veniunt ; ac primum prora multo artificio ac minutim expreſſa, de qua priuſquam loquar, non poſſum facere, quin Iohan. Winckelmannii, ceteroquin eruditi viri, nimis praeceps iudicium notem, qui (*a*) biremem Praeneſtinam explanans mire ſe torquet ; ut contra omnium monumentorum, Scriptorumque, necnon oculorum fidem ex prora puppim faciat ; & Fabrettum immerito taxat, omneſque in ſuam ſententiam trahere nititur ; quod a cordato viro eum impetrare non poſſe iuratus ſpondeo. Omnia enim, quae proram conſtituunt, ſtatim illic deprehenduntur : ille vero contra ſubtilibus ac prorſus levibus coniecturis ad puppim denotandam inani conatu ea deflectit. Sed & in vaſe fictili Vaticano explicando (*b*), in quo cymba Deos ſubvectans exhibetur, eodem plane modo alucinatus eſt ; puppim ex prora faciens ; neque enim animadvertit, artificem ex ingenio & lubitu ſuo in modum piſcis naviculam leviter delineaſſe ; quod oculus ibi inſcriptus aperte demonſtrat, in prora ſcite admodum locatus ; in puppi plane deridendus. Haec ut obiter dicerem fecit idem Winckelmannius, qui haec ſigilla Capitolina commemorans primum (*c*) dicit proras ibi repraeſentari, poſtea vero (*d*) ſui oblitus puppes eas eſſe perperam affirmat. Sed prorae, ut hic exhibetur, deſcriptio peti poſſet ex Polluce (*e*), niſi obſcure nimis de navis partibus ipſe loqueretur ; eiuſque lectionem obſcuriorem etiam reddidiſſent interpretes. Ego vero ne in re preſſius tractanda moroſus ſim, pauca tantum attingam. Tota inferior pars prorae Polluci proprie eſt ἔμβολον, hoc eſt prorae ipſius *fundamentum*, & *ſtatuminatio*. Diſtinguenda enim ſunt nomina, ne ex vocum ſimilitudine & varietate oriatur confuſio. Itaque ἔμβολον eſt, ut videtur, lata lignorum compago ; cui roſtra affigi ſolebant : ἔμβολα autem, vel ἔμβολοι ſunt ipſa ima ad proram roſtra, quae Piſeum piratam Etruſcum addidiſſe navibus tradit Plinius (*f*). Ea fuiſſe ferrea, vel aenea inſtrumenta, quibus, & mare citius findebatur, & hoſtiles naves petebantur, nemo ignorat : hinc recte ad proram erant conſtituta, quod Suidas (*g*) paucis exponit : Ἔμβολος· χάλκωμα πεπυκνωμένον, ἐπιτιθέμενον κατὰ πρῶραν ταῖς ναυσίν. *Roſtrum aereum inſtrumentum, quo naves in prora muniuntur*. Praeſtat autem hic ex eodem Suida diſtichum mutili epigrammatis ad rem noſtram mire faciens afferre :

Ἔμβολα χαλκογένεια, φιλόπλοα, τείχεα νηῶν,
  Ἀκτιακοῦ πολέμου κείμεθα μάρτυρια.
Roſtra aerea, navigationis amantia, moenia navium,
  Hic Actiaci belli teſtimonia iacemus.

Triton, qui Neptuni tubicen erat, duplici buccina munitus conſpicitur, quarum alteram brachio ſiniſtro ſuſtentat, alteram inflat, quemadmodum deſcribitur ab Ovidio (*h*) :

. . . . *cava buccina ſumitur illi*
Tortilis, in latum quae turbine creſcit ab imo :
Buccina, quae medio concepit ut aëra ponto,
Littora voce replet.

Ipſe

(*a*) *Monum. ant.* pag. 273.
(*b*) Ibid. pag. 26.
(*c*) Ibid. loc. cit.
(*d*) Ibid. pag. 275.
(*e*) *Onomaſt.* lib. I. cap. 9. ſegm. 85. & ſeq.
(*f*) Lib. VII. cap. 57.
(*g*) Ad v. ἔμβολος.
(*h*) *Metamorph.* lib. I. v. 335.

Ipſe autem Triton in embolo pictus, vel ſcalptus παράσημον eſt *inſigne* navis, quae ut videtur *Triton* vocabatur, & ab aliis navibus hoc ſigno dignoſcebatur. In ſingulis enim huiuſmodi vel terreſtrium, vel marinorum animalium ponebantur figurae, ut aliae ab aliis diſtingui, ac denominari facile poſſent: ut in Virgilio (*a*) ſunt Piſtrix, Chimaera, Scylla, Centaurus, Tigris, Triton. Rem confirmat Pollux, qui ſic ait: ὑπὲρ δὲ τὸ ἔμβολον δελφὶς ἵσταται, ὅταν ἡ ναῦς δελφινοφόρος ᾖ, *ſupra* prorae *embolum*, vel *ſtaturninationem delphinus inſiſtit*, *quando navis delphinum gerit*. At vero hic non delphinum, ſed Tritonem habet; itaque Τριτονοφόρος dicenda eſt. Haec adnotavi, ut locum Pollucis illuſtrarem contra Iungermannum, qui temere delphinum ad machinam militarem ſignificandam trahit. Supra embolum eminet caput lupi, quod eſt Pollucis προεμβολίς. Τὸ δὲ καταλῆγον αὐτοῦ ἐπὶ τὴν πρῶραν, προεμβολίς, *eius autem*, carinae, *ad proram terminus proembolis*, vel ut ibi vertitur *roſtrum*: quod ego non probo. Malim enim vel *ſuperius roſtrum*, vel, quod melius, *emiſſitium roſtrum*: nam προεμβολὶς, ut perſpicuum eſt a προεμβάλλω *emitto*, *iniicio*, erat quoddam bellicum inſtrumentum, inſtar arietis, quod in incurrentes naves vibrari, ac retrahi poterat, ex longa trabe confectum, cui aereum, vel ferreum caput, modo lupum, modo aprum, leonem, aut taurum referens, erat affixum: unde moveor ut credam προέμβολιν Pollucis eſſe ἐμβολὴν Suidae, qui ait: ἐμβολὴ τὸ ἄκρον τοῦ κριοῦ τοῦ μηχανικοῦ ὀργάνου, *embole extrema pars arietis bellici*. Totum id, quod ſuperius eminet, ſtolus eſt, ὃς καὶ, ut Polluci placet, περικεφαλαία καλεῖται, *qui etiam galea dicitur*. Sed animadvertendum, Pollucem non ſatis diſtincte prorae partes hic deſcribere; ita enim proſequitur: Τὸ δὲ ὑπὲρ τὸ πρέχον ἀκροστόλιον ἡ πτυχὶς ὀνομάζεται, καὶ ὀφθαλμὸς, ὅπου καὶ τοὔνομα τῆς νεὼς ἐπιγράφουσι. *Parſque ſupra prominens acroſtolium, aut ptychis, & oculus vocatur, cui & nomen navis inſcribitur*. Nam ut videtur, quae ad ſtolum pertinent cum acroſtolio confundit. Quod ut ſemel intelligatur notandum eſt, ex Scholiaſte Thucididis (*b*), *proram eſſe frontem navis*, τὸ μέτωπον τῆς νεὼς ἡ πρῶρα ἐστί. Cum autem navium prima inventio, & inſtitutio a piſcium natatu, vel avium volatu orta ſit, inde factum eſt, ut animantium partes etiam navibus ſint attributae; unde paſſim caput, oculum, ventrem, pedem, & alia in navi memorant Scriptores. Itaque *ſtolus*, quae eſt ſuperior pars prorae, recte *galea* vocatur a Polluce, & ab Heſychio *caput*, κέφαλον μέρος ἐν τῷ πλοίῳ, *caput eſt pars navis*. Sed non ſatis accurate deinde ipſe Pollux acroſtolium definit, quod, ut ipſa vox ſonat, extrema pars eſt ſtoli, cum oculum in illud transfert: non enim in acroſtolio, ſed in ſtolo *oculus* inſcribi ſolebat, quod noſtra prora, aliaeque naves oculo inſignitae aperte demonſtrant. Melius ſane Didymus apud Euſtathium (*c*): Ἀκροστόλιον ἐστὶν ἄκρος στόλος· στόλος δέ ἐστιν ξύλον πλατύ· πτυχὴ δέ ἐστιν, ὅπου οἵτε ὀφθαλμοὶ ζωγραφοῦνται, καὶ τὸ τῆς νεὼς ὄνομα ἐπιγράφεται. *Acroſtolium eſt ſummitas ſtoli, ſtolus autem eſt latum in ptyche lignum, ptyche vero eſt ea pars, in qua & oculi pinguntur, & nomen navis inſcribitur*. Itaque ſi ptyche, oculus, & nomen navis in ſtolo erant, perperam haec omnia ad acroſtolium referuntur. His

(*a*) *Aeneid.* lib. v. & x.
(*b*) Lib. II.
(*c*) *Iliad.* lib. xv. v.704.

His autem poſitis facile mihi dubium ſolvitur Winckelmannii (*a*), qui quaſdam ex pluribus naves oculo inſignitas recenſens fatetur ſe neſcire, & rem incompertam hactenus eſſe dicit, qua de cauſſa oculus in navium proris inſcriberetur. Etenim ſi prora erat frons navis, & ipſa navis tota animalis formam referebat, quid mirum quod in fronte oculum praeferret? Nec latere certe potuit, aut debuit virum eruditum, quod oculus in prora, quanti momenti ea pars eſſet navis, ſignificaret, & quantum curae, & diligentiae in ea regenda deſideraretur. Ea enim de cauſſa prora ipſa a προορᾶν, quaſi πρόορα, παρὰ τὸ προέχειν καὶ προορᾶν τοῦ σκάφους, ut Etymologus docet, dicta eſt, & eius partis cuſtos *proreta* ex eadem derivatione a Polluce πρωρήτης, quaſi *praeviſor*, eſt appellatus. Eius enim fuit officium, ut gubernatori, cuius erat miniſter, veniret in partem laboris, & ſedulus curſum navis inveſtigaret, promontoria, rupes, ſcopuloſque exploraret, & ut ait Ariſtophanes (*b*), τοὺς ἀνέμους διαθρῆσαι, *obſervaret ventos*. Quid ſi dicamus ex oculo, tamquam e feneſtella proretam ipſum intus ſedentem ſuo fungi ſolitum officio, num παράδοξον aliquid videbitur haec coniectura? Quamquam mihi ea potior ſtat ratio, quae a navium cum animantibus ſimilitudine deducitur: non enim ſemper & in omnibus veterum navibus oculus emicat in ſtolo, ſed aliquando artificum arbitrio in ea parte collocatus apparet, qua melius animantis forma exprimebatur in prora, ut videre eſt in quibuſdam navibus Muſei Herculanenſis (*c*), aliiſque a Bayfio (*d*) relatis, & praeſertim in Fabretto (*e*), cuius verbis ſic concludam: *oculum in prora biremis . . . ideo effigiatum puto, non ut inſigne ſignificet, ſed ut propius imaginem roſtri, a quo metaphorice pars illa navis nomen ſumpſit, nobis exhibeat, qualem in numiſmatibus, & marmoribus frequentiſſime videre poterunt eruditi*. Summus noſtrae prorae vertex eſt *acroſtolium*, quod protomen galeatam oſtentat. In multis vetuſtis monumentis occurrunt prorae in caput viri, vel herois deſinentes. Sed numquam memini me vidiſſe puppes hoc ornatu diſtinctas: quare mirabar Winckelmannium, vel ex hac una obſervatione ab ea, quam vult obtineri, ſententia non receſſiſſe, & in navi Praeneſtina proram manifeſte expreſſam non cognoviſſe. Utrum autem hae protomae ſint virorum inſignium, vel principum imagines, quamquam id mihi a Winckelmannio perſuadere facile patiar, attamen non definio. Sed illud mihi obſervandum plane eſt, non ſemel inveniri proras ſine acroſtolio, quaſi mutilas, & ſummo vertice carentes; quod eſt indicio acroſtolium ipſum prorae non fuiſſe ſemper haerens, & firmiter affixum; cum enim, quae ad proram addita in altum erigebantur, ea ad ornamentum potius, & decorem navis, quam ad uſum collocarentur, propterea facile poni, & auferri, immutarique poterant: quod de ornamentis etiam, quae ad puppim poni ſolebant, intelligendum eſt. Huius prorae typum, cuiuſmodi hic ſpectatur, iam antea ediderant Schefferus (*f*), & Fabrettus (*g*).

Pro-

(*a*) *Monum. ant. &c.* pag. 26.
(*b*) *In equit.* verſ. 540.
(*c*) Tom. I. Tab. XLVII., & Tom. V. ad calcem.
(*d*) *De re nav.*
(*e*) Pag. 215.
(*f*) Pag. 118.
(*g*) Pag. 116.

Proram excipit navis gubernaculum, de quo praeſtat audire Pollucem (*a*) praeclare illud deſcribentem : Τὸ ἄκρον τοῦ πηδαλίου, οἴαξ, καὶ τὸ παν δὲ, οἴαξ τε καὶ πηδάλιον καλεῖται· τὸ δὲ μέσον αὐτοῦ φθεὶρ. ἢ ῥίζα, ἢ ὑπόζωμα: τὸ δὲ τελευταῖον, πτερύγιον· τὸ δὲ λοιπὸν, αὐχήν. *Summitas clavi* οἴαξ *dicitur, imo & totus clavus, quem & navis gubernaculum vocant : medium autem eius* φθεὶρ [hoc eſt] *radix , & ſuccinctura : extremum ala : reliqua vero pars colum appellatur* . Foramen, quod in collo apparet, eſt locus, in quo clavus tranſverſe poſitus, & infixus anſam efficiebat, qua prehenſa gubernator cum ipſo gubernaculo navem dirigebat.

Deinde venit χηνίσκος *anſerculus*, qui erat ornamentum in ſumma puppi ſupra diaetam apponi ſolitum. Diſerte Lucianus (*b*) : Ἡ πρύμνα μὲν ἀνέστηκεν ἠρέμα καμπύλη, χρυσοῦν χηνίσκον ἐπικειμένη, *puppis quidem paullatim ſurgit inflexa, atque aureum anſerculum ſuperne habet impoſitum* : & Lucianum ſaepe imitatus Apuleius (*c*) : *Puppis intorta cheniſco bracteis aureis veſtita fulgurabat*. Non omnino autem falſum eſſe Etymologum dicam, qui *cheniſcum* prorae partem eſſe voluit : occurrit enim aliquando, quamvis multo rarius, ſpectandus in prora, quod obſervaverat iamdiu Schefferus (*d*), & de quo fidem facit indubiam navis aenea ad calcem Tom. v. *Muſ. Herculan.* cum erudito commentario edita, in cuius prorae vertice cheniſcus late conſpicuus emicat. Nec item minus mihi ratio arridet, quam idem Etymologus de cheniſco in navibus eminente aſſignat : ſatis enim probabilis, & conſentanea videri poteſt, cum dicat : Τοῦ εὐοιωνίστου χάριν, ὡς ἀβάπτιστος, αὐτοῖς ἡ ναῦς διατελοίη, τρόπον χηνὸς ὑπερνέουσα τῶν κυμάτων, *boni ominis cauſſa, ut navis a naufragiis ſervaretur, inſtar anſeris nullo periculo ſuper fluctus navigantis*. Eadem haec cheniſci forma & figura a noſtro marmore deſumpta refertur à Scheffero (*e*), atque iterum, iterumque in binis celeberrimis Florentinis columnis quadratis expreſſa conſpicitur.

Sequitur anchora, cuius inventionem alii aliis tribuunt, ut fuſe tradit Schefferus ſaepe laudatus (*f*). Ego Pauſaniae tantum ſententiam proferam, quod uſus affigendi in templis nautica inſtrumenta ex ea confirmetur : Ἄγκυρα δὲ, ἣν ὁ Μίδας ἀνεῦρεν, ἦν ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἐν ἱερῷ Διός. *Anchora, quam Midas invenit, ad meam uſque aetatem in Iovis templo permanſit* (*g*). Anchora hic bidens eſt, cuiuſmodi paſſim occurrit, quamquam primum inventa eſt anchora uno tantum dente inſtructa. Proinde falſus eſt, ut opinor, Pollucis interpres, qui ea verba (*h*) : Ἄγκυραι ἀμφίβολοι, ἀμφίστομοι, ἑτερόστομοι, ita reddidit : *Anchorae ancipites, utrimque acuminatae, una tamen parte acutae*. Quid hoc rei eſſe dicas? Melius fortaſſe ſic vertas : *Anchorae vel ſunt ancipites, & bidentes, vel uno tantum dente munitae*.

Ἄφλαστα *apluſtria* ſunt, quae in extrema ora marmoris conſpiciuntur, candelabrum utrimque intercipientia. Ea ſunt ornamenta puppis. Pollux (*i*) : Τὰ ἄκρα τῆς πρύμνης ἄφλαστα καλεῖται, *puppis ſummitates apluſtria vocantur* : ubi

(*a*) Loc. cit.
(*b*) *Navigium* §.5. Tom.III. Oper. pag.251.
(*c*) *Metamorph.* lib. XI.
(*d*) Lib. II. cap.4. pag.158.
(*e*) Pag. 159.
(*f*) Pag. 147.
(*g*) *Attic.* lib.I. cap.4. pag. 12.
(*h*) Lib. I. ſegm.93.
(*i*) Lib. I. ſegm.90.

ubi male interpres ἄφλαστα reddit *cacumina*. Ecquae enim erit vana verborum circumlocutio, ſi cum eo legas, *puppis ſummitates eſſe cacumina*? Latini nominis vim, & proprietatem recte declaravit Feſtus: *Apluſtria, navium ſunt ornamenta, quae quia erant amplius, quam eſſent neceſſaria uſu, etiam ampluſtria dicebantur*. Sed nimis late haec dicta ſunt; nam proprie, & vere acroſtolia prorae, puppis autem apluſtria ſunt ornamenta, ut auctorum & numiſmatum teſtimonia confirmant. Quare perperam haec duo multum inter ſe diverſa a quibuſdam confunduntur. Ac minus plane excuſandus Winckelmannius (*a*), qui apluſtre eſſe ornamentum puppis ſe ſcire profitetur, & tamen acroſtolium in ſua navi, quod eſt verum prorae conveniens ornamentum, apluſtre puppis eſſe contendit. Sed ad rem magis declarandam teſtis accedat Homerus (*b*), qui Hectorem ad naves Graecorum acriter pugnantem ſic repraeſentat:

> Ἕκτωρ δὲ πρύμνηθεν ἐπεὶ λάβεν, οὐχὶ μεθίει
> Ἄφλαστον μετὰ χερσὶν ἔχων.
> *Hector autem puppim poſtquam prehendit, non dimittebat;*
> *Apluſtre cum manibus tenens.*

Atque appoſite Euſtathius (*c*) apluſtris formam deſcribens, ſic ait: Ἄφλαστον δέ φασιν, οὐχὶ τὸ ἀκροστόλιον· διαφέρουσι γὰρ αἱ λέξεις· ἀλλὰ κατὰ Δίδυμον, ὥς φησι Παυσανίας, τὸ ἐπὶ πρύμνης ἀνατεταμένον εἰς ὕψος ἐκ κανονίων πλατέων ἐπικεκαμμένων, διήκοντος δι' αὐτῶν πλατέος κανονίου . . . καὶ τοῦτο μὲν, τὸ ἄφλαστον, ἐτυμολογούμενον ἀπὸ τοῦ μὴ ῥᾳδίως φλᾶσθαι, ἤγουν θλᾶσθαι κατὰ διάλεκτον Ἀττικήν. Ἀκροστόλιον δέ φασι, τὸ ἀπὸ τῆς πτυχῆς ἀνατεῖνον ξύλον ἐπὶ τὴν πρῷραν περὶ οὗ ἐπ' αὐτοῦ φησιν ὁ Δίδυμος· ὅτι τὸ λεγόμενον ἀκροστόλιον κ. τ. λ. *Aphlaſtum, vel apluſtre dicunt, non acroſtolium: differunt enim hae inter ſe voces. Sed iuxta Didymum, ut Pauſanias ait, apluſtre eſt id, quod ſupra puppim in altum extenditur, ex latis tabulis ſcite elaboratis, quas latum lignum pervadit, compactum . . . Huius autem aphlaſti etymologia eſt, ex eo quod non facile* φλᾶσθαι, *vel ut fert Attica dialectus,* θλᾶσθαι *conteri atque contundi poſſit. Acroſtolium autem dicunt, extenſum a ptyche in prora lignum, de quo idem Didymus. Acroſtolium eſt &c.* Apluſtre, quod in nummis ſaepe occurrit, ad maritimam potentiam declarandam uſurpatum eſt, eaque de cauſſa ipſe Neptunus paſſim hoc inſtrumentum oſtentans exhibetur.

Candelabrum inter apluſtria collocatum ad rem ſacram pertinet. In omnibus plane ſacrificiis adhiberi ſolemne erat: proinde recte inter vaſa ſacra hoc recenſet Eupolis *in urbibus* apud Pollucem *in fine Onomaſt.* Super candelabra funiculi, faces, vel lucernae oleariae imponebantur, minus tamen ad luminis claritatem excitandam, quam ad decus, & maieſtatem augendam. Winckelmannius plura candelabra enumerat (*d*), eorumque formam exhibet ad calcem epiſtolae, qua librum dedicat, & in alio monumento Tab.183. Noſtri candelabri ectypon iam antea ediderat Michaël Angelus La-Chauſſe (*e*).

In zophoro *num.*2. obſervanda veniunt anchora, de qua ſupra. Hanc ipſam, ut hic cernitur, expreſſam exhibuit Schefferus (*f*).

En

(*a*) *Monum. ant. &c.* pag. 273.
(*b*) *Iliad.* lib. xv. v.714.
(*c*) Pag.1039.
(*d*) Pag. 10.
(*e*) *De inſign. Pont. M* Tab.xiii., & in *Muſ. Rom.*
(*f*) Lib. ii. cap.5. pag.147.

En iterum acroſtolium. Supra iam opportune adnotavimus, tum acroſtolia, cum apluſtria, quae erant prorae, & puppis ornamenta, a navibus facile divelli potuiſſe, quod non eſſent uſui neceſſaria, quemadmodum hoc ipſum a prora diviſum acroſtolium demonſtrat. Sed in eo volitans faſcia, & pendens filo globus faciunt, ut Scheffero teſte (*a*), ex eo genere ſit acroſtoliorum, quae *corymba*, vel *corymbi* dicebantur. Nam quamquam ſint, qui corymbos in navibus aeque proris ac puppibus convenire affirment; attamen ut videtur, atque ex hoc ipſo monumento colligitur, ad proras commodius referri poſſunt. Non abludit profecto Lycophron dicens (*b*):

Ἄφλαστα, καὶ κόρυμβα, καὶ κλῄδων θρόνους,

quae recte interpres ſic reddidit, *per puppes, & proras, tranſtrorumque ſedes*: aphlaſta enim, tam propria erant puppis, quam corymbi prorae, ut ibi Scholiaſtes declarat: Ἄφλαστα καλεῖται τὰ ἄκρα τῆς νεὼς κατ᾽ εὐφημισμὸν, τὰ εὔθλαστα, καὶ κόρυμβα τὸ αὐτὸ δηλοῦσι· διαφέρουσι δὲ, ὅτι τὰ μὲν ἄφλαστα πρυμνήσια, τὰ κόρυμβα πρωρήσια. *Aphlaſta boni ominis cauſſa navis ſummitates, quaſi* εὔθλαστα, *vocentur, & corymbi idem fere ſignificant. Differunt autem, quod aphlaſta ad puppes, corymba ad proras pertinent.* Sed ut verum fatear tum Graeci cum Latini Scriptores nullo diſcrimine navium quaſcumque ſummitates, & vertices *corymbos* dixiſſe videntur. Id autem adnotare mihi placuit, quod viderim eruditos viros in huius vocis proprietate definienda ſaepe laboraſſe. Teſtimonia tantum afferam veterum Scriptorum, quibus mea opinio confirmatur; nec enim vacat in ſingulis explicandis diutius immorari. Itaque in Homero (*c*) legitur de Hectore:

Στεῦται γὰρ νηῶν ἀποκόψειν ἄκρα κόρυμβα,

Iactat enim navium ſe abſciſſurum ſumma roſtra,

ubi Euſtathius (*d*), κόρυμβα δὲ εἰσιν ἄκρα καθ᾽ Ὅμηρον, *corymba ſunt iuxta Homerum ſummitates*. Omnino recte, quamvis Henricus Stephanus id non ſatis probet, quod putet Euſtathium non animadvertiſſe ab Homero eſſe additum ἄκρα. Verum ἄκρα κόρυμβα *ſummos* navium *apices*, optime appellavit Homerus, ut mox etiam Apollonius Rhodius, & probe Euſtathius una tantum voce eſſe ſummitates aſſeruit. Sed Apollonius (*e*) de nave, cui nomen Argo, inter concurrentes Symplegadas parumper fracta, & colliſa ſic ait:

Ἔμπης δ᾽ ἀφλάστοιο παρέθρισαν ἄκρα κόρυμβα,

Sic tamen, ut illae ſummos aphlaſti apices deſecarent.

Corymbi hic ſunt aphlaſti vertices. Nonnus autem (*f*) telorum imbrem deſcribens *corymbum* vocat ſummitatem gubernaculi:

Ἄστατα πηδαλίοιο διέξυσεν ἄκρα κορύμβου,

Inſtabiles gubernaculi arradebant ſummitates rami.

Quae verſio, ut impreſſa legitur, non ſatis quidem aperta. Corrigendus namque erat ibi proculdubio mendoſus textus, & pro ἄκρα κορύμβου, ut ea editio habet, legendum ἄκρα κόρυμβα. Tunc enim Poëtae mentem aſſequi facile quiſque poterat, qui id ſignificare voluit, eiaculata *tela aberrantia a gubernatore mobilem gubernaculi verticem*, hoc eſt, *anſam arraſiſſe*: quod plane

(*a*) Pag. 156.
(*b*) *Caſſand.* v. 295.
(*c*) *Iliad.* lib. IX. v. 241.
(*d*) Pag. 750.
(*e*) Lib. II. verſ. 605.
(*f*) *Dionyſ.* lib. XXXIX. v. 321.

non animadvertens Schefferus in hiſce verbis explicandis (*a*) mire nugatur. At Valerius Flaccus (*b*) de nave pariter Argo vaticinans ait:

. . . . auratis Argo reditura corymbis.

Corymbi hic ponuntur καθόλως pro omnibus ſummae navis ornamentis; & (*c*)

Saxa ſed extremis tamen increpuere corymbis,

hoc eſt, Cyaneae cautes ex incurſu fregerunt navis ſummitates; & (*d*)

Sat mihi, non totis Argo redit ecce corymbis,

ubi corymbi ſunt, ut ſupra, quaelibet ἀκρωτήρια, vel ornamenta. Sed hanc *corymborum* vocem non modo ad navium ſummitates indicandas, ſed ad quaecumque faſtigia declaranda patuiſſe auctor eſt laudatus Euſtathius in loco citato Homeri; ait enim: Κόρυμβα δέ εἰσιν ἄκρα καθ' Ὅμηρον· κατὰ δ' ἑτέρους ἀκροστόλια, καὶ οἷον κορυφαὶ νεῶν· καὶ ἔοικεν οὕτω λέγεσθαι τὰ ἐξέχοντα, ὃ μάλιστα ἐν ὄρεσιν· Ἡρόδοτος γοῦν τὸν τοῦ ὄρους φησὶ τὸν κόρυμβον, ὡς εἴ τις εἴποι κορυφήν· ἀφ' οὗ κατὰ γένους μεταπλασμὸν, τὸ κόρυμβον. *Corymba ſunt iuxta Homerum ſummitates, iuxta alios autem acroſtolia, & tamquam vertices navium. Sed ita videntur appellari quaecumque prominent, & praecipue in montibus: unde Herodotus aliquo in loco dicit corymbum, quaſi diceret* κορυφὴν *faſtigium, ex qua voce per metaplaſmum generis factum eſt* κόρυμβον. Quam ſententiam multis argumentis facile mihi eſſet confirmare, at vereor, ne ſi omnia perſequar, nimis longus videar; quare ad latiorem vocis ſignificationem patefaciendam unum tantum teſtimonium adducam ex Nonno (*e*), qui navale bellum contra Bacchum deſcribens ait, quoddam telum emiſſum haeſiſſe

Πολύποδος σκολίοισι περιπλεχθέντα κορύμβοις,

Polypodis obliquis circumplexum corymbis,

ubi polypi piſcis pedes ob ſimilitudinem, quam cum hederae ramis habent, non inſcite vocat *corymbos*. Concludam igitur recte *corymbum* dici hoc, de quo loquimur, acroſtolium, tum propter ea, quae hactenus obſervata ſunt, cum propter inſignia, quibus diſtinctum emicat: nam faſcia vel lemniſcus nodo hinc conſtrictus, & ex reliqua ſui parte ſinuatus & fluens, & thyrſi caput ex acroſtolii vertice pendens, quae ſunt ornamenta ad Bacchum pertinentia, hic autem ad elegantiam & decus augendum poſita, faciunt, ut hoc acroſtolium *corymbum*, vel *corymbatum* appellemus, quemadmodum etiam naves ex eadem ratione & cauſſa *corymbatae* aliquando dictae inveniuntur. Et quidem globus in aëre pendulus, niſi thyrſi caput eſt, quid aliud ſit neſcio; quamquam id eſſe non dubito, quoniam thyrſi, vel haſtae Bacchicae ſumma pars ad hunc plane modum corymbis erat circumvincta, & implexa, ut docet Nonnus (*f*) de Myſtide nympha alumna Bacchi ſic loquens:

Αὐτὴ δ' ἔπλεκε θύρσον ὁμόζυγον οἴνοπι κισσῷ,
Ἀκροτάτῳ δὲ σίδηρον ἐπεσφήκωσε κορύμβῳ,
Κευθόμενον πετάλοισιν, ὅπως μὴ Βάκχον ἀμύξῃ.

Ipſa vero plectebat thyrſum coniunctum nigrae hederae,
Summo vero ferrum aſtrinxit corymbo,
Occultatum foliis, ne Bacchum vellicaret.

Ac

(*a*) *Add.* pag. 334.
(*b*) *Argonaut.* lib. I. v. 273.
(*c*) Lib. IV. v. 691.
(*d*) Lib. VIII v. 194.
(*e*) Lib. XXXIX. v. 325.
(*f*) Lib. IX. v. 122.

Ac thyrſos quidem in coni formam faſtigiatos fuiſſe diſcimus ex Plinio (*a*), qui *papyrum*, inquit, eſſe *in gracilitatem faſtigiatum*, *ac thyrſi modo cacumen includere*; ad quem locum videndus Salmaſius, qui recte obſervat θύρσους eſſe κώνους vocatos, & in antiquis monumentis modo in globi, modo vero coni formam thyrſos occurrere: unde Bacchae in ſacris κωνοφόροι, perinde ac θυρσοφόροι dictae. Thyrſus cum apice, ut hic cernitur, coniformi redit ſpectandus in aliis anaglyphis huiuſce voluminis. At ſolum eius apicem in globi formam expreſſum videre eſt apud Begerum (*b*), ubi perperam Bacchum infantem, & cum geminis globis, vel thyrſis ludentem pro Cupidine venditat duo poma verſante. Demum adnotare placet, quod huius acroſtolii imaginem protulit iamdiu Schefferus (*c*), ſed minus accurate expreſſam, & ab archetypo noſtro alienam; pro cono enim, vel thyrſo ἄδηλον quid exhibet, & in ſummo acroſtolii vertice iconem quamdam collocat, quae nullibi hic apparet.

Prora, quae amplam diſſerendi materiam nobis praebuit ſupra. Sed hic pro capite lupi caput apri ſpectatur in proembolo, & pro Tritone in embolo marinus equus, qui eſt παράσημον huius prorae, cuius iconem iam antea exhibuit Fabrettus (*d*).

Taurinum in victima Neptuno oblatum caput, ut ſupra.

Simpulum, quod & ſimpuvium dictum eſt, vas ſacrificale fuit, quo ad vini libationem ethnici utebantur. In nummis antiquis Pontificiam dignitatem declarat. Deſcribitur a Feſto: *Vas parvum non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur, unde & mulieres rebus divinis deditae Simpulatrices dictae*. Simpuli formam ex hoc ipſo marmore expreſſam protulit in lucem La-Chauſſe (*e*).

Acerra, auctore Feſto, fuit *arcula thuraria, in qua thus reponebatur*: non minimum inter ſacrificalia vaſa inſtrumentum, quod Camillus ferre ſolebat, ut plura antiqua marmora teſtantur. Micas, glebulaſque thuris iniiciebant aris, qui cultu ſuo vulgariter defungebantur; at qui religioſius Deos venerari volebant, uti omnia luxurioſe praeſtabant, ſic & non thure altaria ſolum cumulabant, ſed acerras ipſas thuris in ea infundebant: quod videtur deridere Arnobius (*f*) dicens: *cum animantium mactetis greges, acerras omnes thuris plenis conficiatis altaribus*. Imo nec acerris contenti plena lance nonnumquam thus effundebant, ut diſcimus ex Ovidio (*g*):

Nec quae de parva pauper Diis libat acerra
Thura minus, grandi quam data lance, valent.

Hanc ipſam acerram elegantiſſime delineatam, atque ex hoc marmore depromptam exhibuit La-Chauſſe (*h*), ubi arboris ramus, qui deſuper attollitur, baccis minoribus onuſtus laurum, hic glandes oſtentans quercum repraeſentat. Verum nec laurus forſan eſt, neque quercus. Ego vero, quamquam nihil certi poſſim affirmare, eo quod in eminentiori loco ſitum marmor oculorum aciem effugiat; attamen verbenam nominare plane non dubito:

(*a*) Lib. xiii. cap.22.
(*b*) *Theſ. Brand.* Tom. iii. pag.274.
(*c*) Pag. 156.
(*d*) Pag. 115.
(*e*) Loc. cit. Tab. ii. n.2.
(*f*) Lib. ii. *adv. Gent.* in fin.
(*g*) *Pont.* lib. iv. eleg. 8. v.39.
(*h*) Tab. viii.

nam Servio teſte (*a*) : *Verbena eſt proprie herba ſacra, ros marinus, ut multi volunt, ideſt* λιβανωτὶς, *qua coronabantur Feciales ... Abuſive tamen verbenas iam vocamus omnes frondes ſacratas, ut laurus, oliva, vel myrtus &c.* Atque in ea confirmor opinione, quod hunc ipſum ramum impoſitum acerrae videam, ad uſum quodammodo verbenae indicandum, quam thuris inſtar aliquando adolebant in aris, ut docet Virgilius (*b*):

Verbenaſque adole pingues, & maſcula thura:

quod etiam apertius declarat Arnobius (*c*) dicens : *Quaenam illa, quaeſo, divina res fuit, quae ab impetu rerum tanto Iovem compulit avocari, & mortalium ſe denuntiationibus ſiſtere? Mola ſalſa, thus, ſanguis, verbenarum ſuffitio &c.*

Pauca obſervanda occurrunt de zophoro ſub *num.* 3., nam ea fere omnia, quae in hac tabula exhibentur, iam ſunt alibi pertractata.

De ſimpulo dictum eſt ſupra. Sed hic lituus adiunctus conſpicitur, de quo vetus eſt illa Quinti fratris ad Ciceronem (*d*) deſcriptio. *Quid lituus iſte veſter, quod clariſſimum eſt inſigne auguratus, unde nobis eſt traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit, tum cum urbem condidit : qui quidem Romuli lituus, ideſt incurvum, & leviter a ſummo inflexum bacillum, ab eius litui, quo canitur, ſimilitudine, nomen invenit &c.*

Victimae in honorem Neptuni caeſae caput, ut ſupra, inſculptum conſpicitur, tum prora, quae ab aliis in eo differt, quod inſigne habeat delphinum, unde δελφινοφόρος certe vocabatur ea navis, cuius pars haec prora fuit, ut ex Polluce adnotavimus. At gubernaculum ad roſtra appoſitum eorum ſententiam confirmat, qui veterum naves nonnumquam duobus gubernaculis fuiſſe inſtructas dixerunt. Quod quidem Suidas diſerte tradit in Δίκροτα dicens : Τινὰ δὲ καὶ ἐκ τῆς πρύμνης, καὶ ἐκ τῆς πρώρας ἑκατέρωθεν πηδάλια ἤσκηντο, ὅπως αὐτοί τε μὴ μεταστρεφόμενοι, καὶ ἐπιπλέωσι, καὶ ἀναχωρῶσι, καὶ τοὺς ἐναντίους ἐν τῷ παράπλῳ καὶ ἀπόπλῳ αὐτῶν σφάλλωσιν. *Nonnnullae naves & a puppi, & a prora gubernaculis utrimque inſtructae erant, ut nec cum in hoſtem vela darent, nec cum ſe reciperent, ſe convertere neceſſe haberent, ſed tam in acceſſu, quam in receſſu hoſtem fallerent.* Ex quibus verbis recte adnotatis Schefferus (*e*) optime coniecit, eumdem Suidam huiuſmodi naves alibi ἀμφιπρύμνας appellaſſe, quaſi quae nullas proras, ſed duas tantum puppes haberent, eo quia ad puppim proprie gubernaculum pertineret. Huius etiam prorae iconem, ſed paulliſper immutatam, exhibet Fabrettus (*f*), nam in ſuperiore parte ſtoli oculum expreſſit, qui reapſe non eſt, nec eſſe potuit in archetypo.

Poſt proram tria ſpectanda veniunt in marmore, anchora, acroſtolium, apluſtre, de quibus dictum eſt ſatis.

(*a*) In *Aeneid.* lib. XII. v. 120.
(*b*) Eclog. VIII. v. 65.
(*c*) Lib. V. in princ.
(*d*) *De divinat.* lib. I. cap. 17.
(*e*) *De mil. nav.* cap. 5. pag. 147.
(*f*) Pag. 115.

EXPLI-



Jo. Carrini In.

EXPLICATIO
TAB. XXXV.

VAriae ſunt de morte Meleagri, atque diſcrepantes a Mythologis cum Graecis, tum Latinis traditae monumentis litterarum fabulae. Phrynicus Polyphradmonis filius primus omnium, teſte Pauſania (*a*), de Meleagro tragoediam ſcripſit: & ſeriem rerum, quod tetrum, horridum, atque ferale argumentum praeferrent, ſaepe veteres in ſarcophagis inſculpſerunt. Sculptor autem anaglyphi huius Capitolini, quod praecipuam Sarcophagi faciem exornat, prae oculis habuiſſe videtur Ovidii verſus de rebus geſtis, neceque Meleagri, quos cuique licet legere in octavo *Metamorphoſeon* (*b*) libro.

Quum Oeneus Calydoniae in Aetolia Rex primitias frugum anno feraciſſimo omnibus Diis, praeter Dianam, ſacrificaſſet: haec, ut acceptam iniuriam ulciſceretur, aprum immanis magnitudinis, cuius (*c*)

. . . . . *maiores herbida tauros*
Non habet Epiros,

immiſit, qui omnes Oenei agros vaſtaret. Itaque Meleager, compluresque ſelecti heroës, unaque Atalanta Iaſii Regis Argivorum filia, aprum venatum contenderunt; cumque hunc Meleager interfeciſſet, Atalantae praecipuam tanti honoris, praedaeque partem dedit: quod & puellae captus amore eſſet, eaque, ut Apollodorus (*d*), & Pauſanias (*e*) tradunt, prima aprum vulneraſſet. Quo factum eſt, ut Toxeus, & Plexippus [his enim nominibus avunculos Meleagri duos plerique Mythologi appellant; ſed Pauſanias (*f*) Pro-

(*a*) *Phocic.* lib. x. cap. 31.
(*b*) Verſ. 273. & ſeq.
(*c*) Idem ibid. verſ. 282.
(*d*) *Biblioth.* lib. I. pag. 18.
(*e*) *Arcadic.* lib. VIII. cap. 45.
(*f*) Loc. cit.

Prothum , & Cometem] cum id iniquo animo ferentes , in Meleagrum , apri pellem , & caput , quae dono Atalantae dare decreverat , ablaturi irruiſſent , a Meleagro diſtricto , quo ſe defenderet , cultro interficerentur. In anaglypho id primo loco cernitur, quod Ovidius expreſſit his verſibus (*a*) :

Non tulit : & tumida frendens Mavortius ira ,
Diſcite raptores alieni , dixit , honoris ,
Facta minis quantum diſtent : hauſitque nefando
Pectora Plexippi nil tale timentia ferro .
Toxea , quid faciat , dubium , pariterque volentem
Vlciſci fratrem , fraternaque fata timentem
Haud patitur dubitare diu ; calidumque priori
Caede recalfecit conſorti ſanguine telum .

Meleager repraeſentatur ſtatura iuſta, membriſque robuſtus, qualis a Philoſtrato iuniore (*b*) deſcribitur , & collecta ad brachium ſiniſtrum chlamyde, more venatorum, quos aut toto corpore nudos, aut chlamyde tantum indutos, ut paratiores ad venandum eſſent, Oppianus (*c*) fuiſſe prodit. Apud Sponium (*d*) quoque in marmoreo monumento cum chlamyde tantum Meleager aprum vulnerat, ſed apud Gronovium (*e*) in nummo Samio nudus. At in nonnullis monumentis cothurnatus, uti venatores, tuendorum pedum cauſſa , prodire ſolebant ; in noſtro autem, ut in aliis quibuſdam , omnino nudis pedibus , fortaſſe ne ignavus molliſque videretur. Ac tali quidem modo collecta chlamyde : quod illa veteres, quaſi ſcuto belluas, hoſteſque aggreſſuri uterentur. Quare de armis, veſtituque venatorum agens Pollux ſic habet (*f*) : Καὶ χλαμὺς ὁμοία , ἣν δεῖ τῇ λαιᾷ χειρὶ περιελίττειν , ὁπότε μεταθέοι τὰ θηρία , ἢ προσμάχοιτο τοῖς θηρίοις . *Et chlamydem ſimiliter ei eſt opus in ſiniſtra manu involvere , quando currens inſequitur belluas , aut cum iis pugnat .* Quod & Pacuvius apud Varronem (*g*) ſcribit, inquiens : *Hinc chlamyde clupeat brachium* ; & apud Nonium : *Pacuvius Hermiona : currum liquit chlamyde contorta clupeat brachium .* Itaque Meleager cum Toxeo , & Plexippo dimicaturus chlamyde ſiniſtro brachio involuto hoc in anaglypho videtur : quemadmodum Livium Gracchum dimicare conſueviſſe ex T. Livio perſpicuum cuique eſſe poteſt (*h*).

Plexippus humi ſaucius iacet, qui, etſi pene exanimatus, tamen illam apri pellem , & caput auferre e manu Meleagri conatur. Toxeus autem diſtricto gladio , minax adoritur Meleagrum, qui diſtricto cultro conſiſtens illum forti animo opperit. Tum videto rupem , quoniam in Calydoniae montibus tragica , feraliſque res geſta eſt ; poſtque rupem Tiſiphonem , quae ſerpentem ſiniſtra manu tenens Meleagrum aggreditur . Haec Furiarum princeps, ac ceteris perniocioſior, animos hominum furore quodam , veluti ſtimulis exagitare dicebatur, atque maximum iniicere ſolita ulciſcendarum caedibus iniu-

(*a*) Verſ. 437.
(*b*) *Icones* num. xv.
(*c*) *Cyneget.* lib. I. v. 97.
(*d*) *Miſcellan. erud. antiq.* ſect.9. pag.312.
(*e*) *Theſaur. antiq. Graec.* Tom. I.
(*f*) *Onomaſt.* lib. v. cap.3. ſegm.18.
(*g*) *De lingua Lat.* lib. iv. pag.7.
(*h*) Lib. xxv cap.16. Vid. Scaliger. *Coniect. in Varron.* ſub init.

iniuriarum ſtudium, idque ipſa Graeca vox Tiſiphone ſignificat. Nam τίσις *ultio*, φόνος *caedes*. Serpentibus autem illud a Tiſiphone praeſtari teſtantur Virgilius (*a*) his verſibus:

Continuo ſontes ultrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans; torvoſque ſiniſtra
Intentans angues . . . . .

& Ovidius Tiſiphonem ituram ad vexandum furore Athamantem, & Inon huius uxorem deſcribens (*b*):

Nec mora Tiſiphone madefactam ſanguine ſumit
Importuna facem: fluidoque cruore rubentem
Induitur pallam; tortoque incingitur angue;

& Statius (*c*):

Tum geminas quatit illa manus: haec igne rogali
Fulgurat, haec vivo manus aëra verberat hydro.

Sed in anaglypho tenere manu dextera virgam potius, quam torrem, aut facem, aut flagellum, ut laudati Poëtae aiunt, videtur.

Poſt Toxeum conſpicari procul licet aram, atque ſuper aram ignem: tum mulierem taeda ardente a furia agitatam, quae mulier arboris truncum igni impoſitum dextera manu retinet, inverſoque vultu oculos, ne id aſpiciat, ſiniſtra obtegit. Althaea haec eſt Theſtii filia, Meleagrique mater, quae cum a Fatidica edocta fuiſſet fore ut editus ab ea puer tamdiu viveret, quamdiu quidam ſtipes igni impoſitus abſumeretur, eum ſtatim extinxerat, maximaque diligentia ſervaverat, ſed cognita Toxei, & Plexippi ſuorum fratrum caede, eius ulciſcendae cauſſa, eum iterum igni impoſuit, & cremavit. Quare Ovidius (*d*) primo *Triſtium* libro ait:

Vtque cremaſſe ſuum fertur ſub ſtipite natum
Theſtias, & melior matre fuiſſe ſoror:

laudatoque octavo libro *Metamorphoſeon* anaglyphum noſtrum declarat his verſibus (*e*):

Vtque manu dira lignum fatale tenebat,
Ante ſepulcrales infelix aſtitit aras:
Poenarumque Deae triplices furialibus, inquit,
Eumenides ſacris vultus advertite veſtros.
Vlciſcor, facioque nefas, mors morte pianda eſt:
In ſcelus addendum ſcelus eſt, in funera funus:
Per coacervatos pereat domus impia luctus.
. . . . . *dextraque averſa trementi*
Funereum torrem medios coniecit in ignes.
Aut dedit, aut viſus gemitus eſt ille dediſſe
Stipes: & invitis correptus ab ignibus arſit.

Ita-

(*a*) *Aeneid.* lib. VI. v. 570.
(*b*) *Metamorph.* lib. IV. v. 480.
(*c*) *Thebaid.* lib. I. v. 112.
(*d*) Eleg. 6. verſ. 17.
(*e*) Verſ. 479. & 511.

Itaque, ut Parcae decreverant, Althaeaeque praenunciatum fuerat, Meleager, aeque ac fatalis ille torris, paullatim exuſtis omnibus inteſtinis conſumptus, extinctuſque fuit. Eum in lectulo decumbentem oppoſita anaglyphi pars exhibet; quod Ovidius triſtificis quidem hiſce expreſſit verſibus (*a*):

Inſcius, atque abſens flamma Meleagros ab illa
Uritur, & caecis torreri viſcera ſentit
Ignibus: at magnos ſuperat virtute dolores
. . . .
Grandaevumque patrem, fratremque, piaſque ſorores
Cum gemitu, ſociamque tori vocat ore ſupremo;
Forſitan & matrem. Creſcunt igniſque, dolorque,
Langueſcunt iterum; ſimul eſt extinctus uterque,
Inque leves abiit paullatim ſpiritus auras.

Oeneus decrepitus ſenex baculo tortuoſo innixus infelici filio praeſens adeſt: de quo Ovidius (*b*):

Pulvere canitiem genitor, vultuſque ſeniles
Foedat humi fuſus, ſpatioſumque increpat aevum.

Hinc ſorores demiſſis crinibus, nudatoque pectore, quod doloris, acerbitatiſque animi apud veteres indicium erat, flentes lectum circumſtant, atque, ut idem Ovidius ait (*c*):

Immemores decoris liventia pectora tundunt:
Dumque manet corpus, corpus refoventque, foventque,
Oſcula dant ipſi, poſito dant oſcula lecto.

At illud hoc loco maxime animadvertendum eſt, Homerum, etſi copioſe venationem, furores, mortemque Meleagri narret; tamen ne nomen quidem Atalantae in ea venatione, neque fatalem eum torrem ab Althaea coniectum in ignem memorare: ſed unum hoc dicere, Meleagrum (*d*), quod ab Althaea Plutonem, atque Proſerpinam obteſtata, ut necem ſuorum fratrum ulciſcerentur, diris devotus fuit, obiiſſe. Haec Apollodori quoque (*e*) ſententia eſt; quamobrem Propertius (*f*):

Nec cuiquam abſentes arſerunt in caput ignes,
Exitium nato matre movente ſuo.

Verum id, quod facile ac ſimplex excogitatum ab Homero eſt, auctum deinde novis miraculis, ornatibuſque decoratum ab aliis Poëtis, quorum varias, interque ſe diſcrepantes ſententias Pauſanias (*g*) annumerat, ingenioſe

(*a*) Verſ. 515.
(*b*) Verſ. 528.
(*c*) Verſ. 535.
(*d*) *Iliad.* lib. IX. verſ. 551.
(*e*) *Biblioth.* lib. I. pag. 19.
(*f*) Lib. III. eleg. 21. v. 31.
(*g*) *Phocic.* lib. X. cap. 31.

nioſe fuit ; & praecipue , ut iam ſupra adnotavimus , a Phrynico . Porro fabula ſic exornata omnium gentium probata conſenſu eſt , quod maiorem admirabilitatem faciat , multoque plura in ea inſint myſteria .

Prope lectulum apparent gladius , galea , & ſcutum , quibus venatores, Polluce (*a*) , & Oppiano (*b*) teſtibus , utebantur . Galeatus in antiquo monumento apud Winckelmannium (*c*) Meleager , ſcutatique in picturis ſepulcri Naſonum apud Bellorium (*d*) venatores repraeſentantur . Sed in hoc Meleagri ſcuto expreſſum eſt caput alatum duobus ſub mento anguibus in nodum invicem obligatis , ut animadverti etiam in ſimili eiuſdem argumenti anaglypho ſervato in aedibus Vallenſibus , quod a Sancte Bartolo vulgatum fuit ; & hinc ſuſpicandi mihi cauſſa eſt , voluiſſe Sculptorem huius operis eiuſmodi ſcuto indicare Meleagrum non modo in venationibus , ſed etiam in bello virtutis laude praeſtitiſſe . Nam unum ex Argonautis eum fuiſſe (*e*) Orpheus tradit , ac ceteris quidem praeſtantiorem poſt Herculem , ſi Apollonium Rhodium (*f*) audis ; immo vero robore aequalem Herculi Valerius Flaccus eum dixit (*g*) :

At tibi collectas ſolvit iam fibula veſtes ,
Oſtenditque humeros fortes , ſpatiumque ſuperbi
Pectoris , Herculeis aequum , Meleagre , lacertis .

Verum Gorgoneum , aut Deae Tempeſtatis , quod idem ſignificat , Heſychio teſte , caput haberi etiam poſſet veluti crudelis fati Meleagri ſymbolum ; nam in pleriſque ſarcophagis , ſignificandae eius fatalis vis cauſſa , inſculptum cernitur (*h*) . Atque apte quidem ad rem haec eſſe explicatio videtur ; propterea quod , ut ait Xenophon (*i*) , Althaea mater infeliciſſimae mortis filii ſui Meleagri cauſſa fuit , quia ſic erat in fatis .

Mulierem autem , quae altera manu Meleagri morientis caput ſuſtinet , altera vero eius os prope attingit , illi medicinam praebere Bellorius (*k*) , & Montfauconius (*l*) laudatum Vallenſe marmoreum monumentum explicantes , arbitrantur . At ego obulum , ſeu numiſma emortuale , quo ſoluto , ut ethnici credebant , infernalis fluminis traiiciendi ei facultas eſſet , in os Meleagri a muliere iniici , non autem medicinam putarem : idque ex rei , quam illa manu tenet , ſimilis numiſmati rotunda forma , atque ex figura eiuſdem Meleagri , quae videtur eum iam vita functum repraeſentare , colligerem . Omnium conſenſu eiuſmodi morem firmatum fuiſſe conſtat . Apuleius (*m*) Pſychen admiratam maiorem in modum fuiſſe fingit , ubi

(*a*) *Onomaſt.* lib.v. cap.3. ſegm.19.
(*b*) *Cyneget.* lib.IV. verſ.155., & 129.
(*c*) *Monum. ant.* Tab. LXXXVIII.
(*d*) Tab. XV. XXVII., & XXVIII. Par. II.
(*e*) *Argonaut.* v. 156.
(*f*) *Argonaut.* lib. I. verſ. 196. & 197.
(*g*) *Argonaut.* lib. I. v. 433.
(*h*) Vid. Gor. *Muſ. Etruſc.* claſ. 1. Tab. LXXXIV., Montfaucon. *Antiquit. expliq.* Tom. V. Par. I. Tab. LXXXI., LXXXIV., & LXXXIX. pag.94. 98., Dempſter. *de Etrur. reg.* Tab. LXXXIV. num. 7. ſub fin. Tom. II., & Tab. II. Tom. I. pag.78., & lib. VI. Tom. II. pag.447., Bonarrot. *Monum. Dempſter. addita* pag.110.
(*i*) *Cyneget.* pag.973. edit. Leunclav.
(*k*) *Admir. Rom. antiquit.* Tab. LXIX.
(*l*) *Antiquit. expliq.* Tom. I. Par. I. lib. III. cap.15. Tab. XCVII. pag.161.
(*m*) *Metamorph.* lib. VI. pag.189. edit. ad uſum Delphini .

Turrim conſiliariam ſuam audivit ſibi dicere ex Veneris iuſſu, ut cum *ad Orci ferales penates* deſcenderet, *in ipſo ore duas ſtipes* teneret, quarum unam pro tranſmiſſione, alteram pro reditu ſolveret. Lucianus (*a*) Charontem Menippo Philoſopho Cynico iratum inducit, quod obulum pro traiectione Stygis fluminis non attuliſſet. Aegre enim Charon ferebat, unum Menippum ex innumera mortalium multitudine futurum, qui diceret, ſe in ipſius navem, quin mercedem antea ſolveret, conſcendiſſe.

Sequitur mulier tunica tantum induta prope Oeneum ſenem ſtans, Meleagrum intuens, manibuſque retro extenſis, quod maximae perturbationis, dolorisque animi indicium eſt. Haec fortaſſe Meleagri uxor Cleopatra, de qua Homerus (*b*), Apollodorus (*c*), & Pauſanias (*d*) agunt. Alia autem mulier ſedens vultu triſtis, ſecumque cogitans, quam prope canis iacet, Atalanta procul dubio eſt, quae Oppiano (*e*) auctore, omnium prima cum aprum Calydonium venaretur, belluas impetere telis docuit:

Σχοινῆος πρώτη δὲ κλυτὴ θυγάτηρ Ἀταλάντη
Θηρσὶ φόνον πτερόεντα συνηβόλος εὕρατο κούρη.

Sic Atalanta volatilibus violare ſagittis
Prima feras docuit, ſaevum dum ſauciat aprum.

Hanc eodem, quo Philoſtratus iunior (*f*) ſcribit, modo indutam vides: Ἔσταλται δὲ ἐσθῆτι μὲν ὑπὲρ γόνυ, κρηπῖδας δὲ τοῖν ποδοῖν ἐνῆπται καὶ αἱ χεῖρες ἐς ὦμον γυμναὶ, διὰ τὸ ἐνεργὸν εἶναι, τῆς ἐσθῆτος ἐκεῖ ἐς περόνας ξυνεχομένης. *Amicta vero eſt veſte ad genu pertingente, crepidis pedibus indutis. Manus porro ad brachia, & humerum uſque ſunt nudae, ut ad agendum ſit expedita, veſte ibi ad fibulas contracta.* Similibus veſtibus in ſupralaudato monumento apud Sponium exhibetur, ſed eius figuram is auctor Dianam falſo dixit. Ac quamquam Dianae partes fuiſſe in ea venatione nullas animadverteret, errorem tamen ſuum tribuere artifici maluit, ratus ab eo vel oſcitantia, vel inſcitia expreſſam inopportune ibi fuiſſe Dianam. Verum venatricum omnium proprius fuit huiuſmodi veſtitus, ut Pollux (*g*), & Oppianus (*h*) teſtantur. Quamobrem Diana quoque ſic induta repraeſentatur a Callimacho (*i*), de qua Ovidius cecinit (*k*):

Talia pinguntur ſuccinctae crura Dianae,
Quum ſequitur fortes fortior ipſa feras.

Venus

(*a*) *Dialog. mortuor.* num.22. Tom.I. Oper. pag.423.
(*b*) *Iliad.* lib IX. verſ.541.
(*c*) *Biblioth* lib.I. pag.18.
(*d*) *Meſſen.* lib.IV. cap.2.
(*e*) *Cyneg.* lib.II. verſ.26.
(*f*) *Icon.* num 15.
(*g*) *Onomaſt.* lib.V. cap.3. ſegm.17.
(*h*) *Cyneget.* lib.I. verſ.97.
(*i*) *Hymn. in Dian.* verſ.11.
(*k*) *Amor.* lib.III. eleg.2. v.32.

Venus, cum videri venatrix voluerit, ut ait Virgilius (*a*), viſa talis eſt,

Namque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum
Venatrix, dederatque comas diffundere ventis:
Nuda genu, nodoque ſinus collecta fluentes.

Sed illud etiam animadvertas velim, Atalantam capillis in nodum ſummo capite colligatis, pharetram, arcumque ſiniſtra manu tenere, uti ab Ovidio exprimitur his verſibus (*b*):

Crinis erat ſimplex nodum collectus in unum:
Ex humero pendens reſonabat eburnea laevo
Telorum cuſtos: arcum quoque laeva tenebat.

Praeterea iis cothurnis venatoriis calceata eſt, de quibus Pollux ait (*c*): Καὶ ὑποδήματα κοῖλα, ἐς μέσην τὴν κνήμην ἀνήκοντα, δεσμῷ ἀκριβεῖ περιεσταλμένα, *& alta calceamenta ad mediam tibiam aſcendentia firmo alligata vinculo*; & Virgilius (*d*):

Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram,
Purpureoque alte ſuras vincire cothurno.

Poſtremo Nemeſis Dea occurrit. Haec, uti veteres opinabantur, ſingulorum hominum res bene, aut male geſtas ſcribebat, ut de iis ſupremum iudicium tandem faceret. Itaque manu ſiniſtra volumen fere reſeratum geſtat. Dicebatur autem Nemeſis ἀπὸ τῆς διανεμήσεως *a diſtributione*, ut Apuleius (*e*), & Ammianus (*f*) arbitrantur; proptereaquod, hominum virtutibus, vitiiſque diligenter cognitis, atque perpenſis, praemium, poenaſve conſtitueret. Elata ad pectus ſiniſtra manu variis, feralibuſque, de quibus diximus, eventibus aſſentientem ſe prodit, aut ſi mavis cogitantem de Althaea ſupplicium ſumere. Et quidem Althaea, ut ſcribit Diodorus Siculus (*g*), capiſtro, aut, ut ait Ovidius (*h*), *acto per viſcera ferro* ſibi mortem conſcivit. Verum enimvero elata ad pectus ſiniſtra Nemeſim inſculptam eſſe ob aliam cauſſam ſubtiliter, & peracute Winckelmannius (*i*) cenſuit; ad indicandam ſcilicet menſuram cubiti, qua Nemeſis mortalium vitia, & virtutes metiebatur, quod colligit ex veteri verſu

Ὑπὸ πῆχυν ἀεὶ βίοτον μετρεῖς
Sub cubito ſemper vitam metiris:

quem intelligi, explicarique non poſſe ait de vera cubiti menſura, quemadmodum nonnulli Scriptores volunt, quia nullum exſtat vetus monumentum, in quo Nemeſis cum eiuſmodi menſura exhibeatur. Alatam a Smyrnenſibus repraeſentari conſueviſſe Nemeſim intelligo. Verum ſine alis, ut in

(*a*) *Aeneid.* lib. I. verſ. 322.
(*b*) *Metamorph.* lib. VIII. verſ. 319.
(*c*) *Onomaſt.* lib. V. cap. 3. ſegm. 18.
(*d*) *Aeneid.* lib. I. verſ. 340.
(*e*) *De mund.* pag. 754. edit. ad uſum Delphini.
(*f*) Lib. XIV. cap. 11. pag. 59. edit. Hadrian. Valeſ.
(*g*) *Biblioth. hiſt.* lib. IV. cap. 34. pag. 280. edit. Weſſeling.
(*h*) *Metamorph.* lib. VIII. verſ. 531.
(*i*) *Monum. ant.* num. 25.

in noſtro anaglypho, inſculpta fuit a Phidia apud Ramnenſes, teſte Pauſania (*a*), & ita in aliis vetuſtis anaglyphis occurrit (*b*). Rota, quam pede ſiniſtro premit, proprium illius inſigne eſt, ut cognoſci ex Nonno (*c*), & Claudiano (*d*) poteſt: rota enim ſecundum myſteria Aegyptiorum, ac Perſii (*e*), Anacreontiſque (*f*) ſententiam, vitâe curſus, viciſſitudinumque, ut Plutarchus animadvertit, humanarum rerum ſymbolum eſt. Quamobrem Ammianus (*g*) dixit: *Eique ſubdidit rotam, ut univerſitatem regere, per elementa diſcurrens omnia, non ignoretur*.

(*a*) *Attic.* lib. I. cap.33.
(*b*) Vid. Winckelman. loc. cit., & *Muſ. Herculan.* Tom. III. Tab. x.
(*c*) *Dionyſ.* lib. XLVIII. verſ.378.
(*d*) *De bello Gothic.* carm. 26. v.632.
(*e*) Sat. 5. verſ.70.
(*f*) Ode 4. verſ.7.
(*g*) Lib. XIV. cap.11. pag.60.

EXPLI-



Jo. Caſsini. Sc.

EXPLICATIO

TAB. XXXVI.

ACriter S. Clemens Alexandrinus obiurgat ethnicos (*a*), quod eſſent, obtentu religionis, turpiſſimis obſcoenitatibus maxima impudentia dediti, & quod domi ſuſpenſas, veluti Deorum imagines, univerſas impudicitiae figuras diligentius adſervare conſueſcebant. Neque vero a noſtris ſolum, ſed ab ipſis etiam ethnicis Scriptoribus prava haec, atque perverſa conſuetudo accuſata, atque vituperata fuit. Nam Plinius quidem (*b*) reprehendit Parrhaſium, quod *pinxit & minoribus tabellis libidines, eo genere petulantis ioci ſe reficiens*. Propertius vero de eiuſmodi tabellis haec ſcribit (*c*):

Quae manus obſcoenas depinxit prima tabellas,
Et poſuit caſta turpia viſa domo,
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiaeque ſuae noluit eſſe rudes.
Ah gemat, in terris iſta qui protulit arte
Iurgia ſub tacita condita laetitia.
Non iſtis olim variabant tecta figuris:
Tum paries nullo crimine pictus erat.

Itaque iſtiuſmodi impudicas imagines in veteris huius anaglyphi fragmento expreſſas refugit animus non modo exponere, ſed etiam intueri.

Suprema occurrit ſedens mulier magna corporis parte nuda, larvamque intuens: pone hanc alia mulier, eique proxime vir nudus obviam, quadrata menſa altae baſi ſuperpoſita utrumque obtegente. Similis menſa in anaglypho ritus nuptiales exhibente, a Petro Sancte Bartolo vulgato (*d*), ſuſtinetur co-

lumellis

(*a*) *Cohortat. ad gent.* pag. 53. edit. Iohan. Potteri 1715.

(*b*) Lib. XXXIV. cap. 10.

(*c*) Lib. II. eleg. 5. v. 19.

(*d*) *Admirand. Rom. antiq.* Tab. LVIII.

lumellis quatuor, quam Bellorius aram dixit; Chriſtianus vero Ulricus Grupenius (*a*) anclabrim fuiſſe exiſtimavit, ideſt menſam, qua veteres ad ſacrificia utebantur; quod Feſtus tradit inquiens (*b*): *Anclabris menſa myſteriis divinis apta. Vaſa quoque aerea, quibus ſacerdotes utuntur, anclabria appellantur.* Menſa noſtri anaglyphi corona ornatur; quia veteres id omne ornaſſe, quod ad ſacrificia pertineret, exploratum eſt.

Contra mulierem ſedentem ſacra aedicula, quam dicere domum ruſticam quiſquam poſſet, forma admodum impolita, atque rudi cernitur: deinde magna arbor, Liberi index myſteriorum, quo omnes anaglyphi figurae ſpectant, & quae in agris, ac potiſſimum in locis montoſis, atque ſilveſtribus celebrari ſolebant. Quamobrem *Oreon* Liberum appellarunt veteres, ut Feſtus prodit (*c*): *Oreos*, inquit, *Liber pater*, *& Oreades Nymphae appellantur, quod in montibus frequenter apparent.* Haec arbor quercus videtur, cuius frondibus eos, qui Liberi feſtos dies agebant, coronari conſueviſſe Theocritus teſtatur (*d*). Nam de Ino, & Autonoe, atque Agave Thyaſos ei numini exhibentibus ſcribit hoc modo:


Χ᾽ αἱ μὲν ἀμερξάμεναι λασίας δρυὸς ἄγρια φύλλα,
Κισσόν τε ζώοντα, καὶ ἀσφόδελον τὸν ὑπὲρ γᾶς
Ἐν καθαρῷ λειμῶνι κάμον δυοκαίδεκα βωμὼς,
Τὼς τρεῖς τᾷ Σεμέλᾳ, τὼς ἐννέα τῷ Διονύσῳ.

Et hae ſtringentes ſilveſtres frondes hirſutae quercus,
Et hederam viridem, & aſphodelum humi naſcentem
In puro campo exſtruebant duodecim aras,
Tres Semele, & novem Baccho.

Caverna ſatis ampla infra exprimitur, & in illius limine nonnulla Liberi, eiuſque ſacrorum ſymbola, lacus, thyrſus, herma. Etenim etſi hermae Mercurium, a quo derivatur vocabulum, plerumque ſignificent; ſaepe tamen etiam aptabantur ad repraeſentandos Priapos, Satyros, atque eiuſmodi alia turpia, ac ſilveſtria Numina. Quare in veteribus monumentis, quae Liberi ſacra repraeſentant, exprimi conſueviſſe hermas videmus. Iuvenis Faunus, ſeu nudus Paniſcus, ut a Clemente Alexandrino nominatur, in cavernam intrat, quem adoleſcentulae, eaeque nudae Faunae ſequuntur duae. Sed haec memoraſſe ſatis. Svetonium (*e*) in vita Tiberii Caeſaris, ſi lubet, legito: quo loco tradit, adeo effraenatae Tiberium, cum in Caprenſi inſula degeret, libidini deditum fuiſſe, *ut cubicula plurifariam diſpoſita tabellis, & ſigillis laſciviſſimarum picturarum, & figurarum adornarit, libris Elephantidis inſtruxerit .... In ſilvis quoque, ac nemoribus paſſim venereos locos commentus eſt, proſtanteſque PER ANTRA, ET CAVAS RVPES ex utriuſque ſexus pube, PANISCORVM, ET NYMPHARVM HABITV.*

(*a*) *De uxore Romana* cap. 4. §. 28. n. 12.
(*b*) *De verb. ſignif.* lib. I. v. *Anclabris*.
(*c*) ibi lib. XIII. v. *Oreos*.
(*d*) Idyll. XXVI. verſ. 3.
(*e*) Cap. 43.

EXPLI-



EXPLICATIO
TAB. XXXVII.

De ortu, nominibus, & officiis Dianae ne quid dicam, faciunt non modo tot illuſtrium virorum de rebus antiquis commentarii, ſed & multa eruditionis copia refertae obſervationes in tres ſtatuas Dianae, quas in Tom. III. huius Muſei Capitolini congeſtas, & ad manum habes. Itaque ea tantum attingam, quae ad hoc marmor illuſtrandum adhuc deſiderari poſſunt.

Diana, τῇ τόξα, λαγωβολίαι τε μέλονται, *cui*, ut canit Callimachus (*a*), *tela, & retia ſunt curae*, toto habitu, & ſtatu corporis venatrix eſt. Ἀγροτέραν dicebant Graeci, quo ſub nomine paſſim culta, & multis in templis adorata fuit, ut Pauſanias teſtatur (*b*). Facies admodum decora ſeveritatem quamdam ſpirat, ut virginem decet, quae in montibus degeret, raro urbes frequentaret, coetus virorum averſaretur, & de perimendis feris eſſet tantum ſollicita:

. . . σπαρνὸν γὰρ, ὅτ᾽ Ἄρτεμις ἄστυ κάτεισιν·
Οὔρεσιν οἰκήσω.
. . . *raro Diana in urbem ibit.*
In montibus habitabo:

ut ipſa de ſe loquitur apud Callimachum (*c*). Coma ipſa nullo ornatu compta, & in nodum religata virginem demonſtrat, ut ex Polyxena a Polygnoto depicta, Pauſania teſte (*d*), evincitur: Πολυξένη δὲ κατὰ τὰ εἰθισμένα παρθένοις ἀναπέπλεκται τὰς ἐν κεφαλῇ τρίχας, *Polyxena virginum more collecto in nodum crine*: quod latius perſequitur, & multis confirmat Bonarrotius (*e*), & ex

(*a*) *In hymn. Dian.* verſ. 3.
(*b*) *Attic.* lib. I. cap. 41.
(*c*) Verſ. 19.
(*d*) *Phocic.* lib. x. cap. 25.
(*e*) *Oſſervaz.* pag. 247.

& ex Bonarrotio Maffeius (*a*) . Quamquam non tam pudicitiae , quam neglecti cultus ſignum ſaepe eſſe poſſit incompta coma , & venatricem potius , & ab eleganti corporis ornatu alienam quamlibet feminam , quam praecipue virginem , deſignare . Ita Laconicae mulieres , quae in venatu , & palaeſtra multum exercebantur , & nullo ſtudio corporis tenebantur , in nodum crines vincire ſolebant : quod Horatius de Lyde impudica agens teſtatur (*b*) :

Eburna dic age cum lyra
Maturet , incomptum Lacaenae
More comam religata nodum :

idemque alibi impatiens morae iubet Neaeram , incomptis capillis ad ſe ocyus venire (*c*) :

Dic & argutae properet Neaerae
Myrrheum nodo cohibere crinem .

Quod ad veſtem , qua Diana velatur , pertinet , nil refert dicere . Quid enim eſt notius , aut quid frequentius in marmoribus , & nummis antiquis occurrit , quam ipſa Dea tunica , vel amictu levi induta , & alte ſuccincta ? Unde Ovidius de Venere venatricis habitu prodeunte dixit (*d*) :

Nuda genu , veſtem ritu ſuccincta Dianae .

Tunica nullo ornatu , non fimbriis , nec inſtitis diſtincta , non baltheo aut fibulis ſuffulta , ut ſaepe in nummis Dianam geſtare videmus , ſed tenui cingulo , aut faſcia ad lumbos ſubligata ab humeris utrimque pendula deſcendit , quae verius & melius venatricem Deam repraeſentat : perinde ac illud in ſiniſtrum humerum nullo ſtudio reiectum , & dextro brachio implexum pallium , quod chlamys eſt , opinor , vel ſagum , quo ſuperinduta non ſemel comparet in antiquis monumentis Diana . Ad rem Pollux (*e*) de venatoris ornatu loquens ait . Habeat praeter arma χλαμύδα οὐκ εὔχρουν , ἣν δεῖ τῇ λαιᾷ χειρὶ περιελίττειν , ὁπότε μεταθέοι τὰ θηρία , ἢ προσμάχοιτο τοῖς θηρίοις , *pallium non bene coloratum* , *quod ſiniſtrae manui circumvolvendum eſt* , *ſi feras inſequitur* , *aut cum feris pugnat* .

Pedibus haerent adſtricti cothurni , qui ἐνδρομίδες a Callimacho (*f*) vocantur . Sunt autem *endromides* calceamenta venatoria , ut recte declarat Scholiaſtes apud eumdem Callimachum (*g*) κυρίως τὰ τῶν κυνηγῶν ὑποδήματα . Enimvero legitur apud Pollucem (*h*) , quod ſint *proprii calcei Dianae* , αἱ δὲ ἐνδρομίδες , ἴδιον τῆς Ἀρτέμιδος τὸ ὑπόδημα . Verum id , ut videtur , parum cautus ex recenti forſan Callimachi lectione ſtatim effudit : nec enim Callimachus Dianae tantum *endromidas* adiudicavit . Praeterea ipſe Pollux alibi (*i*) idem calceamenti genus a venatoribus ad athletas , & curſores tranſtulit : ἀθληταῖς δ' ἂν προσήκοιεν καὶ ἐνδρομίδες · οὕτω δ' ἐκαλοῦντο τὰ τῶν δρομέων ὑποδήματα , *athletis etiam endromides conveniunt* : *ſic autem curſorum calceamenta vocantur* . Quod ſane rectius potuit adfirmare : quicumque enim hiſce ſtudiis tenerentur , huiuſmodi calceis utebantur ,

(*a*) *Raccolta di ſtatue* pag. 173.
(*b*) Lib. II. od. 11. verſ. 22.
(*c*) Lib III. od. 14. verſ. 21.
(*d*) *Metamorph.* lib. x. verſ. 536.
(*e*) *Onomaſt.* lib. v. cap. 18.
(*f*) *In Dian.* verſ. 16.
(*g*) *In Del.* verſ 238.
(*h*) *Onomaſt.* lib. VII. cap. 22. ſegm. 93.
(*i*) Lib. III. cap. 30. ſegm. 155.

bantur, ut promptius, & expeditius, quo opus eſſet, accurrerent. Itaque Callimachus ipſe (*a*) ait, Iridem ad obeunda Iunonis iuſſa ſemper paratam numquam ταχείας ἐνδρομίδας *pernices endromidas* exſolvere. Sed de horum calceamentorum forma & uſu videſis plura apud Spanhemium (*b*).

Flexilem arcum ἐυκαμπὲς ἄεμμα, non tenſum & intortum, ſed laxum & remiſſum ſiniſtra manu tenet Dea, quo ſtatu a venatione eam quieſcere demonſtratur. Fax autem inverſa, quam praefert dextera, eamdem eſſe & Dianam Lunam, & Dianam Luciferam aperte declarat; quod nemo ignorat, & a dimidia luna, quae in fronte Deae renidet, clarius oſtenditur. Proinde quae ſexcentis nominibus gaudet Diana, paſſim etiam φωσφόρος, φαεσφόρος, & σελασφόρος appellatur. Sed haec obvia, & communia dimittens, quaeſtionem, quam circa facem moverunt eruditi, intactam non relinquam. Multae in antiquis monumentis exhibentur Dianae facem erectam praeferentes, multae quae, ut in noſtro marmore, inverſam tenent. Sunt, qui nolint Dianam facem inclinantem vocari *Luciferam*, ſed eo ſtatu Lunam occidentem ſignificari, quod facem ipſam Dea videatur velle extinguere, ut pluribus verbis ediſſerit Montfauconius (*c*). Ego vero ſive erecta, ſive inverſa fax ſit, recte *Luciferam* appellari Dianam dico [nam quae facem vivam & ardentem geſtat, *Lucifera* certe eſt] ac diſputationem ſane omnem ſublatam puto, ſi vis facis cum erectae, tum inverſae definiatur. Non enim, opinor, Diana facem ut extinguat inclinat, nec ut magis ſplendeat attollit; ſed elevat ac deprimit, ut ſuae lucis vim & potentiam in caelo terraque late manantem, ſublunareſque influxus demonſtret: quamquam hic forſan ſubmiſſam facem non extinguit, ſed intendit, ut venationem favore Lunae confectam tantum notet.

Apri caput, & canis quieſcens expletam venationem oſtendunt. Canem admodum ſcite, & ad Callimachi mentem omnino, expreſſit artifex: ita enim de Iride Iunonis nuntia, eiuſque ad thronum adſidente is cecinit Poëta (*d*):

Ἤ, καὶ ὑπὸ χρύσειον ἐδέθλιον ἷζε, κύων ὡς
Ἀρτέμιδος, ἥτις τε θοῆς ὅτε παύσεται ἄγρης,
Ἵζει θηρήτειρα παρ' ἴχνεσιν· οὔατα δ' αὐτῆς
Ὀρθὰ μάλ', αἰὲν ἑτοῖμα θεῆς ὑποδέχθαι ὀμοκλήν.

Dixit, & infra auream ſellam ſubſedit, ut canis
Dianae, quae quum a celeri requieverit venatu,
Sedet venatrix ad pedes Dianae: aures vero ei
Admodum arrectae, ſemper paratae ad percipienda Deae iuſſa.

Sed paſſim cum cane ad pedes venatico ſpectatur Diana in nummis, aliiſque vetuſtis monumentis, ad quae omnino reſpexiſſe Callimachum ipſum, dicendum eſt. Ea autem eſt forma canis, ut e robuſtiorum eſſe genere, qui cum feris maioribus decertarent, ſtatim dignoſcatur. Huiuſmodi erant Indici,

(*a*) *In Del.* verſ. 238.
(*b*) Ad verſ. 16. *in hymn. Dian.* eiuſdem Poetae.
(*c*) *Antiq. expliq.* Tom. I. Par. I. lib. III. cap. 14. pag. 154.
(*d*) *Hymn. in Del.* verſ. 228.

ci, Cretenſes, Locrenſes, Lacaeni: quod ex Xenophonte ediſcimus, qui (*a*) venatorem monet, ut in aprum iturus tales comparet canes, πρὸς τὸν ὗν τὸν ἄγριον κεκτῆσθαι κύνας Ἰνδικὰς, Κρητικὰς, Λοκρίδας, Λακαίνας. Ac Diana quidem, ſaepe laudato Callimacho teſte (*b*), huiuſmodi canes habuit paratos,

. . . . . . οἳ ῥα λέοντας
Αὐτοὺς αὖ ἐρύοντες, ὅτε δράξαιντο δεράων,
Εἷλκον ἔτι ζώοντας ἐπ' αὔλιον.

. . . . . . *qui vel leones*
Ipſos retrorſum trahentes, ubi apprehendiſſent eos cute,
Rapiebant adhuc vivos in ſtabulum.

At apri caput ſcopulo impoſitum, ſuem ſilveſtrem a Diana domitum ac proſtratum, qui ſilvas & agros vaſtaret, aperte demonſtrat. Nota ſunt, quae de apro Erymanthio ab Hercule, & de Calidonio a Meleagro perempto, tamquam magni auſus facinora, & rarae virtutis propoſita exempla, ſcripta leguntur. Ob haec, aut ſimilia in homines collata beneficia plures antiquitus habiti ſunt Heroës, & ἀλεξίκακοι, ac σωτῆρες appellati. Quod appoſite declarat Cyrenaeus vates (*c*) ita ad Dianam Hercule loquente:

Βάλλε κακοὺς ἐπὶ θῆρας, ἵνα θνητοί σε βοηθὸν,
Ὡς ἐμὲ, κικλήσκωσιν· ἔα πρόκας, ἠδὲ λαγωοὺς
Οὔρεα βόσκεσθαι· τί δέ κεν πρόκες, ἠδὲ λαγωοὶ
Ῥέξειαν; σύες ἔργα, σύες φυτὰ λυμαίνονται.

Feri noxias feras, ut mortales te auxiliatricem,
Sicuti me, invocent: ſine capreas & lepores
In montibus errare. Quid enim capreae & lepores
Perpetrant? apri fruges, apri culta vaſtant.

Meleagrum cum cane ad pedes adſidente, & apri capite ſupra ſaxum adhuc hiante, & palpitante, eo fere modo quo noſtrum hoc marmor, Dianae forte votivum, exhibet celeberrima ſtatua (*d*), quam diu Romae in Pighiniorum aedibus aſſervatam emit Clemens XIV. Pont. Max., atque in Muſeum Vaticanum transferri iuſſit.

(*a*) *Cyneg.* cap. 10.
(*b*) *In Dian.* verſ. 91.
(*c*) Loc. cit. verſ. 153.
(*d*) Vid. Maffaeium *Raccolta &c.* Tab. CXLI.

EXPLI-



Jo. Caſsini Sc.

EXPLICATIO
TAB. XXXVIII.

Corae hoc anaglyphum repertum eſt, quod affabre Etruſco artificio inſculptum Winckelmannius putavit, aereque inciſum vulgare in tertio *Hiſtoriae de arte delineandi apud veteres* volumine, conſtituit. At immatura, infelicique morte ereptus eſt antequam ſuam poſſet liberare fidem. Exhibetur in eo mulier lyram pulſans: adoleſcens ſiniſtra manu lyra nixus, intentis auribus ſonum percipiens: & baſis cum ſtatua. Gemma huius anaglyphi ſimilis, cum mulierem exhibens, tum adoleſcentem pulſantem citharam iuxta columnam, cui ſuperpoſita eſt προτομὴ ſatyri, in pinacotheca Regis Gallorum ſervatur, a Marietto edita (*a*). Is Auctor ex imagine Satyri, ſive Dei Panis, in hac gemma repraeſentari Apollinem, & Muſam poëma paſtorale, ſive ſatyricum canentem colligit, & eam eſſe viro in eiuſmodi poëſi illuſtri monumentum factum. Itaque cum in noſtro quoque anaglypho Apollo, & Muſa repraeſentari videantur ſtantes apud ſtatuam, quae Martis eſſe apparet; colligi coniectando poſſet, poëticen heroicam in eo expreſſam fuiſſe: aut Apollinem exprimi, qui muſicam doceat Calliopem, Poëtarum heroicorum tutelarem Muſam, iuxta Martis ſimulacrum, bellatorum, atque heroum Numinis.

Verum, propterea quod Muſa adoleſcentem, lyrae ſonum auſcultantem, docere videatur, ſi quiſquam malit repraeſentari Calliopem, quae Orpheum fidibus doceat, non contradicerem. Nam Orpheum filium Calliopes veteres Graeci, Latinique ſcriptores dixerunt: atque inprimis Antipater (*b*) in epigrammate de morte praeſtantiſſimi eiuſdem Poëtae, & Pauſanias (*c*). Is ita habet: Πολλὰ μὲν δὴ καὶ ἄλλα πιστεύουσιν οὐκ ὄντα Ἕλληνες, καὶ δὴ τὸ Ὀρφέα Καλλιόπης τε εἶναι Μούσης, καὶ οὐ τῆς Πιέρου. *Graeci & alia multa, quae numquam evenerunt, pro veris habent, & illud inter cetera Orpheum Calliopes filium fuiſſe, Muſae ſcilicet, non eius, quae Pieri filia fuerit.* Itaque mirandum non eſt,

(*a*) *Recueil de pierres gravées du cabinet du Roy*, Tom. II. num. 15.

(*b*) *Antholog.* lib. III. c. 25. p. 272. ed. Megiſer.

(*c*) *Boeotic.* lib. IX. cap. 30.

Graecos fuiſſe commentos, Calliopem fidibus Orpheum docuiſſe. Quare mira, quae ab Orpheo facta narrantur, iſtiuſmodi arti, quam a Calliope accepit, Horatius attribuit (*a*).

Porro meam coniecturam mirifice confirmat illius Numinis ſtatua, ſuper cuius baſi lyra ſuſtentatur. Orpheus enim primus omnium laudes Deorum cecinit, ac religionem, & ſacrificia docuit, ut ipſe initio Argonautici, ſeu quivis alius huius poëmatis auctor, teſtatur, animadverſumque a Pauſania fuit (*b*): Ὁ δὲ Ὀρφεὺς [ἐμοὶ δοκεῖν] ὑπερεβάλετο ἐπῶν κόσμῳ τοὺς πρὸ αὐτοῦ, ἐς ἐπὶ μέγα ἦλθεν ἰσχύος, οἷα πιστευόμενος εὑρηκέναι τελετὰς θεῶν, καὶ ἔργων ἀνοσίων καθαρμοὺς, νόσων τε ἰάματα, καὶ τροπὰς μηνιμάτων θείων. *Orpheus opinione mea carminis concinnitate omnes, qui ante ipſum fuerunt, longo ſuperavit intervallo. Magnam autem ex eo eſt auctoritatem conſecutus, quod & Deorum initia, & nefariorum facinorum expiationem creditus eſt adinveniſſe: morborum etiam remedia, & iratorum Numinum placationes.* Quoniam vero ethnicae religionis myſteria docere Orpheus in Aegypto coepit: fortaſſe ob eam cauſſam Numen Aegyptiorum Iſis, in quo reliqua Numina continebantur, collocatum in ea baſi repraeſentatur. Ac Dea quidem extemplo videtur, etſi virilia in marmore appareant. Verum Iſim virilis, ac muliebris ſexus fuiſſe Aegyptii commenti ſunt, ut alibi animadvertimus. Comptus praeterea capitis eſt proprius Iſidis, ut ex pluribus imaginibus menſae Iſiacae apud Pignorium, atque ex picturis Muſei Herculanenſis cognoſci poteſt. Nam ſubtili pelle caput eius tegitur, ut ex eiuſdem imagine, quam accuratius inciſam huic ipſi commentariolo praefiximus, clare patet, non autem panno, ut prior artifex in hac Tabula XXXVIII. incidit. Huiuſmodi vero comptus cauſſam explicare difficile eſt; tamen aliquid coniectans dicam. Iſidem accepimus raſiſſe caput ad indicium maximi luctus ob inlatam a Tiphone necem Oſiridi viro ſuo, Iſidiſque ſacerdotes ea de cauſſa radere caput conſueviſſe. Veri igitur eſt ſimile eamdem fuiſſe Iſidis repraeſentandae pellibus comptae cauſſam; quod calvi tegere caput pellibus ſolerent. Quamobrem feſtive Martialis (*c*) *calciatum* quemdam Phoebum dixit. Noſtra Iſis dextera manu porrecta pateram ſuſtinet, quemadmodum aliorum Numinum ſimulacra ab Ethnicis exprimi conſueſcebant. Hinc Cicero (*d*) Dionyſii Syracuſae tyranni avaritiam, impietatemque arguens ſcribit: *Idem Victoriolas aureas, & PATERAS, coronaſque, QVAE SIMVLACRORVM PORRECTIS MANIBVS SVSTINEBANTVR, ſine dubitatione tollebat.* Indicandarum vero libationum cauſſa, quas Dii reciperent, illorum ſimulacra cum pateris expreſſa fuiſſe Bonarrotius (*e*) de aeneo ſimulacro in pinacotheca Magni Ducis Etruriae ſervato agens arbitratur; indeque etiam firmari poſſe videtur, quae de Orpheo doctore religionis, atque inſtitutore ſacrificiorum apud Aegyptios diximus. Haſta, qua ſimulacri ſiniſtra nititur, ſummae auctoritatis Iſidis eſſe ſymbolum poteſt: conſtat enim haſtam nihil aliud eſſe, niſi ſceptrum.

(*a*) *Carm.* lib. I. od. 12. verſ. 7.
(*b*) *Boeotic.* lib. IX. cap. 30.
(*c*) Lib. XII. epigr. 45.
(*d*) *De nat. Deor.* lib. III. cap. 34 ſect. 84.
(*e*) *Additam. ad Dempſter.* Tab. XCIII. p. 110.

EXPLI-



EXPLICATIO
TAB. XXXIX.

Militarem pietatem hoc in marmoreo monumento, inque aliis multis huius aut omnino, aut prope ſimilibus exprimi, creditur. Ac Graeci quidem, & Romani cadavera ſuorum militum, in bello interfectorum maxima ſemper diligentia ſepelienda curarunt. Athenienſes tanto ſtudio, tantaque ſeveritate eiuſmodi morem ſervabant, ut non ſine veſaniae nota decem ipſos ſuarum copiarum imperatores, quod corpora militum in bello navali occiſorum non tumulaſſent [etſi aquarum vi longius ire coacti id facere prohibiti eſſent] ultimo ſupplicio fore plectendos iudicarint (*a*). Ex quo factum eſt, ut illorum dux Chabrias, cum Spartanos bello navali viciſſet, eos longius inſequi deſtiterit (*b*). Narrat vero Plutarchus (*c*), Niciam Athenienſem, cum devictis Corinthiis reverteretur [etſi ii, qui ſuorum corpora ab hoſtibus peterent, victoriae nuntium more inſtitutoque maiorum remittere dicerentur, ipſiſque trophaeum ex ſpoliis hoſtium ponere vetitum eſſet] ubi animadvertit, in caſtris hoſtium inſepulta duorum militum ſuorum corpora iacere; in loco retentis improviſo copiis, praeconem, qui illa peteret, ad Corinthios miſiſſe. Macedonibus quoque eumdem morem fuiſſe ex Q. Curtio perſpicuum eſt (*d*). Scribit enim: *Sed Rex dimittere milites inſepultos erubeſcebat, ita tradito more, ut vix ullum tam ſolemne eſſet munus, quam humandi ſuos.*

Iam

(*a*) Valer. Max. lib. IX. cap. 8.
(*b*) Diodor. *Bibl. hiſtor.* lib. XV. §. 35. vol. II. pag. 29. edit. Weſſeling.
(*c*) In vita Niciae pag. 212. edit. Auguſtini Brian.
(*d*) Lib. V. cap. 4.

Iam vero Romanis idipſum religioni fuit, ut ex Iulio Caeſare imprimis colligitur (*a*), qui illos & *propter ſepulturam occiſorum* ſequi Helvetios non potuiſſe narrat. Porro, Tacito auctore (*b*), Lucius Stertinius, cum fuſis Bructeris in Teutoburgenſem ſilvam in finibus Weſtphalorum cum exercitu veniſſet, quo loco caeſus Varus cum ſuis legionibus fuerat, oſſa iamdiu interfectorum Romanorum militum colligenda, humoque tegenda curavit. En Taciti teſtimonium: *Igitur Romanus, qui aderat, exercitus, ſextum poſt cladis annum, trium legionum oſſa, nullo noſcente alienas reliquias, an ſuorum humo tegeret, omnes ut coniunctos, ut conſanguineos, aucta in hoſtem ira, maeſti ſimul, & infenſi condebant.* Traianus autem Caeſar, ut Xiphilinus prodit (*c*), non ſolum huiuſmodi morem ſervari, ſed etiam *mortuis militibus in bello aram conſtitui, & quoque anno parentari iuſſit*. Itaque Virgilius (*d*), qui in ſuis Aeneidum libris omnes Romanorum mores, rituſque opportune, ac vero ſtudioſe in medium profert, Aeneam, victo Mezentio, potiſſimum curaſſe fingit, ut corpora militum, qui in eo praelio occubuerant, humo obruerentur: paulloque poſt adveniſſe legatos Latinorum, qui Aeneam obteſtarentur, ut ipſis occiſorum ſuorum militum corpora ſepeliendi faceret poteſtatem. Multa proferri hac de re exempla, veterumque Scriptorum teſtimonia poſſent; ſed cum collecta, monumentiſque tradita litterarum a Iohanne Kirmannio ſint (*e*), id unum animadvertam: Ethnicos πλιτικῶν cauſſa, tanto ſtudio corpora militum ſepeliviſſe; ſcilicet ut milites magno in numero haberentur, fortique animo dimicarent; deinde quod crederent, ut ex eodem Virgilio cognoſcimus, animas inſepultorum centum annis neque quieſcere, neque pervenire ad elyſia poſſe. Quare Palinurus, cum in mare delapſus interiiſſet, obteſtatus maiorem in modum Aeneam fuit, ut cadaver ſuum perquireret, ſepulturaeque mandaret, inquiens (*f*):

. . . . portuſque require Velinos,
Sedibus ut ſaltem placidis in morte quieſcam.

Nec miror, quod nudum effictum ſit in noſtro Capitolino anaglypho elati militis cadaver, cum nudari cadavera lotionis, unctioniſque cauſſa conſueſſent, aut potius quod interfecti milites a victoribus lucrandi, triumphandique cauſſa ſpoliarentur. Ingens vero ſcutum ſub cadavere inſculptum, quod tribus figuris ſubſtentatur, morem imponendi ſcutis cadavera militum indicare poteſt. Virgilius enim de Pallante a Turno interfecto ſcripſit (*g*):

. . . at ſocii multo gemitu, lacrimiſque
Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes;

hincque filio ad dimicandum proficiſcenti aptans ſcutum Spartana illa mulier, ut virtutem eius excitaret, ac confirmaret, dixit: *Cum hoc, aut in hoc redi* (*h*). Et haec ſatis dicta ſint ad illuſtrandum commune, quod de hoc anaglypho, aliiſque ſimilibus, fertur iudicium.

At

(*a*) *De bell. Gall.* lib. I. §. 20. pag. 16. edit. Samuelis Clark. Londini 1712.
(*b*) *Annal.* lib. I. cap. 62.
(*c*) In vita Traiani pag. 244.
(*d*) *Aeneid.* lib. XI. v. 22. & 100.
(*e*) *Append. ad libros de funerib. Romanorum*, cap. 3. 4. & 5.
(*f*) *Aeneid.* lib. VI. v. 366.
(*g*) Ibid. lib. X. v. 505.
(*h*) Auſon. epigr. 24.

At enim ſi pietas tantum militaris in eo exprimitur ; cur ex quinque unus tantum ornatu, veſtituque miles occurrit? Cur alius veſtitu, geſtuque medicus? Haud me latet, extraneos, atque legionarios interdum medicos, ut opem aegrotantibus militibus ferrent, accerſitos fuiſſe (*a*). Attamen quid? iuvare ne medicus vita functum militem, qui ſepulcro infertur, poteſt? Praeterea cum vulnus nullum neque in hoc, neque in ceteris, ut putant, cadaveribus eiuſmodi monumentorum, in quibus exhiberi militarem pietatem vulgaris eſt opinio, conſpicari liceat; ea monumenta nequaquam ſatis adhuc explicata fuiſſe dubito: & quidpiam ſingulare, idque ab Hiſtoricis memoriae traditum, in noſtro anaglypho repraeſentari, haud temere coniicio; quamvis quid illud ſit adſerere non auſim, propterea quod aliquam deeſſe anaglypho partem video: qua in parte inſculpta fortaſſe rei indicia fuerant. Quod ſi fluvius aliquis, aut tentorium indicaretur, etſi figura, atque lineamenta, ut in aliis marmoreis, aeneiſque monumentis, videmus, Alexandrum Macedonem non praeferant: tamen hunc ex Cydno amne pene exanimatum a ſuis extractum repraeſentari ſine ulla dubitatione defenderem. Rem Q. Curtius narrat his verbis (*b*): *Mediam Cydnus amnis, de quo paullo ante dictum eſt, interfluit, & tunc aeſtas erat, cuius calor non aliam magis, quam Ciliciae oram vapore ſolis accendit, & diei fervidiſſimum tempus coeperat. Pulvere ac ſudore perfuſum Regem invitavit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veſte depoſita in conſpectu agminis, decorum quoque futurum ratus, ſi oſtendiſſet ſuis, levi, ac parabili cultu corporis ſe eſſe contentum, deſcendit in flumen, vixque ingreſſi ſubito horrore artus rigere coeperunt: pallor deinde ſuffuſus eſt, & totum propemodum corpus vitalis calor reliquit.* Igitur cum ex aquis Alexander extractus, inque tentorium corpore omnino nudo delatus eſſet, *ingens ſollicitudo* eius rei cauſſa, *& pene iam luctus in caſtris erat*: quod variis geſtibus figurae anaglyphi exprimunt. Apte etiam ad Q. Curtii teſtimonium omnes, quae corpus efferunt, figurae, praeter unam, ſine militari veſtitu exhibentur. *Expiranti ſimilem*, inquit Curtius, *miniſtri manu excipiunt, nec ſatis compotem mentis in tabernaculum deferunt*. *Miniſtros* enim, non vero *milites* appellat eos, qui Alexandro ſuppetias tulerunt; ſcilicet famulos, aut caſtrenſes miniſtros, quorum erant partes imperatori tantum praeſto eſſe, non autem armis contendere. Profecto plerique veterum Scriptorum caſtrenſes huiuſmodi miniſtros memorant, quorum officia erant principem comitari, ac ſequi quo iret, quoque in loco caſtra poneret, illius imperata facere, praeſtoque eidem perpetuo eſſe, atque a latere numquam diſcedere (*c*). Quare appoſite quidem miniſtri a Q. Curtio appellati ſunt, qui Alexandrum *exſpiranti ſimilem* in tabernaculum detulerunt: appoſiteque eamdem ob cauſſam, ſi vera coniicerem, ſine ullis militaribus inſignibus in anaglypho exprimuntur. Quod ſi ex iis unus militari veſtitu ornatur, is dici ſcutifer Alexandri poteſt: qui imperatoris periculo perterritus ſcutum proiecit, eique ſubſidio fuit. Demum ille, qui ſiniſtrum brachium hominis aut vita functi, aut ani-

(*a*) Vid. Fabrett. *de col. Traian.* c.7. p.207.
(*b*) Lib. III. cap. 5.
(*c*) Salmaſius in not. ad vit. Alexandri Severi a Lampridio ſcript. cap.41.

animo deficientis ſuſtinet, atque ex pulſu, num is vivat, explorat, Philippus medicus Alexandri fortaſſe eſt, qui & illius periculo praeſens adfuit, & qui illum, quem iam exanimem ceteri omnes lamentabantur, tradita neſcio qua potione, quam celerrime ſanavit. Nam barbatus (*a*) more veterum medicorum, pileoque rotundo hemiſphaerico tectus occurrit; quemadmodum pileati Caſtor, & Pollux conſpiciuntur; quorum pileos *caſſidas obbatas*, ideſt ovales, ſive orbiculares Apuleius vocat (*b*). Atque eiuſmodi ſane pileis capita Graecorum medicorum tecta exprimi ab artificibus conſueſcebant, & Hippocrates a Sorano Epheſio deſcribitur (*c*) ἐν πίλῳ, παράσημον εὐγενείας, καθάπερ Ὀδυσσεύς, *pileatus ſicut Ulyſſes, quod nobilitatis inſigne eſt*. Eius autem formae fuiſſe pileum Ulyſſis ſcribit S. Hieronymus (*d*): *Quartum genus eſt veſtimenti, rotundum pileolum, quale pictum in Ulyſſe conſpicimus, quaſi media ſphaera ſit diviſa, & pars una ponatur in capite*. Praeterea non ſolum tunicata, ſed etiam palliata eadem figura eſt, & partem pallii ſubſternere nudo illi corpori videtur; quod facile indicare poteſt Philippi diligentiam, ac ſtudium calefaciendi frigeſcens, peneque exanime Alexandri corpus. Enimvero quod tunica, & pallium proprius eſſet veſtitus medicorum exploratum eſt. Quamobrem Pauſanias (*e*) ſtatuam Aeſculapii, quam Sicyone vidit, deſcribens inquit: φαίνεται δὲ τοῦ ἀγάλματος πρόσωπον μόνον, καὶ ἄκρα, χεῖρες καὶ πόδες· χιτὼν γὰρ οἱ λευκὸς ἔρεοῦς, καὶ ἱμάτιον ἐπιβέβληται, *huius ſtatuae vultus tantum, atque extremitates, ideſt manus, pedeſque conſpiciuntur; nam partes reliquae involutae candida tunica, pallioque ſunt*.

Ne quis autem hiſce meis, qualeſcumque ſint, coniecturis omnem ex eo ſolum detrahi poſſe probabilitatem putet, quod ſculptores, caelatoreſque veteres myſticas fabulas, quae vulgo magis innoteſcebant, exprimere conſueverint, ac praecipue Homericas allegorias, iuvat addere nec deeſſe monumenta, quae hiſtorica facta repraeſentant; & Trebellium cuiuſdam paterae electrinae mentionem facere (*f*), *quae in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem hiſtoriam contineret ſignis brevibus, & minutulis*.

(*a*) Vid. Fabret. *de col. Traian.* cap. 7. p. 211.
(*b*) *Metamorph.* lib x p. 347. edit. ad uſ. Delph.
(*c*) In vita Hippocrat. num. 3. Tom. II. *Oper. Hippocr.* p. 954. edit. Ioh. Ant. Vander-Linden.
(*d*) *Epiſt.* 64. *ad Fabiolam* num. 13. Oper. pag. 360. edit. Vallarſ.
(*e*) *Corinthiac.* lib. II. cap. 11.
(*f*) *De XXX. tyran. in Quieto* num. XII.

EXPLI-




Ioann. Dominicus Campiglia delin.

T. 1



Coſmus Colombini ſculp. Floren.

2




Io. Dom. Campiglia del.

Coſmus Colombini ſculp. Floren.



Io. Dom. Campiglia del. *Coſmus Colombini ſculp. Floren.*



Io. Dom. Campiglia del.



Cosmus Colombini sc.

5





7







G. D. Campiglia del. *D. Cunego incis.*



G.D.C. del.

P. Ant. Pazzi ſc.




Jo. Dom. Campiglia del. *Coſmuſ Colombini ſculp.*



Io. Dom. Campiglia del. Coſmus Colombini ſcul.




C.A.



Gio. Dom. Campiglia disegnò

Carlo Antonini incise



Campiglia del. Capeilan inc.



D. Campiglia del.



A: Capellan inc.




Campiglia del.



17

Capellan inc.




Campiglia del. *Capellan inc.*


Gio. Dom. Campiglia dis.




Ant. Capellan inc.




Gio. Dom. Campiglia dis. M.r Alè incise



Gio. Dom. Campiglia dis. Antonio Pazzi incise


G.D.C.D.



P. Ant. Pazzi ſc.




Io. Dom. Campiglia del.



Coſmus Colombini ſculp.







I. Dom: Campiglia del.







Carol: Taucci sculp.



Gio. Dom. Campiglia del.



Ant. Capellan incid.



Gio. Dom. Campiglia del. Ant. Capellan inc.



G: D: Campiglia del: A: Capellan inc:



G.D.C. del




P. A. Pazzi ſc.



Gio. Dom. Campiglia dis.



Leonardo Germò inc.




G. D. C. del. P. Ant. Pazzi sc.



G. B. Campiglia delin   D. Cunego inc




Gio: Dom: Campiglia del. Ant. Capellan inc.




Gio. Dom. Campigha dis.

2



Gio. Dom. Campiglia dis.

3




Campiglia dis.

34



34



Anton. Capellan inc.

34



Capellan inc.




J. D. C. del.



P. A. Pazzi sc.




Gio. Dom. Campiglia dis.



Ant. Capellan inc.



Gio. Dom. Campiglia dis. *Ant. Capellan inc.*



Gio. Dom. Campiglia dis. Carlo Gregorj inc.



Gio. Dom. Campiglia dis.

Carlo Gregorj inc.



Jo. Caſſini. In.

EXPLICATIO

TAB. XL.

NON dubito, quin aliquod aut ab Hiſtoricis, aut a Mythologis memoratum, non autem vulgare, praeſertim Latinorum, Graecorumve, funus hoc anaglyphum repraeſentet; id enim ſatis explorate ex habitu, reliquaque figura iconum, exque rebus in eodem expreſſis cognoſcitur. Ac deditum quidem defunctum, qui effertur, venationibus fuiſſe ex canibus, quos iuvenis vir numellis colligatos ſiniſtra manu retinet, perſpicuum plane eſt; ritu autem, ac more gentium barbararum funus perſolutum fuiſſe, ex muliere, quae ſibi mortem prope rogum infert, colligere licet: propterea quod apud Romanos aut numquam, aut raro hoc maleficium exſtitit. Verum cuiuſnam funus, aut quaenam alia res geſta hoc in anaglypho exhibeatur, difficile eſt iudicare, praeſertim cum illud maioris anaglyphi nonniſi fragmentum ſit. Attamen cum infabre infimo aevo factum, ſeu potius inchoatum ac rude opus videatur; veri eſſe arbitror ſimile, alius exemplum eſſe veteris, politique anaglyphi, quod in aedibus Barberinorum ſervatur, aereque inciſum a Petro Sancte Bartolo (*a*), vulgatumque fuit; nam maxima in utroque figurarum praecipuarum convenientia eſt. In Barberino marmore funebrem pompam exhiberi Iohannes Petrus Bellorius, atque Montfauconius (*b*) generatim dixerunt: quin hi viri doctiſſimi animadverterint ad vulgare funus pertinere non poſſe Graecorum ac Romanorum expreſſam in eo diram eiuſmodi barbaramque caerimoniam, a qua praeſertim gens Romana perpetuo abhorruit.

(*a*) *Admiranda Romanar. antiquit.* Tab. LXX. LXXI. num. 22.

(*b*) *Antiquit. expliq.* Tom. V. Par.I. cap.*6.* Tab.II.

Iam vero mihi idem anaglyphum Barberinum diligenter inſpicienti expreſſa in eo videri ſolet corporis Meleagri combuſtio (*a*). Nam defuncti effigies ceteris Meleagri effigiebus, quae in aliis vetuſtis monumentis cernuntur, maxime eſt ſimilis. Senem vero illum, qui vultu triſti defunctum intuetur, Oeneum Meleagri patrem dico; iuvenem canes retinentem praeferre venationem, cuius cauſſa Meleager periit: mulieres flentes, lamentanteſque mortuum, Meleagri ſorores: illam vero, quae ſe perimit, miſeram Meleagri matrem, quae (*b*)

. . . . . *diri ſibi conſcia facti*
Exegit poenas acto per viſcera ferro;

denique urnam cupreſſu ornatam, monumentum, in quo conditos fuiſſe cineres Meleagri Ovidius ſcribit (*c*).

Itaque ſi detur noſtrum quoque marmor, cum adhuc maneret integrum, icones omnes, quae in anaglypho Barberino conſpiciuntur, exhibuiſſe; veri eſſe ſimillimum iudico, fabuloſam eamdem corporis Meleagri combuſtionem exprimere. At enim Meleager (*d*):

Exitium nato matre movente ſuo,

iuvenis obiit, qualis cernitur in laudato Barberino, inque aliis pleriſque monumentis, non autem ſenex, ut in hoc Capitolino exhibetur. Fateor. Verum ſi marmoream ipſam Meleagri effigiem inſpicias, terebratum quidem dices marmor, quo loco eſſe barba debet; exhiberi autem certo barbam numquam dices. Terebratum autem fortaſſe fuerat, quo eradi pars illa ſcalpro fruſtillatim, ne diffringeretur, facilius poſſet. Sed opus, ut monui, imperfectum eſt. Praeterea poterat ſane barbatum ſculptor Meleagrum exprimere, veluti heroëm; cum *heroës*, ut ait Servius (*e*), *non fuerint ſoliti tondere barbam*. Id confirmatur, indubiumque pene ex eo efficitur, quod Meleagrum ipſum barbatum Delphis Polygnotus pinxerit, quod praeclariſſimum quidem opus complures, iique veteres imprimis Scriptores mirum in modum celebrant. Narrat Pauſanias (*f*), a quo illud ſumma diligentia deſcribitur, utrumque Aiacem, Palamedem, ac Therſitem teſſeris ludentes, ac deſuper Meleagrum in ſiniſtro aedis latere expreſſos a Polygnoto, eoſque barbatos, praeter Palamedem fuiſſe: Μελέαγρος δὲ ὁ Οἰνέως ἀνωτέρω μὲν, ἢ ὁ Οἰλέως Αἴας, ἐστὶν ἐν τῇ γραφῇ· ἔοικε δὲ ὁρῶντι ἐς τὸν Αἴαντα· τούτοις πλὴν τῷ Παλαμήδει γένειά ἐστι τοῖς ἄλλοις. *Aliquanto ſuperior loco eſt, quam Aiax, Oenei filius Meleager. Is Aiacem intueri videtur. Cum barba ceteri. Solus Palamedes imberbis.*

De ritibus funerum a Iohanne Kirchmanno adeo accurate, diligenter, copioſeque libro ſingulari diſputatum eſt, ut ſatis hic eſſe poſſit eoſdem indicare. Amictum mulieris, quae demiſſis capillis defunctum ſubſequitur, pullam eſſe pallam puto, quam etiam Romanae, cum cadaver efferre-

(*a*) De ea vid. Ovid. *Metamorph.* lib. VIII. verſ. 538

(*b*) Id. ibid. verſ. 530.

(*c*) Loc. cit.

(*d*) Propert. lib. III. eleg. 21. v. 32.

(*e*) Ad lib. III. *Aeneid.* verſ. 593.

(*f*) *Phocic.* lib. X. cap. 31.

efferretur, induere ſolebant; *Ut dum ſupra terram eſſet*, inquit Varro (*a*), *riciniis lugerent funere ipſo, ut pullis pallis amictae*. Troianas quoque mulieres incomptis, ſolutiſque crinibus funeri Polydori adfuiſſe ſcribit Virgilius (*b*).

Vaſe autem, quod alia mulier dextera manu geſtat, unguenta, quae in accenſum rogum profundebantur, contenta fuiſſe cenſendum eſt: quemadmodum in funere Miſeni, ut ait Virgilius (*c*):

. . . . congeſta cremantur
Thurea dona, dapes, fuſo crateres olivo.

Praeclare de eodem ritu ad Etruſcum Statius (*d*):

. . . . tu largus Eoa
Germina, tu meſſes Cilicumque, Arabumque ſuperbis
Merge rogis; ferat ignis opes heredis, & alto
Aggere miſſuri nitido pia nubila caelo
Stipentur cineres.

Is ritus in XII. Tabulis *ſumptuoſa reſperſio* (*e*) appellabatur, quem Romani a Graecis acceptum maximis, ac intolerabilibus pene ſumptibus ſervabant. Nero in funere Poppeae, teſte Plinio (*f*), plus cinnamomi, caſſiaeque conſumpſit, quam quantum omni in Arabia quoque anno gigneretur.

Iam tertia mulier ſuos divellit, diſcerpitque manibus capillos, horum in rogum immittendorum, atque ex more una cum corpore concremandorum cauſſa: idque factum ab Achille in Patrocli funere fuiſſe, etſi comam Sperchio fluvio dicarat, Homerus (*g*) prodidit. Sed & Phaedra necem Hippolyti plorans, apud Senecam ſic loquitur (*h*):

Placemus umbras: capitis exuvias cape,
Laceraeque frontis accipe abſciſſam comam.

Similis eſt arae rogus, ſeu pyra, ut vides; ita enim conſtrui ſolebat. *Pyram dicit*, ut ait Servius (*i*), *quae in modum arae conſtrui lignis ſolebat*. Corporum autem urendorum ritus, ut vetus imprimis Scholiaſtes Homeri ſcribit, Hercules inventor fuit. Ex Graecia, ubi mirum in modum vigebat, idem ritus Sylla auctore Romam manavit. Nam is, cum Caii Marii ſitas reliquias apud Anienem diſſipari iuſſiſſet, timens fortaſſe, ut ait Cicero (*k*), ne idem ſuo corpori poſſet accidere, primus e patritiis Corneliis igni voluit cremari. Deinde communiter, ac diutius, quam nonnulli exiſtimant, Romae corpora incendi conſueverunt. Calpurnius enim Quadratus Sectianus Alexandro Severo Imperatore Proconſul fuit, ut conſtat ex inſcriptione urnae via Latina olim effoſſae, in qua eius cineres condebantur, inter quas etiam numiſma Alexandri eiuſdem repertum fuit. Immo

(*a*) *De vit. Pop. Rom.* lib. III. inter Varron. fragm. pag. 66.
(*b*) *Aeneid.* lib. III. verſ. 65.
(*c*) *Aeneid.* lib. VI. verſ. 224.
(*d*) *Silvar.* lib. III. carm. 3. v. 33.
(*e*) Cic. *de legib.* lib. II. cap. 24.
(*f*) Lib. XII. cap. 18. ſect. 41.
(*g*) *Iliad* lib. XXIII. v. 140.
(*h*) *Hippolyt.* verſ. 1176.
(*i*) Ad verſ. 177. lib. VI. *Aeneid.*
(*k*) *De legib.* lib. II. c. 22. Vid. Plin. lib. VII. cap. 54. ſect. 55.

Immo ex rogo in averſa numiſmatis Cornelii Salonini parte impreſſo licet colligere, cremandorum cadaverum morem etiam poſt Alexandri ipſius aetatem aliquamdiu viguiſſe.

Poſt rogum vir inclinato corpore fornaculam igni ſuccendit; cui fornaculae caldarium in modum catini, ſeu potius ollae ſuperpoſitum videtur, calefaciendae quidem aquae cauſſa ad lavandum cadaver, aut manus eorum, qui oſſa legiſſent; quem ritum Tibullus praeſertim memorat (*a*).

Duobus canibus, quos iuvenis ille colligatos numellis retinet, defunctum deditum fuiſſe venationibus indicari initio diximus. Iam iniici in rogum eae quoque res ſolebant, quae antea iucundae, grataeque mortuo fuerant, ac ſi eiuſmodi *donis ſepulcralibus*, ut aiebant, oblectaretur. Quid ni igitur in rogum canes una cum venatoris heri corpore iniiciendos dicam? Id vero a Bellorio quoque in laudatum anaglyphum Barberinum animadverſum fuit. Coniici praeterea poſſet colligatos retineri, ne amore erga herum ſeſe ipſi in rogum proiiciant, ut de canibus Ieronis, & Lyſimachi Plinius (*b*), & Plutarchus (*c*), deque aliis Dion (*d*), & Aelianus (*e*) teſtantur. Sed de hoc anaglypho ſatis: quod etſi impolitum, rudeque ſit; fatendum eſt tamen praeſtare rebus, quas exhibet, ordineque figurarum.

(*a*) *Carm.* lib. III. eleg. 2. v. 15. Vid. Kirchman. *de funer.* lib. III. cap. 6.

(*b*) Lib. VIII. cap. 40. ſect. 61.

(*c*) *De ſolert. animal.* pag. 970.

(*d*) Lib. LVIII. cap. I.

(*e*) *Hiſt. animal.* lib. VI. cap. 25., lib. VII. cap. 40., lib. XI. cap. 13., & alibi.

EXPLI-



Jo. Caſsini In.

EXPLICATIO
TAB. XLI.

AEſculapius, & Hygia illius filia (*a*) hoc in anaglypho, ut ſentio, repraeſentantur. Magna quidem exſtant nummorum, atque inſcriptionum copia, in quibus utriuſque Numinis imagines, & nomina coniuncta exhibentur; proditumque a Pauſania (*b*) memoriae poſterorum fuit, Aeſculapii ſimul, & Hygiae ſimulacra in pleriſque fanis exſtaſſe, ut exſtabant Romae a Nicerato inſculpta, in aede Concordiae, teſte Plinio (*c*). Hygia dextero brachio columnae incumbit, & ſerpens ad eius pedes cernitur, ut in omnibus vetuſtis monumentis, veluti eiuſdem proprium inſigne. Contra Hygiam ſedet vir ſiniſtra manu volumen, ni fallor, tenens, & videri poteſt cuiuſquam medici figura, qui coram eadem Dea Salutis de arte ſua cogitat, quaſi cum ea loquatur. At ſimilius eſt veri Aeſculapium (*d*) eſſe

Ἥρωα παντοδαπᾶν ἀλκτῆρα νόσων.
Qui omnia morborum genera propulſat.

Namque maiorem ſignorum partem, quibuſcum veteres ſcriptores Aeſculapii ſpeciem exprimi conſueviſſe tradunt, ea in imagine perſpicimus: ſenilem aetatem, prolixam, & ſpiſſam barbam, pallium, calceamenta Graeco more, quae crepidae appellabantur. *Ipſum hoc pallium*, inquit Tertullianus (*e*), *moroſius ordinatum*, *& crepidae CRETATAE graecatim Aeſculapio adulantur*. De barba Aeſculapii notiſſimum eſt impotens Dionyſii tyranni Siracuſani iuſſum. Is enim auream ſtatuae Aeſculapii Epidaurici barbam abradi

(*a*) Vid. Tom. III. Tab. XXVIII., & XXIX.
(*b*) *Corinthiac.* lib. II. cap. 4. 11. & 23.
(*c*) Lib. XXXIV. cap. 8. §. 19.
(*d*) *Pythior.* od. 3. v. 13.
(*e*) *De pallio* cap. 4. pag. 8. edit. Pamel.

abradi voluit : quod, ut aiebat, haud decorum eſſet barbatum videre filium Aeſculapium, non autem huius patrem Apollinem (*a*). Hunc in quoque fano imberbem occurrere. Quamobrem Minutius Felix in Octavio ſuo (*b*) ethnicorum Numina irridens ait : *Aeſculapius bene barbatus, etſi ſemper adoleſcentis Apollinis filius*. Fatendum eſt tamen, nonnulla monumenta exſtare, in quibus imberbis Aeſculapius quoque cernitur, ut in nummo Pergamenſi Caracalla, & Geta Imperatoribus cuſo apud Spanhemium (*c*); & in gemma, quae ſervatur in Muſeo Magni Ducis Etruriae a Gorio (*d*) vulgata. Phliunte vero, & Sicyone ſtatua Aeſculapii erat imberbis καὶ ἄγαλμα οὐκ ἔχον πω γένεια, ut Pauſanias narrat (*e*). Sed vulgo a veteribus gravis aetas, prolixaque barba, ut praecipue ab Ovidio (*f*), tributa Aeſculapio eſt : unde & Albricus Philoſophus (*g*) eius imaginem ita deſcribit : *Homo quidam cum barba valde prolixa, indutus habitu medici, ſedens*.

Ceterum haud iniuria coniicio, aliquem, qui ſtulte ſe Hygiae, & Aeſculapio debere ſanitatem crederet, iiſdem noſtrum hoc marmor dicaviſſe. Ad rem faciunt perelegantes illi Terentiani verſus (*h*):

Male metuo, ne Philumenae magis morbus adgraveſcat:
Quod te, Aeſculapi, & te Salus, ne quid ſit huius, oro.

(*a*) Cicer. *de nat. Deor.* lib. III. cap. 34.
(*b*) Cap. 21. pag. 205. edit. Iacob. Gronov.
(*c*) *De praeſt., & uſu numiſm. antiq.* Diſſert. 5. cap. 12. pag. 282.
(*d*) *Inſcr. antiq. in Etrur. urb. exſiſt.* T. I. Tab. VI.
(*e*) *Corinthiac.* lib. II. cap. 13.
(*f*) *Metamorph.* lib. V. verſ. 656.
(*g*) *De Deor. imagin.* cap. 20.
(*h*) *Hecyr.* act. 3. ſc. 2. verſ. 2.

EXPLI-



EXPLICATIO
TAB. XLII.

ANaglyphum, de quo hoc loco agimus, rubro in marmore inſculptum [nam marmoribus cuiuſcumque coloris, teſte Plinio (*a*), veteres Sculptores uti ſolebant] votivum eſſe, Hygiaeque, ideſt Saluti Deae dicatum videtur. Editum vero, explicatumque in prolegomenis ad antiqua monumenta a Winckelmannio fuit (*b*). Hygiae ſimulacrum altera manu pateram, altera ſerpentem tamquam inſigne ſui notas tenet. Scribit Phornutus (*c*) non modo Aeſculapio, ſed etiam Hygiae Deae ſerpentem, veluti vigilantiae ſymbolum, dicatum fuiſſe. Nam *vigilantia ad tuendam ſalutem aegroti maxime apta eſt*; quod medicamenta, niſi opportune dentur, aegroto non proſint. Quare Ovidius ait (*d*),

Temporis ars medicina fere eſt : data tempore proſunt.

Praeterea in ſerpente, ut ait Plinius (*e*), *ineſſe remedia multa creduntur, & ideo Aeſculapio dicatur*. Sed Macrobius plane docet (*f*), ſerpente ſignificari poſſe vires, quas ii, qui convaleſcunt, recuperant. Nam ſerpens, ut Virgilius habet (*g*):

. . . poſitis novus exuviis nitiduſque iuventa
Lubrica convolvit ſublato pectore terga
Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis.

Aliam quoque huius rei cauſſam commentus eſt Comes Caylus (*h*) aeneam Aeſculapii ϖρότομην explicans, cuius laevo humero inſidens ſerpens neſcio quid in eius aurem dicere videtur; ea tamen cauſſa, quo acutior, eo veri minus eſt ſimilis.

Ante aram mulier diſcincta palla, colligatiſque more virginum crinibus, placentam rotundam dextera manu tenens Deae Hygiae offert. Hac placenta unam ex iis farinae maſſis oleo, vinoque conditis, quae a Polluce (*i*), & Heſychio (*k*) ὑγίειαι ab Hygia Dea nominantur, Winckelmannius repraeſentari veriſimiliter putat. Super aram quoque ſimiles placentae, ſive maſſae exſtant duae; propterea quod, ut ait Virgilius (*l*),

. . . . . *numero Deus impare gaudet.*

Hu-

(*a*) Lib. XXXVI. cap. 7.
(*b*) *Indicazione de' Rami &c.* num. XIII.
(*c*) *De nat. Deor.* cap. 33.
(*d*) *De remed. Amor.* v. 131.
(*e*) Lib. XXIX. cap. 4. ſect. 22.
(*f*) Lib. I. cap. 20.
(*g*) *Aeneid.* lib. II. verſ. 473.
(*h*) *Recueil d' antiquités &c.* Tom. II. p. 277. & 278. Tab. LXXXVII. num. 2.
(*i*) *Onomaſt.* lib. VI. ſegm. 76.
(*k*) In Lexic. v. ὑγίεια.
(*l*) Eclog. 8. verſ. 75.

Huius rei cauſſam affert Servius, inquiens (*a*): *Par namque numerus, diviſibilis, per quod mortalitas ſignificatur; impar autem dividi non poteſt, per quod immortalitas oſtenditur*. At Winckelmannius cingula ſuper aram poſita potius vidit duo, exprimique in anaglypho novae nuptae votum cenſuit; propterea quod virgines, cum nuptui collocarentur, cingulum ſolverent. Quare id cingulum a Catullo (*b*) *zona virginea*, a Poëta vero quodam vetere (*c*) ἅμμα κορείας *vinculum virginitatis*, & a Pindaro (*d*) χαλινὺς παρθενίας *funis virginitatis* appellatum fuit. At ego zonam novarum nuptarum dicatam Hygiae fuiſſe apud veteres auctores legi numquam. Itaque mulierem illam cum placenta, conſidentem ſacerdotiſſam eſſe crediderim munuſculum illud Hygiae offerentem. Nam etſi in Aegypto mulieribus perfungi ſacerdotio nefas eſſet; tamen in Graecia ſaepe, praeſertim virginibus impuberibus, licebat, qualem ſacerdotiſſam aedis Minervae equeſtris, cuius ſimulacrum inter Aeſculapium, & Hygiam medium erat (*e*) Tegeae, fuiſſe accepimus. Romae pariter Veſtales erant virgines. Tertullianus autem tradit (*f*) apud ethnicos ſacerdotiſſas fuiſſe aut virgines, aut unius viduas viri. Quoniam vero nudis haec mulier eſt pedibus, id quoque meam coniecturam comprobat. Namque gentem quidem nullam fuiſſe intelligo, cui Deorum ſimulacra nudis pedibus venerari religio non fuerit. Tali modo Romae matronas ad Veſtae adiiſſe Ovidius ſcribit (*g*): & Florus in bello Gallico (*h*) *Virgines*, inquit, *ex ſacerdotio Veſtae nudo pede fugientia ſacra comitabantur*.

Praeterea vas in ara eſt pallio eiuſdem mulieris ex parte obtectum. Hoc vas eſſe μετανιπτρὶς τῆς ὑγιείας, ideſt *pateram ſalutis* Hygiae, Iovique Salutifero (*i*) conſecratam Winckelmannius arbitratur. Sed alio in loco *pateram*, quam Pollux (*k*) *ſalutem* etiam dixit, eam fuiſſe docet, in qua, ut in pleriſque monumentis conſpicitur, Hygia ſerpenti cibum praebet. Veri hoc eſſe ſimilius haud dubito; cumque patera, quae, teſte Macrobio (*l*), & ipſum eius nomen indicat, *poculum planum, ac patens eſt*, ſacerdotes praeſertim ad res divinas uterentur (*m*); hanc idcirco in Hygiae manu collocatam fuiſſe ſuſpicor, ut colligi inde poſſet, ſalutem donum eſſe Deorum, & à Diis, ut conſervetur, amiſſaque recuperetur, hoſtiis expetendam, potius quam medicamentis, quae ſerpens in altera manu poſitus indicat, fidendum.

Demum quae ſit in anaglypho expreſſa arbor, me latet. Laurum potiſſimum dicatum Aeſculapio fuiſſe intelligo.

(*a*) Ad verſ 78. lib. v. *Aeneid.*
(*b*) Carm. 67. v. 28.
(*c*) Vid. Suid. in v ἅμματα.
(*d*) *Iſthm.* od. 8. verſ. 95.
(*e*) Pauſan. *Arcadic.* lib. VIII. cap. 47.
(*f*) *Ad uxor.* lib. I. cap. 6.
(*g*) *Faſtor.* lib. VI. verſ. 397.
(*h*) Lib. I. cap. 13.
(*i*) Athen. *Deipnoſoph.* lib. XI. cap. 11.
(*k*) *Onomaſt.* lib. VI. cap. 16. ſegm. 100.
(*l*) *Saturnal.* lib. V. cap. 21.
(*m*) Vid. Varron. *de ling. Latin.* lib. IV. p. 31., Virgil. *Aeneid.* lib. IV. verſ. 60., lib. VI. v. 249., & lib. VII. v. 133.

EXPLI-



Jo. Caſsini. Sc.

EXPLICATIO

TAB. XLIII.

HOC pario in marmore, eoque optimo inſculptum monumentum Iuſtus Fontaninius primus omnium vulgavit, *egregiumque anaglyphum*, *& cum rarioribus antiquitatis monumentis iure, & merito comparandum* dixit (*a*). Quod cum ex villa Nuptia prope Hortam auctore Alexandro Albano Cardinali, ut ſuo in Muſeo ſervaretur, exportatum fuiſſet, hinc in Muſeum Capitolinum delatum eſt.

Iohannes Winckelmannius illud iterum aere inciſum edidit (*b*), & Graeco quidem artificio factum fuiſſe fatetur (*c*) : ſed artificio ſecundae claſſis, quod ad artificium, ut is vir eruditus ſomniavit, ſtilumque prope accederet Etruſcorum. Praeterea inſculptam in eo inſcriptionem ΚΑΛΛΙΜΑΧΟΣ ΕΠΟΙΕΙ *Callimachus fecit*, commentitiam eſſe dixit; quod litterae prominentes, ſeu virgatae, non autem inciſae, excavataeque in marmore ſint : quodque Simonides litterae X inventor fuerit, & haec littera ante olympiadem XCIV. non fuerit uſurpata; cum Callimachus tamen praeſtantiſſimus Sculptor, ut Filibienus (*d*) prodidit, longe ante, ſcilicet olympiade LX. floruerit. Demum hoc in anaglypho nihil ſtudioſe, affabreque factum perſpici : contra vero Callimachum adeo ſtudioſum, diligentemque in perficiendis ſtatuis, ceteriſque operibus fuiſſe, ut ſatis numquam feciſſe ſibi videretur, ob eamque cauſſam, teſte Plinio (*e*), *cacizotechnos*, ideſt *ſemper ſui calumniator* nominaretur. Verum imbecilla mihi videntur ad eam rem conficiendam Winckelmannii argumenta. Quos enim Filibienus veteres auctores ſequutus, qui-

(*a*) *De antiquitatib. Hortae* lib.I. c.6. p.117.

(*b*) Ante prolegomena ad opus, cui tit. *Monumenti antichi inediti*.

(*c*) Cap. 4. prolegom. pag. 62.

(*d*) *Hiſt. des Archit.* pag. 22.

(*e*) Lib.XXXIV. ſect.19. §.34.

quibuſque argumentis nixus, Callimachum olympiade LX. floruiſſe defendit? Laudant quidem Callimachum Plinius, Dionyſius Halicarnaſſaeus, Pauſanias, Vitruvius. At ex his colligi qua aetate floruerit, equidem non video. Igitur cum id incertum omnino ſit; haud temere quiſpiam poſt olympiadem XCIV. illum floruiſſe dixerit. Iam vero rationem formandarum prominentium, virgatarumque litterarum uſurpatam iam uſque ab antiquiſſimis temporibus non fuiſſe, itane exploratum cognitumque eſt, ut contra ſentire prudenter, & ſine ulla dubitatione Winckelmannius poſſit? Demum hoc anaglyphum tempore conſumptum eſſe magnam quidem partem nemo eſt, qui non videat; at qui nihil in eo ſtudioſe, diligenter, affabreque perfectum videat, praeter Winckelmannium, eſſe arbitror neminem.

Quatuor in anaglypho figurae ſunt. Harum prima Faunus, aut alius quiſpiam campeſter Deus, reliquae feminae ſaltantes tres, quae illum tamquam alicuius viae, atque itineris ducem ſequuntur. Faunus coronatus, auriculis acutis, fronte bicornis, corpore toto nudus, vultuque ridens hircinam, aut aliam ferinam pellem, quae ei amictui eſt, involutam ſiniſtra manu tenet: dextera vero inſtrumentum paullo inflexum, a Fontaninio *baculum incurvum* appellatum, fortaſſe pedum, aut aliud paſtorale inſtrumentum, quod inflatu ſonum funderet.

Tres mulieres, ut Fontaninius ſcribit, Nymphas eſſe Cuperus putavit; ille autem, cui aſſentior, Bacchas. Ac Bacchas quidem ex illarum genere eſſe arbitror, quae Baſſarides a veſte talari, Baſſari Lydiae oppido texta dicebantur. *Baſſarides*, inquit vetus quidam Scholiaſtes, *Bacchae quibuſdam videntur a genere veſtis, qua Liber pater utebatur, demiſſa ad talos*; eademque de veſte eſt illud Statii:

Si decet aurata Bacchum veſtigia palla
Vertere.

Neſcio quid duae ex his mulieribus manu teneant: at una fortaſſe florem, aut pocillum ſiniſtra, altera cornu potorium dextera: idque in Bacchas, quarum ſaltatio in anaglypho exprimitur, apte cadit. Satis enim conſtat, veteres cornubus belluarum ad potandum uſos fuiſſe, quod Athenaeus imprimis (*a*), Homerique vetus Scholiaſtes teſtantur. Quamobrem, ut arbitror, cornutum artifices quandoque ipſum Bacchum fecerunt, & Ταῦρον Poëtae dixerunt. Nonnus Bacchum deſcribens, eum dicit *laeva tenere cornu dulcis vini plenum*. Exſtat quoque aerea Herculis bibacis ſtatua, in cuius ſiniſtra manu clava, in dextera cornu: tum gemma vetuſta tres Gratias exhibens, quarum duae ſimile cornu potorium geſtant; quod in aliis pleriſque monumentis videtur. Hinc fortaſſe in memoriam veteris huiuſce moris vas illud potorium confectum eſt, quod ad cornu ſimilitudinem proxime accedens in parte arctiori apertum, uti ex Athenaeo colligimus, *ritus* dicebatur (*b*).

Sed potiſſimum inſpicito, qua maieſtate hae mulieres, elegantiaque ſaltant, ut inde quoque antiquo Graeco artificio anaglyphum factum fuiſſe planius

(*a*) *Deipnoſoph.* lib. II. cap. 8. (*b*) Id. lib. II. cap. 16.

planius cognoſcas. Ex imaginibus, quas Graeci artifices expreſſerant, perſpiciendum eſſe Athenaeus docet, quae eſſe debeat ratio & modeſte, & decore ſaltationum habendarum. Docebant autem Graeci puellas manibus quidquam in ſaltationibus retinere: idque in noſtro anaglypho cernitur. Cetera, cum nullius momenti ſint, praetermitto. Id unum addo, verſibus illis, quos Ovidius de ſacris Liberi in Graecia celebratis ſcripſit, res explicari, quae in noſtro anaglypho continentur. Nam habet hoc modo (*a*):

Naiades effuſis aliae ſine pectinis uſu,
Pars aderant poſitis arte, manuque comis.
Illa ſuper ſuras tunicam collecta miniſtrat,
Altera diſſuto pectus aperta ſinu:
Exſerit haec humerum, veſtes trahit illa per herbas:
Impediunt teneros vincula nulla pedes.

Sed ad anaglyphi artificem redeamus. Hunc aut Callimachum fuiſſe aio, aut quempiam veterem Sculptorem, qui eiuſmodi anaglyphi a Callimacho olim elaborati, laudatique a Plinio, exemplum, propter operis praeſtantiam, diligenter perficere conatus eſt. Nam tres in eo ſaltantes Spartanas, affabre quidem, ſed nimio ſtudio operaque, quod in hoc Capitolino anaglypho clare videre mihi videor, expreſſas fuiſſe Plinius memoriae prodidit. Vitruvius (*b*) quoque Callimachum *propter elegantiam, & ſubtilitatem artis marmoreae* ſingulari laude celebratum fuiſſe ſcribit: quorum ſimilia Dionyſius Halicarnaſſaeus habet ita dicens τῆς λεπτότητος ἕνεκα καὶ τῆς χάριτος. Nec quidquam aliud eſt artis *ſubtilitas*, & λεπτότης, ſi interpretari velis, quam perficiendi operis nimium diligens, atque exquiſitum ſtudium. Hoc praeſertim in capillis, in diademate, inque ornatu veſtium trium Baſſaridum clarum, perſpicuumque eſt. Pauſanias vero (*c*), cum ſimulacrum Iunonis, praeclaramque lampadem auream iter per Graeciam faciens vidiſſet: etſi Callimachum eorum operum auctorem κακιζοτέχνον, ut Plinius dixerit, illumque non eſſe cum praeſtantiſſimis artificibus comparandum; tamen ceteris omnibus, quod primus marmora perterebraverit, ingenio praeſtitiſſe teſtatus eſt. In Codice operum Plinii in Bibliotheca regia Pariſienſi adſervato Harduinus *cacotexitechnon* legit, ac ſi Callimachus nimio ſtudio, ac diligentia iam non perfector ſtatuariae artis, ſed pernicies fuerit. Profecto perſpectum exploratumque eſt, eos qui ſpeciem aliquam delineant, aut verſibus exprimunt, iteratis curis, ultra quam ſatis ſit, ſaepe adimere operi venuſtatem, caliginemque veluti offundere. In libris Vitruvii typis editis idem tributum Callimacho nomen legitur, in manuſcriptis autem plerumque *cacatechnos*. Porro capitelli Corinthii Callimachum fuiſſe inventorem Vitruvius tradit, ac demum Plinius, ex nonnullorum ſententia, quoque Pictorem.

Sed ut haec illuſtriora fiant Plinii (*d*) teſtimonium recitandum eſt. *Ex omnibus autem*, inquit, *maxime cognomine inſignis eſt Callimachus, ſemper calumniator ſui, nec finem habens diligentiae: ob id cacizotechnos appellatus, memorabilis*

(*a*) *Faſt.* lib. I. verſ. 405.
(*b*) Lib. IV. cap. I.
(*c*) Lib. I. *Attic.*
(*d*) *Hiſt. nat.* lib. XXXIV. §. 19. cap. 8.

bilis exemplo adhibendi curae modum. Huius ſunt ſaltantes Lacaenae: emendatum opus, ſed in quo gratiam omnem diligentia abſtulerit. Nihil porro aliud ſunt *ſaltantes Lacaenae*, quam Bacchae Spartanae. Statius (*a*), aliique veteres Scriptores produnt, Spartanas feminas fuiſſe pulchritudine eximia, ſingularique venuſtate: Strabo autem (*b*) Taygetum montem, ad cuius radices poſita erat urbs Sparta, Libero, Bacchiſque conſecratum fuiſſe. Similia Servius in eum Virgilii verſum (*c*), ad rem aptum, atque accommodatum:

> . . . . *& virginibus bacchata Lacaenis*
> *Taygeta.*

In monte Taygeto, quem vitibus clarum Theognides tradit, Driadas ſaltare conſueviſſe idem Statius narrat: ibique Bacchi aedes erat, teſte Pauſania (*d*), in quam introire, in eaque ſacrificia facere nemini virorum, ſed mulieribus ſolum licebat. His cognitis, interque ſe nexis veri ſatis eſſe arbitror ſimile, noſtro in anaglypho repraeſentari puellas Spartanas tres, quae tamquam Bacchae ſaltantes Faunum ad Taygetum, ſacrificii in aede Liberi faciendi cauſſa, ſequuntur; anaglyphum vero, ſin minus illud ipſum eſt a Callimacho perfectum, atque a Plinio laudatum, profecto eiuſdem exemplum eſſe egregium, atque antiquiſſimum, cum in Graeca inſcriptione celebris huius artificis nomen legatur.

(*a*) Is *tenues*, Claudian. vero *de bello Getico* verſ. 630 *pulchras puellas* Spartanas vocat. Legeſis quoque Graecum ſcriptorem *de amoribus Erus*, *&* *Leandri*, & Nonnum lib. XLIII.

(*b*) Lib. VIII. pag. 250.

(*c*) *Georg.* lib. II. verſ. 487.

(*d*) Lib. III. cap. 20.

EXPLI-



EXPLICATIO

TAB. XLIV.

QUO tempore, ac loco hoc anaglyphum repertum fuerit, omnino nos latet. Sarcophagi cuiuſdam faciem eſſe arbitror, continetque iconas quatuordecim: quarum poſtremas duas non eſſe incidendas duximus, quod ex marmorato ſint, ac recens adiunctae, ut alteri oppoſito anaglypho aſſimile hoc eſſet. Cuiuſdam autem vix editi in lucem pueruli vita functi, quantum aſſequi coniectura poſſumus, apotheoſim repraeſentat; & tres in eo inſculpti pueri, triplicem eiuſdem pueruli ſtatum exprimunt. In puerulo ad dexteram intuentium, eius video, qua obiit, aetatulam: in altero ad ſiniſtram cuiuſdam adoleſcentis humeris in aëra ſublato, eius apotheoſim; in illo vero, qui in medio inſculptus eſt, aevum, atque felicitatem, qua idem ipſe cum Diis perfruebatur. Iam vero apud ethnicos ſtabilis opinio percrebuerat, pueros a Diis raptos fuiſſe, ut una cum ipſis manerent. Quamobrem eorum apotheoſes non Poëtarum modo carminibus celebrari, ſed etiam in inſcriptionibus memorari, inque monumentis marmoreis, nummiſque exhiberi conſueverunt. In his numerantur argentei illi, aureique Domitiae nummi, pauciſſimi quidem, quos cum imagine filioli ſui vix nati vita functi Domitianus cudi iuſſit. In globo ſtellis undique ornato puerulus ille aſſidet, manibus in caelum ſublatis, ut in noſtro anaglypho puerulus ab adoleſcente in aëra elatus. Iſtiuſmodi nummi plane explicari, illuſtrarique poſſunt ex iis, quae de puerulo Caeſare Domitiano perpetuum cum Diis beato Silius Italicus, & Statius ſcribunt: deque eadem ſuperſtitioſa ethnicorum opinione perſpicua ſunt, quae Heraclides Ponticus in Homericis allegoriis (*a*) habet. Is enim Orionis raptum interpretans animadvertit, Homerum (*b*), ut

(*a*) Inter *Opuſc. Mytholog.* Thom. Gale pag. 492.

(*b*) *Odyſſ.* lib. v. verſ. 121.

ut indicaret illum primo aetatis flore mortuum, ſcripſiſſe ab Aurora raptum fuiſſe; inquit enim: Ἦν δὲ παλαιὸν ἔθος τὰ σώματα τῶν καμνόντων, ἐπειδὰν ἀναπαύσηται τοῦ βίου, μήτε νύκτωρ ἐκκομίζειν, μήθ᾽ ὅταν ὑπὲρ γῆς τὸ μεσημβρινὸν ἐπιτείνηται θάλπος, ἀλλὰ πρὸς βαθὺν ὄρθρον, ἀπύροις ἡλίου ἀκτῖσιν ἀνιόντος· ἐπειδὰν οὖν εὐγενὴς νεανίας ἅμα καὶ κάλλει προέχων τελευτήσῃ, τὴν ὄρθριον ἐκκομιδὴν ἐπευφήμου ἡμέρας ἁρπαγὴν, ὡς οὐκ ἀποθανόντος, ἀλλὰ δι᾽ ἐρωτικὴν ἐπιθυμίαν ἀνηρπασμένου. *Mos autem erat antiquis defunctorum corpora neque noctu, neque circa meridiem efferri, ſed primo diluculo oriente ſole, nec dum ignitos mittente radios. Itaque generoſo quopiam; & formoſo iuvene mortuo, matutinam funeris elationem, fauſti ominis gratia, diei raptum appellabant, tamquam non expiraſſet, ſed amoris deſiderio raptus eſſet.* Ad eamdem puerorum apotheoſim pertinent, quae Svetonius (*a*) de raptis duobus Germanici infantibus narrat: *Habuit*, ait, *Germanicus in matrimonio Agrippinam M. Agrippae, & Iuliae filiam, & ex ea novem liberos tulit: quorum duo infantes adhuc rapti; unus iam pueraſcens, inſigni feſtivitate; cuius effigiem habitu Cupidinis in aede Capitolinae Veneris Livia dedicavit; Auguſtus in cubiculo poſitam, quotieſcumque introiret, exoſculabatur.* Huius infantis imago, ut ſapienter a Rubenio (*b*), atque a Triſtano (*c*) animadverſum fuit, Cupido ille eſt, qui in praeſtantiſſima gemma, exhibente Tiberii apotheoſim, ſervata in theſauro ſacri ſacelli Regis Chriſtianiſſimi freno retinet Germanici in numerum Deorum relati alatum equum. Horum infantium nomina ſilet quidem Svetonius: verum e fundamentis, haec me ſcribente, exaedificatae domus, quae angulum in platea S. Caroli ſecus viam Flaminiam facit, qua propius ad eiuſdem cognominis portam, vulgo nunc dictam *del Popolo*, accedit, forte fortuna cippi lapidei, iique eleganter ſcripti effoſſi ſunt tres, qui duorum ex laudatis infantibus nomina praeſeferunt. Tertii quoque nomen proculdubio haberemus, niſi, quo plane loco illud erat inſculptum, iam corruptus, diſciſſuſque cippus repertus eſſet. Inſcriptiones ipſas hic exhibemus, ut inſuetam praeterea dicendi formulam animadvertas. Non enim ſepulti, ſed cremati tres illi infantes dicuntur: quo confirmatur, illos ſuae tantum praematurae apotheoſeos cauſſa in terris innotuiſſe:

1.	2.	3.
C. CAESAR	TI. CAESAR	. . . . AR
GERMANICI CAESARIS F	GERMANICI CAESARIS F	. . RMANICI CAESARIS F
HIC CREMATVS EST	HIC CREMATVS EST	HIC CREMATVS EST

Pleraeque quoque exſtant inſcriptiones, in quibus pueri *rapti* dicuntur; quod a Diis rapti, ut una cum ipſis viverent, exiſtimarentur: uti exploratum imprimis ex Latina inſcriptione eſt, a Grutero (*d*) primum, deinde caſtigatius a Fabretto (*e*) vulgata. In ea novum eſſe Numen M. Lucceius immatura morte raptus, fingitur. Eamdem ob cauſſam a Nymphis Aſcanii fluvii Hylam raptum fuiſſe Poëtae fabulantur: & Phileſiam nondum bimulam a Nymphis fontis, ut in Graeco epigrammate apud Fabrettum (*f*). Fortaſſis haec, atque ille ſubmerſi perierunt. Verum

(*a*) In vita Caii cap. 7.
(*b*) *Explicat. gemm. Tiber.* in Theſaur. Grev. Tom. XI. pag. 1337.
(*c*) *Comment. hiſtoriq.* Tom. I. pag. 103.
(*d*) *Inſcript.* pag. 1123. num. 7.
(*e*) *Inſcript.* cap. 3. num. 612. pag. 233.
(*f*) *Inſcript.* cap. 3. num. 448. pag. 192.

Verum non eſt opus longiore oratione in hac re explicanda, ſatis enim cognita eſt eruditis viris. De anaglyphi iconibus nunc dicam. Dexter ille puer ex eo quod pannum, ſive velum pone humeros, tamquam arcum teneat, cuius ſimiles in plurimis vetuſtis monumentis imagines Deorum conſpiciuntur, deſtinatus apotheoſi iam inde ab ortu videtur, idque ex ceteris quoque iconibus colligitur. Faſciam, qua pectus cingitur, eſſe nobilis generis pueri inſigne exiſtimo. His de faſciis, ſeu cingulis fortaſſe Svetonius in vita C. Caeſaris Caligulae loquitur, ſcribens (*a*), *poſteriore epulo forenſia inſuper viris, pueris, ac feminis FASCIAS PVRPVRAE, AC CONCHYLII DISTRIBVIT*. Novi equidem, quod Caſaubonus (*b*): nonnullique alii non memorari a Svetonio faſcias pectorales volunt, ſed inſtitas, ſeu panni particulas, ſeu lacinias veſtibus circumſutas; tamen reiiciendam aio non eſſe meam opinionem: propterea quod Statius faſciolas pectorales Glauciae nobili puero attribuat in Epicedio, quod ad Meliorem illius patrem miſit. Scribit autem hoc modo (*c*):

Cum tibi, quas veſtes, quae non geſtamina mitis
Feſtinabat herus? BREVIBVS CONSTRINGERE LAENIS
PECTORA, & anguſta telas arctare lacerna.

Mulier gravis forma prope puerum ſedet, extenditque veluti Dea, retro humeros pannum. Hanc pueri matrem dicerem relatam in illius gratiam in numerum Divarum, niſi florem, fortaſſe papaverem, dextera manu retineret. Igitur eam eſſe potius dicam poſtremam Parcarum. Cuiuſnam generis flos ille ſit, num narciſſus Parcis dicatus, an papaver mortis ſymbolum, cum mors ſit veluti ſomnus, quieſque corporum, cognoſci ex ſculptura non poteſt. Deinde ſtat Diana tum corniculata luna, tum pharetra ornata, quae pannum recidit. Una cum Parcis hoc loco Diana exprimitur; propterea quod ſimul cum Parcis, ut ethnici putabant, parturientibus adeſſet, atque in has, inque harum infantes vitae neciſque haberet poteſtatem. Quamobrem Dianae ex voto conſecrari puerorum veſtes conſueviſſe Scholiaſtes Callimachi (*d*) teſtatur. Pindarus partum Evadnis deſcribens ait (*e*), Apollinis hortatu Dianam Lucinam, atque Parcas illi iam ad pariendum vicinae adfuiſſe: & Antonius Liberalis (*f*) Dianam, & Parcas praeſentes Alcmenae iam parturienti fuiſſe ſcribit, ut diutius doloribus cruciaretur: Μοῖραι, καὶ Εἰλείθυια πρὸς χάριν τῆς Ἥρας κατεῖχον ἐν ταῖς ὠδῖσι τὴν Ἀλκμήνην. *Parcae, & Lucina in Iunonis gratiam Alcmenam parientem in doloribus detinuerunt*. Igitur de fato puerorum eaſdem conſtituiſſe ethnici opinabantur: ut a Graeco Scholiaſte Pindari animadverſum fuit (*g*). En illius teſtimonium: Ὦ Εἰλείθυια παῖ μὲν τῆς μεγαλοσθενοῦς, καὶ ἰσχυρᾶς Ἥρας, πάρεδρε δὲ τῶν συνετῶν Μοιρῶν· τοῦτο δέ φησιν, ἐπεὶ δοκοῦσι περὶ τὸν τῶν ὠδίνων καιρὸν παρεστάναι, καὶ ἐπικλώθειν τὰ τῆς εἱμαρμένης. *O Lucina filia praepotentis, & fortis Iunonis aſſidens prudentibus Parcis. Hoc autem inquit, quoniam videtur eas, dum puerperae doloribus cruciantur, praeſentes eſſe, & leges fatales edicere*. Pauſanias (*h*) de Lucinae templo, quod exſtabat in neſcio quo oppido Clitoriorum, agens tradit, Lucinam a Lucio Ole-

(*a*) Cap. 17.
(*b*) Ibid. in Not.
(*c*) *Sylv.* lib. II. carm. I. v. 128.
(*d*) *Hymn. in Iov.* verſ. 77.
(*e*) *Olymp.* od. 6. verſ. 72.
(*f*) *Metamorph.* cap. 29.
(*g*) *Nem.* od. 7. verſ. I.
(*h*) *Arcad.* lib. VIII. cap. 21.

Olene Delio vetere imprimis Poëta Εὐλινου, *Lanificam* appellatam fuiſſe; quod eadem eſſet Πεπρωμένη, ideſt *vis fati*.

Dianae proxima Parca ſtylobato ſuperpoſitum vas dextera manu retinet; ſiniſtra recens refectum glomum. Vaſe indicari urnam fatalium ſortium vitae, mortiſque hominum puto. Ac uni quidem Parcarum Lacheſis, ideſt *Sors*, nomen erat, cuius in genibus, ut ait Plato (*a*), κλῆρυς τε ϗ βίων παραδείγματα, *ſortes*, & *formae vitarum*. Alia, quae ſequitur Parca net. Verum huius iconis brachia magnam partem apte ac diligenter reſtituta paucis ab hinc annis fuerunt.

In ſiniſtro extremo latere anaglyphi ille adoleſcens humeris puerum ſuſtinens Mercurius ſane eſt, qui ipſum evehit ad Deos. Mercurii enim erat animas aut ad inferos, aut ad ſuperos ducere, ut alibi declaravimus. Illud animadvertimus, a Statio Glauciam puerum induci relatum in Deorum numerum a Mercurio, quo relatus modo noſter hic puer exhibetur. Is enim ſcribit (*b*):

Mox ubi delicias, & rari pignus amici
Senſit, & amiſſi puerum ſolatia Blaeſi,
TOLLIT HVMO, magnaque ligat cervice, diuque
Ipſe manu gaudens vehit.

Elevat puer manus in caelum, quae elatio exprimendae apotheſeos propria ratio eſt. Sic paullo ante vidimus in laudato nummo exprimi pueri Caeſaris Domitiani apotheoſim; & ſic quoque infans Iuppiter in Graeco nummo Traiani a Cretenſibus cuſo exhibetur (*c*).

Medio in anaglypho Iuppiter, dextera manu fulmen geſtans, ſedet: cuius ſiniſtro genu puer nudus innititur. Puerum Dea ſequitur Iuno, circumſtantque Iovem Venus ſiniſtra manu pomum ferens, & Pallas galeata, aegideque induta, atque capulum gladii dextera diſtringens. Illum puerum iam in caelo beatum hoc loco repraeſentari, qui dubitet eſſe arbitror neminem. Nuditate corporis ab aliis duobus pueris diſtinguitur; propterea quod in requietis, atque innocentiae regno, qualem fingi oportebat Deorum ſedem, collocatus fuerit: innititur autem genu Iovis, ſignificandi ſingularis amoris cauſſa, quo maximus Deorum ipſum complexus rapuerat, ut ſecum perpetua in tranquillitate vitam degeret. Demum tres Iovi circumſtantes Deas poſitas in anaglypho fuiſſe a Sculptore ſuſpicor, ut puero, aut illius parentibus aſſentaretur. Conſiderare enim in Iunone maieſtatem licet, in Venere pulchritudinem, idque ex pomo etiam, quod geſtat, colligitur, & in Pallade ſapientiam, aut potentiam. Quid? fortaſſe is erat, non impolite quidem exſculptus, filioli Caeſaris Domitiani ſarcophagus. Sed temere hoc a me ſcriptum habe. Satis eſt mihi huiuſmodi meam ſuſpicionem protuliſſe. Non enim audeo, quae hac mihi de re in mentem veniunt, coniecturas proferre: cum minime iis aſſentiar veterum monumentorum inveſtigatoribus, atque declaratoribus, qui ſaepe, ut nihil eos praeterire, ſed omnia ſibi cognita, atque explorata eſſe oſtentent, incredibili ſane confidentia ſuas coniecturas, aut potius, quae vigilantes ſomniarunt, viſa, tamquam veras, compertaſque rerum notitias venditant. Enimvero plurima docte quandoque, eruditeque permiſcent, ſed quae vix, ac ne vix quidem ad monumentum, de quo agunt, pertinent.

(*a*) *De Rep.* lib. x. Tom. II. Op. pag. 617. edit. Iohan. Serrani.

(*b*) *Sylv.* lib. II. carm. I. verſ. 200.

(*c*) Triſtan. *Commentar. hiſtor.* To. II. p. 253.

EXPLI-



EXPLICATIO
TAB. XLV.

ANaglyphum Tab. XLV. aere inciſum inſpicienti mulier laureata ſedens, lyramque ſeptem chordarum pulſans, & felis ſubſultans, ſpeculanſque anates duas arboris trunco ſuſpenſas, occurrunt. Quod etſi perſpicuum eſt; tamen difficilem explicatum habet. Fortaſſis, niſi mea me fallit opinio, integrum marmor quatuor anni tempeſtatum ſymbola exhibebat, & in hoc fragmento hiems repraeſentatur.

Anates imprimis illae duae, & ager deſertus, & arbor ſine frondibus me, ut id coniiciam, monent. In multis enim vetuſtis monumentis anas, tamquam hiemis ſymbolum, exprimitur, aut quod aſſidue natet [quam ob cauſſam & aquae ſymbolum apud veteres (*a*) quandoque fuit] aut quod futurum ventum pluviamque praeſentiat (*b*). Itaque in celebri Kalendario Romano [quod fere anno Chriſtianae aerae 354. ſcriptum, figuriſque ornatum Viennae in bibliotheca Caeſarea ſervatur, vulgatumque primum ab Aegidio Bucherio, deinde accuratius a Lambecio, aliiſque fuit] November, & Februarius menſes picti cum anate conſpiciuntur: deque Februario Auſonius, aut quicumque alius ſit auctor teſtraſtichorum, quibus imago cuiuſque menſis deſcribitur, ita habet:

Quique paludicolam prendere gaudet avem.

In abſide quoque ſepulcri Naſonum, in qua eleganter pictae quatuor anni tempeſtates exhibentur, hiems ſenex ille eſt, qui arundinem paluſtrem, eamque frondoſam, uti proprium inſigne, manu retinet; contra quem Nympha

 foliis

(*a*) Vid. *Pict. vet. in crypt. Rom.* Tab.xx.
(*b*) Plin. lib. xviii. cap. 87., Theophraſt. *de ſignis pluv.*, *&* *vent.* pag.112., & *de ſignis vent.* pag.118.

foliis arundineis coronata anatem amplectitur, aliamque ſiniſtra geſtat. Eadem hiemis ſymbola ſunt in ſarcophago a Boldetto (*a*) edito, in quo quatuor anni tempeſtates a totidem Geniis repraeſentantur. Praeterea ſimiles Genios cum anate, hiemis indices, cernere licet in ſarcophagis *Tabulae LXXIX.* libri inſcripti *Admiranda*, & *Tab. XV. Tom. I. Romae ſubterraneae* edit. nov. cum declarationibus cl. Iohan. Bottarii, nec non in eo, qui Florentiae in Muſeo Baronum Del Nero adſervatur, & in alio qui exſtat Piſis, inque eo, quo frontem ſuarum *Obſervationum in vetuſta vitra* Bonarrotius ornavit.

Igitur cum idem Bonarrotius (*b*) aeneum quoddam ſimulacrum alati Genii, quod exſtat in Muſeo Carpineo, nunc Vaticano, hiemem praeferre putaverit, proptereaquod anatem complectitur; cumque alii quoque eruditione, doctrinaque praeſtantes viri de Genio in gemma inſculpto, quia anatem ſiniſtra manu retinet (*c*), idipſum tradant: fas quoque nobis ſit coniectura perſequi, hoc in anaglypho Capitolino hiemem exprimi; quae anni tempeſtas ad ſe oblectandos commeſſationibus, ludiſque vel ipſos agricolas invitat, atque illectat. Quare Virgilius in primo *Georgicorum* libro inquit (*d*):

Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur,
Mutuaque inter ſe laeti convivia curant:
Invitat genialis hiems, curaſque reſolvit.

(*a*) Lib. II. cap. 12.

(*b*) *Oſſervazioni ſopra alcuni Medaglioni antichi &c.* pag. 426.

(*c*) Vid. Maff. *Gem. ant.* Par. IV. num. 58.

(*d*) *Georg.* lib. I. verſ. 300.

EXPLI-



EXPLICATIO
TAB. XLVI.

COrruptum iniuria temporis, confuſumque adeo eſt hoc veteris anaglyphi fragmentum, ut nullum de eo probabilis coniecturae indicium afferre me poſſe fatear; dubitemque an illud etiam acres diligenteſque Graecarum, & Romanarum antiquitatum inveſtigatores percipiant. Accedit, quod cum recens non minimam partem marmorato inſtauratum ſit, vel ex hoc ipſo difficiliorem habet explicationem. Satius igitur erit illud deſcribere, quam in eo declarando otium, operamque conſumere.

Collis radices abluit, ut vides, fluvius, cui vel pontis, vel alterius aedificii arcus imminent ſex, in quorum unum cum navicula traiicit piſcator ſedens, geſtanſque plenum, fortaſſe piſcibus, complicatum rete. Exſtat in navicula ad pedes piſcatoris cadus, eique adhaeret remus. Inſpicito nunc hominem ſtantem in medio aquarum, qui truci, ac terribili aſpectu malum minitari piſcatori videtur. Fluvialis ille fortaſſe, aut marinus eſt Deus, qui aquas perturbat, aut procellam excitat; quod colligi ex aſpectu minaci, & praeſertim ex ſtatura eminenti praeter naturam poſſe exiſtimo: aquis enim vix genu tangitur. Nonne Deos fluviales, atque marinos ex aquis emerſiſſe fingere Poëtae conſueverunt? Inſtar omnium ſit Virgilius, qui de Neptuno ſic ſcribit (*a*):

. . . . . graviter commotus, & alto
Proſpiciens ſumma placidum caput extulit unda.

In eo quo diximus colle caprae ſunt duae, & arbor, & columna ſtriata, eique ſuperpoſitum vas, & non longe a columna canis. Praeterea aedicula cum columellis duabus eius fronti ſuppoſitis, & intra limen ſtylobata cum vaſe, & ſcypho. Exhiberi ſacram aediculam cuipiam fortaſſe Numini tute-

(*a*) *Aeneid.* lib. I. verſ. 130.

tutelari agrorum dicatam, auctor Indicis Capitolini non immerito cenſet: ſed falſo adiicit complura exſtare aedificia circum aediculam. Unica in marmore inſculpta domus cernitur, quae praetermiſſa eſt ab eo, qui monumentum delineavit; propptereaquod nimis confuſe, impolite, imperiteque conſtituta videbatur. Quod vero ſacra quaedam aedicula in hoc anaglypho exhibeatur, colligi ex corona inſculpta in aedificii fronte plane poteſt. Nam ſimilibus coronis ornari frontes templorum a veteribus conſueviſſe conſtat. Quare Pali Deae dicatam aediculam exprimi ſuſpicor: quod Pales prae ceteris a paſtoribus coleretur, ut gregibus ſalubria, & copioſa paſcua daret, morboſque ab iis procul pelleret. Porro cum Pali ſacrificium lacte fieret, ut Tibullus (*a*), & Ovidius (*b*) teſtantur; ad forem aediculae ara cum cotyla, & praefericulo cernitur. Vas autem illud coronatum ſtriatae ſuperpoſitum columnae, quoddam eſſe ſuſpicor votum, ſeu oblationem Pali pro incolumitate, proſperitateque gregis factam. Similia enim vota colendorum, & propitiandorum Deorum cauſſa inſculpta in vetuſtis monumentis intuemur. Igitur maxime veriſimile eſt, Pali vaſa lactis poſita fuiſſe; quemadmodum Libero in agris oſcilla, ſeu perſonae, Dianae in ſilvis primitiae venationum, aliaeque res aliis Numinibus ponebantur. Quod ſane ex ornatu noſtri vaſis colligimus. Nam coronatum eſt: coronari autem oblata Diis ſolebant, eaque variis, interque ſe diſcrepantibus coronis diſtinguebantur. Complura apud veteres Auctores de huiuſmodi ſuperſtitione teſtimonia leguntur, quae praetermittimus hoc loco, ne de re ſatis explorate cognita copioſius, quam neceſſe ſit, dicamus. Unum, quod ad ſacrificia, quae fiebant in agris, pertinet, Tibulli proferimus (*c*):

Tunc operata Deo pubes diſcumbet in herba,
Arboris antiquae qua levis umbra cadit:
Aut e veſte ſua tendent umbracula ſertis
Vincta: coronatus ſtabit & ante calix.

Canes quoque, tamquam vigiles, & cuſtodes gregum in Palis tutela erant; cuius rei indicandae cauſſa, ut veri eſt ſimile, in anaglypho prope columnam canis reſpiciens aediculam repraeſentatur. Sane Ovidius ita Palem Deam deprecatur (*d*):

Pelle procul morbos, valeant hominesque, gregeſque,
Et valeant vigiles, provida turba, canes.

(*a*) Lib. I. eleg. 1. verſ. 16.
(*b*) *Faſtor.* lib. IV. verſ. 746.
(*c*) Lib. II. eleg. 5.
(*d*) *Faſtor.* lib. IV. verſ. 763.

EXPLI-



Jo. Cassini. Inc.

EXPLICATIO
TAB. XLVII.

BAcchum Iovis, ac Semeles filium, Iovis eiuſdem iuſſu huc illuc a Mercurio fuiſſe aſportatum, dum infans adhuc eſſet, tradunt Poëtae, ut Iunonis iram occultatus effugeret. Hinc alii in urbe Nyſa, alii in Parnaſſo, in Naxo quidam, in Cithe-rone nonnulli, & ſunt etiam qui in Aegypto, clam nutritum eſſe dicunt, eique nutrices vel Horas, vel Nymphas, vel Hyadas aſſignant. Ego vero Nonni auctoritate fretus Bacchi nutricem fuiſſe Rheam dicam, ſatis enim mihi valere puto teſtimonium Poëtae, qui Dionyſiaca multis libris complexus eſt, ac de Baccho ex profeſſo cecinit. Quare pene totam huius marmoris explanationem non ab alio repetam auctore. Itaque Mercurius, Panopolitano Poëta teſte (*a*), in Rheae cuſtodiam Bacchum puerum tradidit: Rhea vero traditi ſibi pueri curam libenter ſuſcepit (*b*):

Τὸν δὲ θεὰ κομέεσκε, καὶ εἰσέτι κοῦρον ἐόντα
Ἅρματος ὠμοβόρων ἐπιβήτορα θῆκε λεόντων.
Hunc vero Dea nutrivit, & adhuc puerum exſiſtentem
Currus crudivororum rectorem fecit leonum.

At Bacchus, quamvis eſſet infans, mira edidit ſuae virtutis ſpecimina; nam lynces, pantheras, tigres, leones, urſos, quae ſunt ferocis naturae animalia, familiares habuit (*c*):

Θαμβαλέη δὲ γέλωτι γεγηθότι δέρκετο Ῥείη
Ἠνορέην καὶ ἄεθλα νεηγένεος Διονύσου.
Admirabunda vero viſu lato intuebatur Rhea
Fortitudinem & pugnas modo geniti Bacchi.

Por-

(*a*) Lib. IX. verſ. 153. (*b*) Ibid. verſ. 160. (*c*) Verſ. 180. ibid.

Porro:

Εὔιος ἀρτιτέλεστον ἔχων παιδήϊον ἥβην,

Evius iam perfectam habens puerilem aetatem,

ut verbis utar eiuſdem Poëtae (*a*), ex aula magnae Deae profectus eſt cum ſuo comitatu; & id in hoc marmore, ut opinor, ſpectandum proponitur. Equidem ſcio ſemper iuvenem ex confirmata apud gentes opinione fuiſſe Bacchum, unde Ovidius cecinit (*b*):

. . . . Tibi enim inconſumpta iuventus,
Tu puer aeternus, tu formoſiſſimus alto
Conſpiceris caelo:

ſed hic effingitur adultae aetatis puer, & ut de eo canit Nonnus (*c*):

Ἱμερόεις ἅτε κοῦρος ἔχων ἀχάρακτον ὑπήνην

Amabilis tamquam puer non habens ſignatam barbam;

& ſupra currum ſedens comparet, & iam ad maiora capeſſenda paratus videtur. Hinc oculos retro convertit, quaſi terrae, & nutricis, quas poſt ſe relinquit, tangatur deſiderio.

Delicatum caput exornant non compti, ſed ſponte fluentes, atque intonſi capilli, quales iuveni Deo conveniunt; quamvis ſaepe cincinnatus occurrat, bene enim comatus eſt Bacchus: unde ἀβροκόμης, & εὐχαίτης, & εὐρυχαίτης paſſim dictus eſt. Circa autem ipſum caput in modum coronae ſinuatus intenditur peplus, divinitatem Bacchi opinor oſtendens; ita enim paſſim Dii, Deaeque occurrunt a Poëtis, & in antiquis monumentis deſcripti.

Sellae, cui inſidet Deus, νεβρὶς ut videtur inſtrata eſt; ipſe enim nullo alio indumento & ornatu, quam ferarum pellibus, ut plurimum uti ſolebat. Nebrides autem erant hinnulorum damarumque pelles, quibus tota etiam Bacchi familia utebatur. Hinc Euripides (*d*), quae Bacchi cultorem deceant ſic enuntiat:

Θύρσους ἀνασείειν, καὶ νεβρῶν δορὰς ἔχειν,
Στεφανοῦν τε κρᾶτα κισσίνοις βλαστήμασιν.

Geſtare thyrſos, & hinnulorum pelles habere,
Et coronare capita hederaceis germinibus.

Ac thyrſum quidem ſiniſtra tenet idem Bacchus, quem eſſe haſtam hederae frondibus veſtitam etiam alibi monuimus, ita ut recte laudatus Euripides (*e*) κίσσινον βέλος *hederaceum telum* thyrſum vocaverit, quod Nonnus ſaepe apertius declarat, ac praeſertim (*f*), ſic de Baccho loquens:

Χειρὶ δὲ κέντορα θύρσον ἐελμένον οἴνοπι κισσῷ
Δεξιτερῇ κούφισσεν· ἐπ' ἀκροτάτῳ δὲ κορύμβῳ
Χαλκοβαρὴς πετάλοισι κατάσκιος ἦεν ἀκωκή.

Manu vero pungentem thyrſum involutum nigricolore hedera
Dextra levavit, in ſummo vero corymbo
Aere gravis, ſed foliis inumbratus latebat mucro.

Centau-

(*a*) Lib. IX. verſ. 184.
(*b*) *Metamorph.* lib. IV. verſ. 17.
(*c*) Lib. XLV. verſ. 121.
(*d*) *Bacch.* verſ. 176.
(*e*) Loc. cit.
(*f*) Lib. XIV. verſ. 243.

Centaurorum bigis trahitur currus : ſaepe autem in nummis , aliiſque antiquis monumentis Bacchus ita deductus cernitur, ut poſt Bonarrotium (*a*) in *triumpho Bacchi* , fuſe demonſtrat Spanhemius (*b*) , qui etiam ea omnia late perſequitur , quae circa hoc fabuloſum monſtrorum genus dici poſſunt. Ac Centauros quidem ἱπποκενταύρους , & ἱππανθρώπους recte vocarunt Graeci, ut quas in eis videmus hominis & equi coalitas naturas , una etiam vocis compoſitione denotarent, eo quod Centaurus unum eſſet animal ex duobus conflatum, & mixtum . Mirum autem non eſt inter comites & aſſeclas Bacchi Centauros videre , utpote temulentos, & feros . Ac Nonnus quidem exercitum Bacchi deſcribens inter commilitones etiam Centauros enumerat (*c*) , & eiuſdem exercitus impedimenta recenſens Centaurorum naturam & officium ad rem noſtram ſic deſignat (*d*) :

Καὶ λασίην κένταυρος ἔχων φρίσσουσαν ὑπήνην
Εἰς ζυγὸν αὐτοκέλευστος ἑκούσιον αὐχένα τείνας,
Καὶ σατύρων πολὺ μᾶλλον ἔχων πόθον ἡδέος οἴνου,
Ἡμιτελὴς χρεμέτιζεν ἀνὴρ κεκερασμένος ἵππῳ,
Ἱέμενος Διόνυσον ἑοῖς ὤμοισιν ἀείρειν.
Et hirſutam Centaurus habens horrentem barbam
In iugum per ſe incitatus voluntariam cervicem extendens ,
Et ſupra Satyros habens deſiderium dulcis vini
Semiperfectus hinniebat vir commixtus cum equo
Deſiderans Bacchum ſuis humeris portare .

Sed hic imberbes ſunt Centauri , & Baccho aetate ſuppares ; quod opinor meam ſententiam confirmat, pubeſcentem in hoc marmore repraeſentari Bacchum : totum enim eius famulitium prima iuventa floret, & ut decet iuvenem Deum iuvenis chorus comitatur .

Ex duobus Centauris unus dextera leonem , inſtar canis , deducit manſuetum ac cicurem , cui prope adſtat lynx blande adſultans ac luſitans ; quibus beſtiis a Baccho condocefactis eius Numinis potentia deſignatur. Hinc obvium eſt Bacchum videre cum leonibus , pantheris , & tigribus, quibuſcum adhuc infans ludebat ,

Σμερδαλέαις γενύεσσιν ἀταρβέα δάκτυλα βάλλων,
In eorum horrendas fauces manus iniiciens ſecurus ,

ut ait Nonnus (*e*).

Idem vero Centaurus ſiniſtra ferulam tenet , quam eſſe Baccho propriam alibi monuimus ; cuius rei teſtis eſt quoque luculentus Plinius (*f*) dicens : *Ferulae aſinis gratiſſimae ſunt in pabulo .... qua de cauſſa id animal Libero patri aſſignatur , cui & ferula* . Atque hanc eſſe veram cauſſam facile concedam Plinio , cum melior forſan non ſuppetat aliunde . Sed illud ego non patiar, quod nonnulli docti viri faciunt, ut ferula cum thyrſo confundatur ;

(*a*) *Oſſervazioni ſopra alcuni Medaglioni &c.* pag. 428.
(*b*) *De praeſt. Numiſm.* Tom. I. pag. 278.
(*c*) Lib. xiv. verſ. 143.
(*d*) Ibid. verſ. 264.
(*e*) Lib. ix. verſ. 195.
(*f*) Lib. xix. cap. 56.

datur ; aperte enim, ut mihi videtur, ſcriptores, antiquis monumentis adſtipulantibus, a thyrſo ferulam diſtinguunt. Thyrſum fuiſſe haſtam iam ſatis probatum eſt : ferulae vero varius erat uſus ; nam primum recipiendo, & conſervando igni, quem in nocturnis orgiis nemora & ſilvas facibus colluſtrantes circumferebant Bacchae, accommodatae erant : quod probat Euripides (*a*). Hinc πυροκοίταν νάρθηκα *ignem ſervantem ferulam*, habito opinor ad Prometheum reſpectu, qui Heſiodo teſte ignem Iovi furatus ἐν κοίλῳ νάρθηκι *in cava ferula* abſcondit, dixit Phanias in veteri epigrammate, quod vide in Kuſtero apud Suidam in voce κίρκον. Nimis autem longum eſſet proferre ex Nonno hoc ipſum comprobantia teſtimonia. At communior uſus ferulae inter Bacchi famulos erat ad ebrios ſuſtentandos, ne caderent, quare bacilli loco habebatur. Rationem autem tradit idem Plinius (*b*) ferulam ſic deſcribens : *Nulli fruticum levitas maior ; ob id geſtatu facilior, baculorum uſum ſenectuti praebet*. Recte autem ebrios, cum eos, quod ad effoetas corporis vires pertinet, cum ſenibus comparare poſſis, quamvis in utriſque diſpar ſit imbecillitatis cauſſa. Concordat Nonnus, qui γηροκόμον *ſenum adiutricem* ferulam ſaepe vocat. Hinc Amor in Silenum converſus (*c*):

Θύρσον ἔχων. καὶ στικτὸν ἐπὶ χροῒ δέρμα καθάψας
Γηροκόμῳ νάρθηκι δέμας στηρίζετο βάκτρῳ.

Thyrſum habens, & variam indutus corpore pellem
Senum adiutrice ferula corpus fulciebat pro baculo.

Hinc ναρθηκοφόρος γέρων *feruligerus ſenex* a Philoſtrato (*d*) dictus eſt Silenus. Neque ab hac ſententia diſcedit Plutarchus (*e*), quamquam ferulam appellat telum ; ait enim, τὸν νάρθηκα τοῖς μεθύουσιν ἐνεχείρισε, κουφότατον βέλος, καὶ μαλακώτατον ἀμυντήριον, ὅπως, ἐπεὶ τάχιστα παίουσιν, ἥκιστα βλάπτωσι ; *ferulam Bacchus, ebriis tradidit, leviſſimum telum, & molliſſimum defenſionis inſtrumentum, quia cum ferulae celerrime feriant, quam minimum laedant*. Erat autem profecto in manu ebrii ferula, quod in ſene baculus ; aperte enim Diodorus Siculus (*f*) dicit Bacchum, quod homines immodico vini potu furentes vidiſſet, καταδεῖξαι νάρθηξι χρῆσθαι, καὶ μὴ ξυλίναις βακτηρίαις, *pro ligneis ſcipionibus ferularum uſum introduxiſſe*. At noſter Centaurus neque ad corporis fulcimentum, neque ad ignem eliciendum, ſed ad ornatum opinor tantum, quod ea eſſet inſigne Bacchi, ferulam geſtat. Hinc quaſi frondeſcens, viridiſque cernitur, qualem Euripides ipſi Baccho attribuit νάρθηκα εὔθυρσον *ferulam inſtar thyrſi bene ornatam*. Itaque etiam ex hac nota ſe addictum Baccho profitetur.

Atque alter quoque Centaurus ferulam ſiniſtra tenet, cuius extremitate amphoram vinariam dorſo elevatam ſuſtinet. Nihil autem magis obvium eſt, quam in Bacchanalibus videre Faunos, Satyroſque vaſa vinaria deportantes ;

(*a*) *Bacch.* verſ. 145.
(*b*) Lib. XIII. cap. 43.
(*c*) Lib. XI. verſ. 353.
(*d*) *Icon.* lib. I. cap. 19.
(*e*) *Sympoſ.* lib. VII. quaeſt. 10.
(*f*) *Bibl.* lib. IV. pag. 250.

tantes ; unde Nonnus (*a*) inter impedimenta exercitus Bacchi ait fuiſſe multos, qui ſuper humeros

Νέκταρος ἀμπελόεντος ἀνύφισαν ἀμφιφορῆας.

Nectaris vitei elevabant amphoras.

Prope Bacchum adſtat vir longa haſta, & galea munitus, quem e Corybantum ducibus unum eſſe plane non dubito, vel Pyrrhicum, vel Idaeum, vel Lycum, qui in Indica expeditione, Nonno auctore (*b*), Bacchum ſequuti ſunt. Recte autem Corybantum unus tamquam cuſtos datus eſt Baccho, qui eodem Nonno teſte (*c*), apud magnam matrem Rheam

Πατρῴαις κομιδῇσιν ἀέξετο Κορυβάντων.

Paternis curis crevit Corybantum.

Ante Centauros incedit geminas tibias inflans puer, quem eſſe Ampelum inſignem forma iuvenem, cuius amore deperiit Bacchus, facile eſt coniicere ex iis, quae fuſe a Nonno narrantur (*d*). Ita enim formam Ampeli Poëta deſcribit, ut hunc eſſe puerum, qui hic expreſſus apparet, non videatur dubitandum. Baccho fuit Ampelus adeo carus, ut eo abſente maerore conficeretur ; ſed tum erat cariſſimus, cum (*e*) admotis ad os tibiis

Οἰδαλέῃ φύσημα παρηΐδι λεπτὸν ἴαλλε.

Tumenti flatum maxilla tenuem emittebat.

Bacchus enim multum eo ſono delectabatur, & canenti puero plaudens (*f*)

Ὤμοσε καὶ Κρονίδην, ὅτι τηλίκον ὑμνοπόλος Πὰν
Οὔποτε ῥυθμὸν ἄεισε, καὶ οὐ λιγύφωνος Ἀπόλλων.

Iurabat & Saturnium, quod tam bene cantor Pan
Numquam rhythmum cecinerit, nec ſuaviſonus Apollo.

At geminas tibias, quas puer inflat, eas eſſe quas Phrygias vocant, a feſtis magnae matris ad Bacchi feſta cum ceteris Cybeles inſtrumentis ſacris translatas, plane mihi certum eſt ex Euripidis teſtimonio (*g*). Hinc Nonnus ſemper δίδυμον, δίοπον, δίχροον, διδυμόχροον duplices tibias in ſuis Dionyſiacis commendat. Ceterum quoad Bacchi, & Rheae in ſacris myſteriis communionem ſpectat, videndus omnino eſt Strabo (*h*), qui ex Pindaro, aliorumque Poëtarum teſtimoniis id confirmat.

Bacchicae pompae, ac totius agminis dux eſt Baccha, vel Baſſaris tympanum pulſans, & pede terram quatiens, non tamen lymphata, & inſano furore correpta, quod erat ſolemne iis, qui ſacris operabantur Bacchi, ſed Deo fere plaudens eunti, & ante ipſum ſereno ac feſtivo vultu exſultans, atque tripudians. Baſſaridum unam eſſe dico, a genere veſtis ad talos uſque defluentis, qua ipſe Liber pater utens dictus eſt *Baſſareus*, quod eam veſtem Thraces *baſſarim* vocarent. Tympanum autem eſſe inſtrumentum, quod haec ſaltatrix femina verſat, & pulſat, ſexcenta veterum monumentorum, ac Poëtarum teſtimonia declarant, quae videſis apud Sponium (*i*). Perperam autem tympanum cum cymbalo quoſdam confudiſſe

 evinci-

(*a*) Lib. XIV. verſ. 255.
(*b*) Ibid. verſ. 38.
(*c*) Lib. IX. verſ. 168.
(*d*) Lib. X. & XI.
(*e*) Ibid. verſ. 231.
(*f*) Lib. XI. verſ. 151.
(*g*) *Bacch.* verſ. 126.
(*h*) Lib. X. pag. 719.
(*i*) *Miſcellan. ant.* pag. 21.

evincitur ex Nonno, qui ſaepe utraque haec inſtrumenta adeo diſerte diſtinguit, ut nulla iam poſſit ſupereſſe difficultas. Ac cymbala quidem erant quaſi duae ſcutellae ex aere, quae manibus comploſae, atque alliſae gravem tinnitum edebant, unde a Nonno dicuntur (*a*):

Κύμβαλα χαλκεόνωτα, Κυβηλίδος ὄργανα Ῥείης.
Cymbala aereo dorſo munita, Cybeleidis organa Rheae.

Tympana vero erant rotunda quaedam inſtrumenta ex diſtenta in orbem pelle compacta, quae a τυπτεῖν, quod *manu pulſarentur*, dicta ſunt, quemadmodum ea deſcribit idem Nonnus ſaltantem noſtrae ſimilem Baccham ita exhibens (*b*):

Ἄλλη δ' ἐν παλάμῃσι κατάσχετος ἅλματι λύσσης
Χερσὶ περικροτέουσα βαρύβρομα νῶτα βοείης.
Alia vero in manibus detenta ſaltu furoris
Palmis circumpulſat graviter ſtrepentia terga bubuli corii.

Quod ipſum paucioribus verbis expreſſit apud Euripidem chorus (*c*):

Βυρσότονον κύκλωμα τόδε
Μοι Κορύβαντες εὗρον.

Hunc diſtento corio rotundum orbem
Invenerunt mihi Corybantes.

(*a*) Lib. x. verſ. 387. (*b*) Lib. xiv. verſ. 350. (*c*) *Bacch.* verſ. 124.

EXPLI-



Jo. Cassini Sc.

EXPLICATIO
TAB. XLVIII.

BRevem eſſe, quam vivimus in terris, vitam, periculiſque omni aetate, & ubique, etiam cum dies iucunde hilariterque degimus, plenam, Circenſes ludi hoc in ſarcophago inſculpti oſtendunt. Quatuor in eo bigas a totidem alatis Geniis agi vides, & alatos item Genios equo nudo currere; duos vero lapſos humi iacere, alium prolapſis equis, bigiſque ſubverſis praecipitem cadere. Praeterea Genium aurigam metae propiorem, eoſque, qui hunc proxime ſequuntur, perterrefactos retroſpicere, ac ſi monere quartum aurigam vellent ne progrederetur, veriti ne ſocii prolapſi equorum pedibus, bigiſque premerentur. Nam quartus, cum poſtremus ſit, agitare impenſe, omnique niſu equos ad currendum videtur.

Meta initio curſus poſita non eſt inſculpta, ſed ſolum illa, quae ſtabat in adverſa parte ſpinae Circi. Ambae tamen editae menſae repraeſentantur, in quibus ſigna cuiuſque gyri collocabantur. In una pro ſignis adhibebant delphinos in honorem Neptuni (*a*),

. . . . . . cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti;

in altera autem ova in memoriam ovi Ledae, ex quo nati Caſtor, & Pollux, equorum ille domitor praeſtantiſſimus, hic luctationibus inſignis. De iis Horatius (*b*):

Dicam & Alciden, pueroſque Ledae,
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem;

(*a*) Virgil. *Georg.* lib. I. v. 12.

(*b*) Lib. I. od. 12.

atque alibi (*a*):

Caſtor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis.

Quoties igitur perfectus erat circuitus, toties a Circi miniſtris cum delphinus, tum ovum ex iis, quas memoravimus, menſis auferebatur. *Nec illud putatur irritum*, ſcribit Caſſiodorus (*b*), *quod metarum circuitus ovorum exceptionibus exprimatur*. Id autem praeſtabat, ne turbae in populo de iam peractorum gyrorum numero excitarentur. Porro hac de re cautum eſſe ab Agrippa cum Aedilis eſſet an. U. C. 721. ſcribit Dion (*c*); ex quo tamen haud colliges eius moris auctorem fuiſſe Agrippam, ſed geminata fuiſſe ab Agrippa ea ſigna, ovis nempe addendo delphinos: ovorum quippe ponendorum conſuetudo, Livio (*d*), & Varrone (*e*) teſtibus, longe ante invaluerat. Praeterea Dionis teſtimonium certiores nos facit, laudato Agrippae inſtituto recentius eſſe noſtrum anaglyphum. Iam vero cum ſeptem ova in ſarcophago inſculpta ſint, ac delphini totidem, argumento eſt exprimi priorem gyrum; quod ſeptem, non amplius, gyris Circenſes ludi perficerentur: cumque dextrorſum curſus initium eſſet, inque meta primi gyri tandem concluderetur, medium prioris gyri ſpatium hos Genios percurriſse intelliges (*f*).

Aurigabant autem curſores plurifariam, bigis, trigis, quadrigis, nec non aliquando ſex, ſeptem, decem iugis (*g*). Sed bigae Lunae dicatae ceteris praeſtitiſſe videntur (*h*). In noſtro ſarcophago revera quadrigae ſunt quatuor, trigae nullae; ſed in exemplo a nobis edito, indiligentia quidem eius, qui illud aere incidit, nonnullae ſunt trigae, quas Iſidorus auctor eſt Diis inferis ſacratas fuiſse, illiſque ſignificari & infantes, & adoleſcentes, & ſenes mori. Equo illi tertio, qui ſimul cum duobus equis curruum aequaliter currit, minime phalerato inſidens curſor, aeque ac auriga, equos eiuſdem currus ad quamceleriter currendum, vincendumque agitabat. Is equus, non ſecus ac etiam eques, κέλης a Graecis, quod ſaepe apud Pindarum vocabulum legitur, dicebatur, a Latinis vero *ſingularis*. Nec deerat in his etiam equis ſingularibus myſterium, cum dicati Caſtori, & Polluci eſſent, ſignificarentque vitae hominum in terris curſum. *Namque unuſquiſque noſtrum*, inquit praelaudatus Iſidorus (*i*), *curſum huius vitae peragit, atque pertranſit, aliique eodem, & diverſo tempore per unam tantum viam mortalitatis ad propriam metam mortis*. Vocabulo eodem κέλης, Scholiaſte quodam Graeco interprete (*k*), ſignificatur equus ille deſultorius, quem Itali *cavallo da ſella*, Latini vero equum ephippiatum dicunt. Ephippiatum inquam equum, quod plerumque illi ephippiato inſidemus: quamquam revera ſit deſultorius, ut in veteribus monumentis exhiberi equi ſolent.

Neque vero in hoc ſolum marmore Genii aurigae in Circo videntur, ſed in aliis etiam anaglyphis, quorum nonnulla exempla aere inciſa exſtant apud Panvinium; addique iis poſſunt urna ſepulcralis, quae in pinacotheca regia

(*a*) Lib. II. ſat. I.
(*b*) Var. III. ep. 51.
(*c*) Lib. XLIX. §. 43.
(*d*) Lib. XLI. cap. 32.
(*e*) *De R. R.* lib. I.
(*f*) Vid. Fabrett. *de col. Traian.*
(*g*) Sveton. in vita Neron.
(*h*) Tertullian. *de ſpectac.*
(*i*) Iſidor. *Etym.* lib. XVIII. cap. 38.
(*k*) Vid. Scheffer. *de re vehicular.* cap. II., & Bulenger. *de Circ.* cap. 57.

regia Magni Ducis Etruriae ſervatur, editaque a Gorio (*a*) fuit: & urnae operculum Romae in aedibus Principum Corſiniorum, a Lupo (*b*) laudatum, editumque aere inciſum in opere inſcripto *Roma ſotterranea*; atque urna Principum Barbarinorum a Fabretto illuſtrata (*c*). Quam vero ob cauſſam inſculptae fuerint in ſarcophagis tales Geniorum imagines, haud conſtat. Fortaſſe, ut iucundius intuentibus artificium eſſet: aut quod nobilium adoleſcentium in iis cadavera condenda: aut ad exprimendum eum Genium, *cuius in tutela, ut quiſque natus eſt, vivit*, ut Cenſorini (*d*) utar verbis, copioſeque Ammianus (*e*) declarat; & qui mortuos quoque in elyſiis ſequebatur, teſte Virgilio (*f*), ubi cecinit:

> . . . . *quae gratia currûm,*
> *Armorumque fuit vivis, quae cura nitentes*
> *Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.*

Puto autem fortaſſis ex eiuſmodi anaglyphis Aelio Vero in mentem veniſſe, ut frequenter vellet curſores ſuos alatos, moreque Cupidinum veſtitos in Circo currere, eoſque nominibus Ventorum appellari. *Curſoribus ſuis*, inquit Spartianus, *Cupidinum alas frequenter appoſuit, eoſque ventorum nominibus ſaepe vocitavit; Boream alium, alium Notum, & item Aquilonem, aut Circium, ceteriſque nominibus appellans.*

Iamvero uberiori, ut videtur, explicatione hoc noſtrum anaglyphum non indiget; de Circenſibus enim ludis iam multi, atque hi quidem doctiſſimi viri ita copioſe ſcripſerunt, ut hoc loco de illis proponere non modo alienum, ſed etiam ſupervacaneum foret. Sed hi omnes Corippi verſus Circum deſcribentes in medium afferunt e confuſis, mendoſiſque editionibus deſumptos, & idcirco opportunum eſſe arbitror hoc quoque loco eoſdem inſerere meliori a me ordine digeſtos, & emendatos in ea, quam recenter vulgavi cum variorum notis huius Latini Poëtae, quem iure poſtremum eorum dixeris, qui elegantia, dicendique ubertate praeſtiterunt, editione. Sic igitur Corippus in poëmate *de laudibus Imp. Iuſtini minoris* Circum deſcribit (*g*):

> *Solis honore novi grati ſpectacula Circi*
> *Antiqui ſanxere patres, qui quattuor eſſe*
> *Solis equos quadam rerum ratione putabant,*
> *Tempora continui ſignantes quattuor anni,*
> *In quorum ſpeciem ſignis, numeriſque, modiſque*
> *Aurigas totidem, totidem poſuere colores:*
> *Nam viridis verni, campus ceu concolor herbis,*
> *Pinguis oliva comis, luxu nemus omne vireſcit:*
> *Ruſſeus aeſtatis, rubra ſic veſte refulgens,*

Ut

(*a*) *Inſcript. antiq. in Etrur. exſtant.* Par. III. pag. 91.
(*b*) *In epitaph. S. Severae M.* pag. 57. & 58.
(*c*) *De columm. Traian.*
(*d*) Cap. 3.
(*e*) Cap. 14. lib. XXI.
(*f*) *Aeneid.* lib. VI. verſ. 653.
(*g*) Lib. I. verſ. 314. ad verſ. 333.

Ut nonnulla rubent ardenti poma colore:
Autumni venetus, ferrugine dives & oſtro,
Maturas uvas, maturas ſignat olivas:
Aequiparans candore nives, hiemiſque pruinam,
Albicolor; viridi ſocius coniungitur una.
Et fecere duas ſtudia in contraria partes,
Ut ſunt aeſtivis brumalia frigora flammis.
Ipſe ingens Circus, plenus ceu circulus anni,
Clauditur in teretem longis anfractibus orbem,
Amplectens geminas aequo diſcrimine metas,
Et ſpacium mediae, quo ſe via pandit, arenae.

EXPLI-



Io. Cassini Sc.

EXPLICATIO

TAB. XLIX.

SCribit Livius (*a*), quod anno U. C. 567., ante aeram Chriſtianorum 186. Spurio Poſtumio Albino, & Q. Mario Philippo Coſs., cum Bacchanalia, nocturna nempe ſacra in honorem Bacchi, ubi omnia infanda, omneque libidinum, atque corruptelarum genus agebantur, a Graeco ignobili in Etruriam invecta Romam ante non multo penetraſſent: ea labe detecta, Senatuſconſulto cautum fuit, ne qua Bacchanalia Romae, neve in Italia eſſent. Hoc Senatuſconſultum in aerea tabula inſculptum in effodiendis fundamentis aedium, neſcio cuius nobilis viri, repertum eſt ſaeculo ſuperiore in Aprutio una cum pleriſque fragmentis columnarum, baſium, aliorumque varii generis ornatuum; & nunc ea tabula, quam Matthaeus Aegyptius eruditiſſimo commentario locupletatam vulgavit, in Bibliotheca Caeſarea Viennenſi ſervatur. Verum, etſi iure huius graviſſimi decreti, Conſulumque, ac reliquorum Magiſtratuum ſtudio de initiatis ad Bacchi myſteria ſupplicia ſumerentur; non multo poſt tamen, cum natura homines proni ſint in libidinem, Bacchanalia reſtitui coepta tantam vim obtinuerunt, ut templa Baccho, ſtatutis etiam ſacris, quae Orgia dicta fuerunt, publica auctoritate dedicarentur. De Orgiis Romam primum invectis ita Servius in eos Virgilii verſus (*b*)

Daphnis & Armenias curru ſubiungere tigres
Inſtituit, Daphnis thiaſos inducere Bacchi,

ſcripſiſſe videtur: *Hoc aperte ad Caeſarem pertinet, quem conſtat primum ſacra Liberi patris tranſtuliſſe Romam*. Itaque in pleriſque marmoreis monumentis inſculptae Bacchi pompae Romae conſpiciuntur. Sed eius rei haec quoque fuit

(*a*) Lib. xxxix. cap. 8.

(*b*) Eclog. v. verſ. 29.

fuit cauſſa ; quod ethnici infernorum etiam imperium Bacchum obtinere exiſtimarent : & quod Bacchanalibus expiari animas pene neceſſarium, aut ſaltem perutile eſſe comminiſcebantur (*a*).

At de ſacris Bacchi ſaepe iam egimus, ac deinde agemus; quod complures in Muſeo Capitolino ſarcophagi exſtent, in quibus eaſdem ob cauſſas ludi, ſaltationes, & ſacrificia Bacchica exhibentur. Igitur his ſilentio praetermiſſis ſolummodo de ſimulacris, quae in hoc anaglypho conſpiciuntur, hoc loco proponemus.

Primum ſimulacrum exhibet Baccham ſaltantem prope aram cum igne ad ſacrificia, & quae ſiniſtra manu thyrſum tenet humero ſuperimpoſitum. Pone hanc Baccham, inque altera anaglyphi pene extrema parte inſculpta arbor in agris fieri Bacchanalia, ac praeſertim temporibus vindemiarum, conſueviſſe oſtendit (*b*).

Deinde Faunus ſiniſtra manu leonem ſedentem delinit, cuius leonis dorſo accubans Silenus, dextera ſuperpoſita capiti, ſiniſtra vino plenam cotylam tenet; medio autem in anaglypho Bacchus hedera, aut racemis uvarum coronatus, tenenſque ſiniſtra racemum, dextera thyrſum, leaenae inſidet. Hanc currentem Baccha antegreditur ſaltans, tympanumque pulſans, & Satyrus pedum ſiniſtra, & coriaceum cingulum dextera geſtans, quo de cingulo in Bacchanalibus uſurpato alio loco egimus. Bacchus eſt omnino nudus, ſed Satyrus cum nebride ex ſiniſtro humero pendente, quemadmodum etiam ſequens Faunus, qui leaenae caudam aut iocans, aut feram ut exſtimulet ad curſum, attollit.

Sequitur hunc Faunum vir barbatus ſaltans, geſtanſque dextera elata baculum, ſiniſtra vero, comprehenſis anterioribus cruribus, pullum cervae ſiniſtro humero impoſitum. Is vir, facie, veſtituque paſtor, collo, cinguloque ſuſpenſa, non ſecus ac in extremo anaglypho ſaltans puer, nonnulla tintinnabula gerit. Exſtat apud cl. Fabrettum (*c*) Graecum epigramma de puero Bacchi myſteriis initiato, illudque ſepulcrali in marmore inciſum; cuius monumenti quatuor anguli totidem Bacchi ſymbolis, quorum unum tintinnabulum, ornabantur. Huius ſymboli declarandi gratia Bacchantis marmorei ſimulacri, quod tunc in villa Sacchettia ad vallem, ut nunc eam vulgo vocant, inferni exſtabat exemplum aere inciſum cum tintinnabulis ante pectus novem, iiſque trifariam apte diſtributis, idem Fabrettus (*d*) vulgavit. Laudat autem ſimiles imagines duobus in ſarcophagis Orgia Bacchi exhibentibus expreſſas, quorum unus in Muſeo Reginae Svecorum, alter in hortis Farneſiorum Tranſtiberim ſervabatur. Iam vero vetera complura tintinnabula, in Bacchanalibus fortaſſe uſurpata, Bonannius (*e*) edidit. Praeterea lamina tintinnabulis ſeptem in gyrum ornata apud Bellorium (*f*), huiuſque ſimilis ſeptem annulis, & unico tintinnabulo inſtructa apud Begerum (*g*), inſtrumenta Bacchanalium, ni fallor, fuerunt. Erraſſe autem Hiero-

(*a*) Vid. Serv. ad lib. II. verſ. 389., & lib. I. verſ. 166. *Georg.*
(*b*) Ariſtoph. *in Ran.* verſ. 328.
(*c*) *Inſcript. antiq.* cap.4. pag.425.
(*d*) Ibid. pag. 249.
(*e*) *Muſ. Kircher.* claſſ.5. Tab. LVIII.
(*f*) *Lucerne antiche* Par. II. num.23.
(*g*) *Theſaur. Brandemburg.* Tom. III. pag.401.

Hieronymum Mercurialem (*a*) exiſtimo, qui circulum cum ferreis dentibus, annuliſque, quorum unus cum tintinnabulo, trochum, quo veteres ludebant, dixit. Nam huius inſtrumenti exemplum a Pyrrho Ligorio Mercurialis accepit. Tradit vero Ligorius, illud in vetere ſarcophago Poëtae cuiuſdam comici, ſeu ſatyrici prope Urbem in via Tiburtina reperto, expreſſum fuiſſe. Quid? Nonne Bacchicum inſtrumentum ad Poëtam comicum, ſive ſatyricum, aptius congruit, quam trochus? Sed ut ea, quae ad certitudinem videntur propius accedere, proferamus, in ſacris Cybeles, atque Bacchi ethnicos tintinnabulis uſos fuiſſe, Priapi nonnulli Muſei Herculanenſis (*b*) cum tintinnabulis expreſſi, ac tintinnabula duo ſuſpenſa ex pinu in monumento marmoreo (*c*), quod exſtat in aedibus Maximorum, plane oſtendunt. Is fortaſſe mos a Luciano (*d*) commemoratur, ubi ſcribit: apud Syros quemdam ex initiatis bis quoque anno in honorem Bacchi phallum aſcendere, in eoque diebus ſeptem conſiſtere, precarique Bacchum pro illorum incolumitate conſueviſſe, qui & ſcripta, quibus appellabantur, nomina, & multigeneris oblationes apponerent: pulſaſſe autem, dum precabatur, aeneum quoddam inſtrumentum, quo ſtrepitus ederetur. Nam tintinnabulum fuiſſe Magius cenſet (*e*). Stellam quoque illam penſilem, ex cuius radiis undique tintinnabula pendebant, ut videre apud Cauſeum (*f*) licet [quam ſtellam Fuldae a femina, quae S. Bonifacii Epiſcopi, & Martyris ſtudio, eiurata ſuperſtitione in ſocietatem venerat Chriſtianorum, ad unius veri Dei cultum, religionemque deductam fuiſſe nonnulli tradunt] ad Bacchum pertinuiſſe exiſtimo.

Sed etſi unde in ſacra, pompaſque Bacchi tintinnabula manarint, nemo, quem legerim, veterum Scriptorum prodat; veri tamen eſſe arbitror ſimile, a Moſaica lege ducta fuiſſe in ſuperſtitionem ethnicorum. Hi enim Bacchum eumdem eſſe, ac Deum Hebraeorum ſibi finxerunt, teſte locuplete Plutarcho (*g*); qui & Hebraeorum ritibus, caeremoniiſque coli Bacchum conſueviſſe oſtendere conatur. Iam vero Moſes unius verique Dei Hebraeorum iuſſu, in extrema parte tunicae Aaronis ſacerdotis tintinnabula de auro puriſſimo per gyrum poſuerat, ut cum ille ea tunica indutus in ſanctuarium ſuo munere perfuncturus introiret, ex agitatis tintinnabulis ſonus, atque harmonia ederetur (*h*). Illud etiam animadvertendum eſſe videtur: Indos, ut Suidas tradit (*i*), tympano cum multis interque ſe diſcrepantibus tintinnabulis intus clauſis uſos fuiſſe. Hinc enim aſſequi coniectura poſſumus ductum eſſe potius in ſacra Bacchi tintinnabulorum ritum, ut Indica Bacchi victoria in memoriam revocaretur.

Exploratum denique eſt, in quovis ſanctificationis, purificationiſque ritu *πρὸς πᾶσαν ἀφοσίωσιν καὶ ἀποκάθαρσιν*, ut ait Theocriti Scholiaſtes (*k*), adhibita

(*a*) *De arte gymnaſt.* lib. III. cap. 8.
(*b*) Tom. VI. Tab. XCVI.
(*c*) Cauſ. *Muſ. Rom.* ſect. 4. Tab. VII. num. 2. Vid. Montfaucon. *Antiq. expliq. ſupplem.* To. III. Tab. LVIII. num. 2.
(*d*) *De Dea Syria* §. 28. 29. Tom. III. Oper. pag. 475.
(*e*) *De tintinnab.* cap. 7.
(*f*) *Muſ. Rom.* ſect. 4. Tab. VIII. num. 16.
(*g*) *Sympoſiac.* lib. IV. quaeſt. 5. pag. 671.
(*h*) *Exod.* cap. 28. v. 33., & cap. 39. v. 23.
(*i*) In v. *τύμπανον*.
(*k*) Id. II. verſ. 36.

vulgo fuiſſe tintinnabula : idque ob ipſum in omnibus quoque Cabiricis, Corybanticis, Bacchiciſque myſteriis, quae, ut Clemens Alexandrinus (*a*) animadvertit, ſola luſtratione perficiebantur. Huius autem ritus, laudato Theocriti Scholiaſte auctore (*b*), id erat cauſſae; quod ἀπελαστικὸν τῶν μιασμάτων *contaminationum expulſor* aeris ſonitus credebatur.


Inſidentem capro poſt Liberum currenti Baccham nunc inſpicito. Neminem latet Baccho dicatum, immolatumque praecipue caprum fuiſſe, quod morſu plurimum noceat vitibus : unde Servius (*c*) : *Libero*, inquit, *ubique caper immolatur, quia vites, quae in honore ipſius fuerant, ab eo comeſtae ſunt. Iratus Liber pater eum occidi fecit, & ei tolli utrem, in quo mitti vinum fecit pro eius vindicta.* Expreſſum autem hic fuiſſe reor non modo indicandarum omnium belluarum Baccho dicatarum cauſſa, ſed etiam ceu hoſtiam mactandam in ara, quam in anaglypho inſculptam videmus. Baccha illa capri alterum cornu ſiniſtra manu apprehenſo nititur, dextera cornu potorium geſtat; quo de vaſe, deque eiuſdem in ſacris Bacchi uſu alio loco egimus. Subtus caprum, atque leaenam cernuntur ciſtae myſticae inverſae duae, ex quibus baſſareus ſerpens proſilit, aliaeque res ſuperſtitioſae incluſae decidunt.

Poſtremi in anaglypho ſunt Satyrus, ſive Pan, & Faunus, uterque nebride ex humero pendente, uterque ſaltans, tibiaſque, ut mos erat in thyaſis Bacchi, inflans. Id, & alia complura hoc loco expreſſa exhibebantur in pompa Bacchi in aulaeo, ſive ſtragulo, ſive pulvinari, quo Pelei, & Thetidos thalamus ornabatur, acu mirifice picta. In ea pompa (*d*)

Multi rauciſonis efflabant cornua bombis,
Barbaraque horribili ſtridebat tibia cantu.

(*a*) *Protrept.* pag. 50. &c.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Ad *Virgil. Georg.* lib. II. verſ. 380.
(*d*) Catull. carm. 64. verſ. 263.

EXPLI-



EXPLICATIO

TAB. L.

APri Calidonios agros vaſtantis caedem varie , eleganterque expreſſam in hoc anaglypho exhiberi primo , ut ita dicam, obtutu intelligitur . Cuius quidem belluae immanem magnitudinem , feritatemque Graeci , Latinique Poëtae carminibus celebrarunt : dentes vero ſumma cura a vetuſtatis ſtudioſis aſſervatos fuiſſe narrant Pauſanias (*a*) , atque Procopius (*b*). Marmoris arcam ad Calidoniam ſilvam , in qua geſta res eſt , indicandam arbores occupant duae , figuraeque ſex multo ingenio , atque artis induſtria circum aprum diſpoſitae : praetereaque venatici canes ſingularis magnitudinis tres , quorum duo toti venationi incumbunt , alter diſruptis viſceribus humi iacet . At binae figuris ceteris praeſtantiores eminent , totamque rem geſtam demonſtrant , formoſus nempe ille vultu , totoque habitu corporis iuvenis , pallio poſt humeros defluente ornatus , iaculumque in ferae dorſum dirigens : adoleſcentula deinde venatrix , quae laxatum arcum ſiniſtra retinens aprum inſequitur , intentiſque oculis iaculati a ſe teli vulnus contemplatur . Meleager ſane ille eſt Oenei Regis Aetolorum filius , qui belluam , ſagitta in eius dorſo infixa , proſtravit , humeroque haſta transfoſſo confecit : haec vero Atalanta , quae prior , ut habet marmor , telo aprum ſub auricula ſauciavit . Haec plane omnia apte adeo in rem noſtram Ovidius (*c*) deſcribit ; ut eius mentem hoc in opere expreſſiſſe artifex videatur . Atalantae habitus , cultuſque is eſt , qualem Dianae venatrici tribui in aeneis , marmoreiſque monumentis cernimus . Sed , ut praecipuas gloriae , praemiique in ea venatione partes Atalantae fuiſſe tributas intelligas , eam ſapienter

(*a*) Lib. VIII.
(*b*) *De bello Goth.* lib. V. cap. 15.
(*c*) *Metamorph.* lib. VIII.

artifex laurea corona redimitam exhibuit. Sane, uti ab Ovidio accipimus, Meleager, qui ob eximiam Atalantae pulchritudinem, venuſtatemque, cum primum eam vidit, captus illius amore fuerat, virginis deinde virtutem, animumque miratus eo vehementius exarſit: ſpoponditque meritos honores eam proculdubio relaturam. Quamobrem proſtrati, necatique apri caput, ac pellem dono Atalantae obtulit: & ita illi praecipuam felicis venationis laudem conceſſit.

At vero iuvenis ille venator humi deiectus, qui manu altera haſta innititur, altera ferae dentibus dilaniatum, ac ſeminecem canem loro revinctum tenet, Telamon forte eſt, qui, ut habet Ovidius, dum aprum perſequeretur, incautus offendit, &

Pronus ab arborea cecidit radice retentus.

Virum autem ſtatu ſui corporis multum roboris virtutiſque oſtendentem, qui contra feram immotus ambabus ſublatis manibus clavam, ſeu potius ſecurim magno niſu librat, ut totus in mediam illius cervicem procumbat, Ancaeum Arcadem dico, cuius audacia, infortuniumque ita ab eodem Ovidio deſcribitur:

Ecce furens contra ſua fata bipennifer Arcas,
Diſcite, femineis quam tela virilia praeſtent,
O iuvenes, operique meo concedite, dixit.
Ipſa ſuis licet hunc Latonia protegat armis,
Hunc tamen invitâ perimet mea dextra Dianâ.
Talia magniloquo tumidus memoraverat ore,
Ancipitemque manu tollens utraque ſecurim
Inſtiterat digitis primos ſuſpenſus in artus.
Occupat audacem, quaque eſt via proxima letho,
Summa ferus geminos direxit in inguina dentes.
Concidit Ancaeus, glomerataque ſanguine multo
Viſcera lapſa fluunt: madefactaque terra cruore eſt.

Occurrunt demum figurae duae, femina ſcilicet curſori equo inſidens, quae haſtam in aprum dirigit: tum vir haſta ſimiliter feram impetens, de quibus praeſtat tacere magis quam veri parum ſimilia proferre. Id proculdubio firmatum Mythologorum conſenſu eſt, apri Calidonii venationi omnes illius aetatis Heroas interfuiſſe.

EXPLI-



Io. Caſſini. Inv.

EXPLICATIO

TAB. LI.

SUmmum veterum Romanorum luxum nulla ex re magis percipi arbitror poſſe, quam ex iis ſpectaculis, quae iam inde a conſtituta Republica maximis ſumptibus, atque ampliſſimo magnificentiſſimoque apparatu exhiberi populo ſolebant. Huic, utpote factioſo, atque bellicoſo, iucundae imprimis erant gladiatorum, ac venationum ferarum ſaevientium pugnae: quae ferae ex omni genere quamplurimae undique conquiſitae Romam ex diſſitis regionibus magno quidem impendio deducebantur. Quandoque illarum inter ſe pugna dabatur, quandoque ad eam aut ſervi, flagitioſique homines adigebantur, aut ſponte nonnulli, oſtendendae ſuae virtutis cauſſa, irruebant.

Iſtiuſmodi venationem, pugnamque ferarum atque hominum hoc in anaglypho expreſſam vides: elephantos, equos, leaenam, leonem, homines; atque ex hominibus nonnullos pugnare, nonnullos occubuiſſe. Vetera complura ſepulcralia, eaque marmorea monumenta, in quibus eiuſmodi venationes, pugnaeque repraeſentantur, Georgius Fabricius laudat; praeclarumque eſt illud, quod in aedibus Ducum Matthaeiorum ſervatur, temporibus Balbini, ut Bellorius cenſet, inſculptum, atque a Petro Sancte Bartolo (*a*) vulgatum. Caius Terentius Lucanus ea ſpectacula primus omnium, ut auctor eſt Plinius (*b*), pinxit. *Pingi*, inquit, *gladiatoria munera*, *atque in publico exponi coepta a C. Terentio Lucano. Is avo ſuo, a quo adoptatus fuerat*, *triginta paria in foro per triduum dedit*, *tabulamque pictam in nemore Dianae poſuit*. Iamvero minime mirandum eſt, multis in ſarcophagis exhiberi. Defunctorum enim memoriae imprimis cauſſa, cum in Graecia, tum

(*a*) *Admirand. Rom. antiquit.* Tab. XXIV.

(*b*) Lib. XXXV. cap. 7.

tum Romae dari coepiſſe veteres complures Scriptores tradunt; quod ethnici, ut Tertullianus teſtatur (*a*), animas humano ſanguine expiari, placarique crederent.

Narrant autem Valerius Maximus (*b*), atque Epitomes Decadum Titi Livii auctor Florus (*c*) anno U. C. 489. Appio Claudio, & M. Fulvio Conſulibus, primum gladiatorium munus a Marco, & Decio Brutis in honorem defuncti patris in foro Boario editum fuiſſe. Auctis deinde Rei Romanorum publicae opibus luxuque, ſaepius ac ſplendidiore apparatu ii committi ludi, exhiberique ea ſpectacula coeperunt. Ac Iulius quidem Caeſar, ut ait Svetonius (*d*), in memoriam Iuliae filiae, uxoris Pompeii, quae puerpera deceſſerat, *munus populo pronuntiavit*, *quod ante eum* [in feminarum funeribus] *nemo*; utque Dion (*e*) prodit, ludum gladiatorium, pugnamque venationum dedit. Sed *tranſiit hoc genus editionis*, inquit Tertullianus (*f*), *ab honoribus mortuorum ad honorem viventium*, *Quaeſturas dico*, *& Magiſtratus*, *& Flamina*, *& Sacerdotia*; ac praeterea ad feſtos Numinum dies, ad victorias, atque triumphos. Ab Athenienſibus, quos primos feſtorum, atque ludorum omnium generum inventores Ariſtides (*g*) appellat, ad ceteras nationes eiuſmodi ſpectacula manaſſe monumentis litterarum Caſſiodorus (*h*) tradidit. Devictis a Manio Curio Dentato Tarentinis, tum primum, inquit Florus (*i*), non ſine ſenſu captivitatis ſummiſſis cervicibus elephantos in triumphum deductos Populus Rom. aſpexit, anno ſcilicet U. C. 482. Quare, ut erudite demonſtravit Spanhemius (*k*), Urſini, & Vaillantii patet error, qui inverſam numiſmatis gentis Ceciliae partem declarantes, poſt fuſos in Sicilia Carthaginienſes, elephantis primum triumphaſſe Metellum exiſtimarunt. Verum, etſi Metellum in ea triumphi pompa alii praeceſſerant; affirmare tamen non dubito, earum belluarum pugnam in Circo ante illum dediſſe neminem. Sane Carthaginienſem victoriam a Lucio Metello an. U. C. 502. in Sicilia partam, Romae in Circo primam ceterarum celebratam fuiſſe centum quadraginta duorum elephantorum pugna Verrius Flaccus apud Plinium (*l*) ſcripſit. Contra vero Feneſtella (*m*) primum omnium Claudium Pulchrum Aedilem Curulem, M. Antonio, & A. Poſtumio Conſulibus, an. U. C. 655. beſtiarum dediſſe in Circo venationem tradit. Deinde Aedile Curule Q. Mutio Scaevola, qui an. 659. U. C. Conſul fuit, prima plurium leonum, tum Sylla Praetore ann. 661. centum pugna. *Leonum ſimul*, ut ait Plinius (*n*), *plurium pugnam Romae princeps dedit Q. Scaevola P. filius in Curuli Aedilitate. Centum autem iubatorum primus omnium L. Sylla*, *qui poſtea Dictator fuit*, *in Praetura*. Utque Seneca ſcribit (*o*), Sylla *primus in Circo leones ſolutos dedit*, *cum alioquin alligati daren-*

(*a*) *De ſpectac.* cap. 12.
(*b*) Lib. II. cap. 4. num. 7.
(*c*) Lib. XVI.
(*d*) In vita Iul. Caeſar. cap. 26.
(*e*) Lib. XXXIX. §. 64. pag. 224.
(*f*) *De ſpectac.* cap. 12.
(*g*) *Panathenaic.* Tom. I. Orat. pag. 107.
(*h*) *Variar.* lib. V. epiſt. 42.
(*i*) Lib. I. cap. 18.
(*k*) *De praeſt.*, *& uſu numiſm.* Diſſert. 4. Tom. I. pag. 181.
(*l*) Plin. lib. VIII. cap. 6.
(*m*) Ib. lib. VIII. cap. 16.
(*n*) Lib. VIII. cap. 7.
(*o*) *De brevit. vitae* cap. 13.

darentur , *ad conficiendos eos miſſis a Rege Boccho iaculatoribus* . Porro etſi cautum Senatuſconſultis ac legibus fuit , ne tanto ſumptu , atque apparatu ludi committerentur (*a*) ; tamen Cn. Aufidius an. U. C. 670. Tribunus plebis, populo Romano, qui mirum in modum iis ludis oblectabatur, rem gratam facturus, ex Africa in Italiam, effraenata quidem licentia , ferociſſimas beſtias leones, pantheras , & leopardos deducendas iuſſit : Domitius vero Aenobarbus , cum eſſet Aedilis Curulis , M. Piſone , & M. Meſſala Conſulibus , an. U. C. 693. , centum venatores Aethiopes in Circum introduxit , qui cum totidem urſis Numidicis (*b*), ideſt , ut doctiſſimi viri interpretantur, leonibus centum pugnarent ; & M. Scaurus an. 696. Aedilis Curulis leones centum quinquaginta, & omnium *primus*, ut ait Plinius (*c*), *eum* [hippopotamum] *& quinque crocodilos Romae Aedilitatis ſuae ludis temporario euripo oſtendit* .

At ceteros in edendis ſpectaculis, cum theatrum dedicaret, Pompeius praeſtitit : quod theatrum templum Veneris victricis Plinius (*d*) , atque Plutarchus (*e*) , aliique veteres Scriptores nominant . Nam ille *veritus* , ut ait Tertullianus (*f*) , *quandoque memoriae ſuae cenſoriam animadverſionem* , *Veneris aedem ſuperpoſuit* , *& ad dedicationem edicto populum vocans* , *non theatrum* , *ſed Veneris templum nuncupavit* , *cui ſubiecimus* , *inquit* , *gradus ſpectaculorum* . Narrat vero Dion (*g*) , tunc, Pompeio una cum Craſſo Conſule ſecundum, praeter multa ſpectacula , ludoſque varii generis , tot editas fuiſſe venationes per dies quinque, ut interfecti ſint leones quingenti : pugnatum quoque cum elephantis quadraginta , ut Chronici Alexandrini auctor ſcribit (*h*) ; ſed alii vetuſtiores , atque veraciores decem & octo numerant, alii vicenos . Elephantos nonnullos in Circo exanimatos : alios vero huc atque illuc oberrantes, ac miſerandum in modum eiulantes ac ſi ſpectatorum imploraſſent fidem : quare populum commoveri, excitare turbas, atque Pompeium devovere coepiſſe . Itaque hos ludos poſt hominum memoriam apparatiſſimos , magnificentiſſimoſque , quales numquam, fuiſſe, Cicero oratione in Piſonem teſtatur ; Plutarchus autem (*i*) , quod plurimae tunc ferae eliſae, exanimataeque ſint, ἐκπληκτικώτατον θέαμα , *maxime horribile ſpectaculum* dixit . Iulius etiam Caeſar nacta aut oblata occaſione ludos plerumque magnificos edidit ; imprimiſque quum , acto Aegyptio, atque Aſiano triumpho, Veneri genitrici , qua ſe prognatum aiebat, aedem dedicaſſet. Nam quo laxius venationes committerentur ampliſſimum amphitheatrum ligneum ad tempus exſtruxit (*k*) .

Sed Octavius Caeſar Auguſtus, ut Svetonius (*l*) ſcribit, *ſpectaculorum & aſſiduitate*, *& varietate* , *atque magnificentia omnes anteceſſit* . Hilari enim propenſoque ad voluptatem animo cum eſſet , *oblectabatur* , ut Aurelius Victor animadvertit (*m*), *omni genere ſpectaculorum* , *praecipue ferarum incognita*

(*a*) Plin. lib. VIII. cap. 17.
(*b*) Plin. ibid. cap. 36.
(*c*) Ibid. cap. 17. & 26.
(*d*) Ibid. cap. 7.
(*e*) In vita Pomp.
(*f*) *De ſpectac.* cap. 10.
(*g*) Lib. XXXIX. §. 38. pag. 208.
(*h*) Pag. 185.
(*i*) In vita Pomp. pag. 647.
(*k*) Dion. lib. XLIII. §. 25.
(*l*) In vita Auguſti cap. 43.
(*m*) *Epitome* cap. 1. pag. 21.

gnita ſpecie, *& infinito numero*. Itaque ſtudioſe, diligenterque curavit, ut venationes cum numero, tum ſpecie incognita ferarum admirationi ſpectatoribus eſſent. Ac de iis quidem vel ipſe Auguſtus in Faſtis ſuis, quos in marmore inciſos Ancyrae repertos (*a*) fuiſſe accepimus, ſcripſit hoc modo: *Venationes beſtiarum Africanarum*, *meo nomine*, *& filiorum meorum*, *& nepotum*, *in circo*, *aut in foro*, *aut in amphitheatris populo dedi ſexiens*, *& vigiens*, *quibus confecta ſunt beſtiarum circiter trecenta millia*, *& quingenta*.

Poſterius etiam aut Caeſarum iuſſu, aut Magiſtratuum populique voluntate, ut illis aſſentarentur, eiuſmodi ſpectacula committi, iiſque celebrari eorumdem natales dies, fauſtique eventus conſueverunt. Praeterea cum dimicandum bello eſſet, venationes ferarum, aut gladiatorum pugnae populo dabantur; propterea quod conſtans multorum, ut animadvertit Iulius Capitolinus (*b*), ſententia eſſet, *apud veteres hanc devotionem contra hoſtes factam*, *ut civium ſanguine litato ſpecie pugnarum*, *ſe Nemeſis*, *ideſt vis quaedam fortunae ſatiaret*; aut potius, eodem Capitolino teſte, ut civium animi neque timere armatos milites, neque abhorrere ab humano ſanguine aſſueſcerent. Nam, ut ait Cicero (*c*), *cum ſontes ferro depugnabant*, *auribus fortaſſe multae*, *oculis quidem nulla poterat eſſe fortior contra dolorem*, *& mortem diſciplina*. Itaque Probus antequam bellum Perſis inferret [quod Vopiſcus (*d*) memorat] in amphitheatro pugnam edidit leonum comatorum centum, leopardorum Libycorum totidem, totidemque Syriacorum, atque leaenarum; urſorum vero trecentorum, atque parium gladiatorum totidem.

Sed de ſpectaculis Romanorum ſatis. Ecquae vero venationis pugna in noſtro anaglypho Capitolino repraeſentetur, cognoſci ne divinando quidem poteſt. Primum in illo locum obtinere elephanti videntur. Elephantum autem, veluti proprium earumdem venationum ſymbolum, in numiſmatibus exprimi conſueviſſe nemo eſt, qui neget, ſi eiuſmodi numiſmata aut in Muſeis ſervata, aut a pleriſque Scriptoribus, atque imprimis a Cupero in tractatu *de elephantis* vulgata conſulat. Apud me quoque argenteum cum elephanto numiſma eſt, in memoriam ſpectaculorum cuſum, quae Titus in dedicatione amphitheatri edidit.

Neque vero mirandum eſt, maxime elephantos in ſpectacula deductos fuiſſe. Nam tum propter eorum paucitatem, & immanem magnitudinem, miramque corporis ſtructuram, tum propter quamdam ſingularem ſagacitatem magno in pretio habebantur. Iuſſis enim ſuorum magiſtrorum obtemperantes quandoque *choreas molles*, ut ait Martialis, in theatro dabant, quandoque funambuli, quandoque pila ludebant, quandoque pocula, ciboſque e menſa, ut in ſpectaculo edito a Germanico, proboſcide diligenter efferebant. Haec admiranda, quae pene incredibilia videntur, a Seneca (*e*), Pli-

(*a*) Tab. I. ad dexteram verſ. 40.
(*b*) In vita Maximi, & Balbini pag. 168.
(*c*) *Tuſcul. quaeſt.* lib. II. cap. 17.
(*d*) In vita Probi pag. 240.
(*e*) Epiſt. 85.

Plinio (*a*), Svetonio (*b*), Dione (*c*), Aeliano (*d*), Martiale (*e*), aliiſque veteribus Scriptoribus, hiſque magnam partem oculatis teſtibus de elephantis tradita monumentis litterarum fuerunt. Ex collo unius elephanti in noſtro anaglypho inſculpti tintinnabulum pendet, ut in elephanto numiſmatis a Hieronymo Magio (*f*) vulgati videre licet; qui Magius idipſum in multis vetuſtis marmoreis monumentis Romae ſe vidiſſe ſcribit. Gisbertus autem Cuperus (*g*) duo numiſmata a Paruta (*h*) vulgata laudat, quae elephantos cum habenis collo cingulo alligatis, ex quo tintinnabulum pendet, exhibent. Huiuſmodi tintinnabulum ornatus fortaſſe erat elephantorum, quemadmodum equorum, aliarumque belluarum: quidni & ad committendam venationem, aut ad illos ſonitu, veluti ſtimulo incitandos ad pugnam, pertinebat? Alter elephantus noſtri anaglyphi hominem, ut vides, proboſcide adoritur; alter vero leaenam interficere videtur. Leo equum, dentibus abrepto collo, peneque exanimato viro ex equo deiecto, dilaniat. Gladiatores, qui inter belluas occurrunt, fere omnes nudi. Eorum nonnulli diſtrictis gladiis pugnant, nonnulli aut iam vita functi, aut ferme exanimes iacent. M. Tullius Cicero (*i*) de ſpectaculis editis a Pompeio ad Marium ſcribens, ita habet: *Sequuntur venationes binae per dies quinque magnificae, nemo negat; ſed quae poteſt eſſe homini politico delectatio, cum aut homo imbecillus a valentiſſima beſtia laniatur, aut praeclara beſtia venabulo tranſverberatur?* Sed barbarum hunc quidem morem vel ab ipſis ethnicis, qui ſapientia, virtuteque praeſtabant, improbatum, multis iam inde ab inſtituta a Chriſto Servatore eccleſia ſaeculis, etſi maiores noſtri, ut exterminaretur, omni ope contenderint, uſque ad Honorium Imperatorem viguiſſe, ex his Aurelii Prudentii ad eum verbis conſtat (*k*):

Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari:

Nullus in urbe cadat, cuius ſit poena voluptas.

Iam gladiator ille, qui extremo in anaglypho tectus pallio, quaſi ſcuto, cum hoſte pugnat, dicere poſſet cum Encolpio apud Petronium (*l*): *Idem & ego ex altera parte feci, & intorto circa brachium pallio compoſui ad praeliandum gradum.* Alius quoque gladiator occurrit ſcuto tectus, in quo lupa Romulo, Remoque lac praebens exhibetur. Horum puerorum ſimulacris caſſides, atque ſcuta ornari a Romanis conſueviſſe, ex Iuvenalis ſatyra XI. colligimus; quo loco militum ſuorum temporum inertiam, animique mollitiem antiquorum diſciplinae, virtutique opponit. En Iuvenalis verſus (*m*):

(*a*) Lib. VIII. cap. 2.
(*b*) In vit. Caeſar. cap. 73., Neron. c. 11., & Galbae cap. 6.
(*c*) Lib. XLIII. pag. 214., & lib. LVI. pag. 697.
(*d*) *Hiſt. animal.* lib. II. cap. 11.
(*e*) Lib. I. epigr. 105. verſ. 9.
(*f*) *De tintinnab.* cap. 8.
(*g*) *De elephantis in num. obſerv.* exercitat. I. cap. I.
(*h*) *Sicil.* num. 117., *Roman.* 90.
(*i*) Lib. VIII. ep. I.
(*k*) *Contra Symmach.* lib. I. verſ. 379.
(*l*) *Satyric.* cap. 80.
(*m*) Verſ. 100.

Tunc rudis, & Graias mirari neſcius artes,
Vrbibus everſis praedarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Vt phaleris gauderet equus, caelataque caſſis
Romuleae ſimulacra ferae manſueſcere iuſſae
Imperii fato, & geminos ſub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo fulgentis, & haſta,
Pendenteſque Deos perituro oſtenderet hoſti.

Poſtremum eſt alatae Victoriae ſimulacrum, quae palmam manibus retinet, virtutis victorum praemium. Verum de Victoria Dea, deque illius inſignibus alio loco ſatis diximus.

EXPLI-



Io. Cattini. In.

EXPLICATIO

TAB. LII.

ANdromedam , Cephei Aethiopum Regis & Caſſiopes filiam , ob matris ſuperbiam , quae ſe Nereidas forma ſuperare iactabat , a Nymphis ſaxo alligatam , & ceto marino monſtro expoſitam , poſtea vero a Perſeo Iovis ex Danae filio , qui cetum occidit , liberatam , & in ſponſam ſibi adlectam fuiſſe , res eſt omnium Mythologorum , Poëtarumque conſenſu confirmata . Quam fabuloſam hiſtoriam ſtatim ingerit intuenti haec Tabula marmorea , in qua omnia exquiſito artificio ſculpta & expreſſa ſunt , ut nullum plane ſit hoc in Muſeo , forſan & alibi , opus elegantius , & aureo ſaeculo dignius , ſive marmoris nitorem ſpectes , ſive artificis demirere diligentiam , & induſtriam .

Immanium ſcopulorum alte minantium , & undique propendentium non temere educta , nec ſine ſtudio conſarcinata moles ad horrorem animos , admirationemque ſtatim ciet . Non minus ſtudii , induſtriaeque a praeclaro huiuſce operis artifice adhibitum eſt , ut cavernae ſinum , & horrorem exprimeret ; quam ut in figuris elegantia nitorque eſſent. Profecto ars in hiſce ſcopulis effingendis naturam , ut decuit , imitata eſt ; quemadmodum Evantham pictorem feciſſe Peluſii in templo Iovis Caſii narrat Achilles Tatius (*a*) , qui ut ſaxa , e quibus Andromeda pendebat , adamuſſim exprimeret , ἐτράχυνε τοῦ λίθου τὸν κόλπον ὁ γραφεὺς , ὡς ἔτεκεν αὐτὸν ἡ γῆ , *ſaxi ſinum pictor , quomodo terra producere ſolet , aſperum effinxit .*

(*a*) De *Leucipp. amor.* lib. III. pag. 168.

Sed hic non religatis adhuc brachiis ad ſaxa, verum

Libera iam duris cotibus Andromeda,

ut eſt in Propertio (*a*); toto oris habitu, & ſtatu corporis pudibunda quidem, ſed laeta & omnino commendabilis virgo adparet, καλλίστη, ὦ θεοί, ut Lucianus exclamat (*b*), καθειμένη τὰς κόμας, ἡμίγυμνος πολὺ ἔνερθε τῶν μαστῶν, *pulcherrima Dii! paſſis capillis, ſeminuda multum infra mammas*; necnon peplo ſuper humeros dimiſſo, ac diſcincta tunicam: quae omnia luctum, & animi maerorem, quo nuper premebatur, declarant. Sed quod ad oris ſpeciem attinet, ſubnigram fuiſſe Andromedam aſſeverat Ovidius (*c*):

Candida ſi non ſum, placuit Cepheia Perſeo
Andromede, patriae fuſca colore ſuae.

In quo tamen diſcordat Philoſtratus (*d*), quem audire non pigebit Andromedam ipſam ex antiqua pictura appoſite nobis deſcribentem: Ἡ κόρη ἡδεῖα μὲν, ὅτι λευκὴ ἐν Αἰθιοπίᾳ, ἡδίων δὲ αὐτὸ τὸ εἶδος. Παρέλθοι ἂν καὶ Λυδὴν ἁβρὰν. καὶ Ἀτθίδα ὑπόσεμνον, καὶ Σπαρτιάτην ἐρρωμένην· κεκαλλώπισται δὲ ἀπὸ τοῦ καιροῦ· καὶ γὰρ ἀπιστεῖν ἔοικε, καὶ χαίρειν μετ᾽ ἐκπλήξεως· ἐπὶ τὸν Περσέα βλέπει μειδίαμά τι ἤδη εἰς αὐτὸν πέμπουσα. *Puella ſuaviſſima quidem eſt, in Aethiopia quippe quae candida ſit; ob formam tamen ipſam longe ſuavior eſt. Vinceret ubique molliſſimam Lydiam, Atticam graviſſimam, Lacaenam fortiſſimam. Formae autem quaedam gratia ex occaſione ipſi eſt comparata; nam & fidem non habere videtur, & cum ſtupore gaudere. Perſeum praeterea reſpicit, ſuaviter ipſi iamiam arridens.* Nonne Philoſtrati teſtimonium huius anaglyphi Andromedam videtur innuere? Verba quidem omnia belle eidem quadrant; ſed extrema imprimis declarant pictori ab eo laudato, aeque ac ſculptori noſtro, eamdem omnino fuiſſe mentem.

Qua mare ſcopuloſum littus alluit, iacet monſtrum, cui Ammonis oraculo fuerat a Patre Cepheo expoſita Andromeda: non enim hic pugna Perſei cum ceto exhibetur, ſed ut ait idem Philoſtratus (*e*), πεπέλεσται ἤδη ὁ ἆθλος, καὶ τὸ μὲν κῆτος ἔρριπται περὶ τῆς ἠϊόνος, *iam finem habet certamen, cetuſque in littore proiectus* comparet. Ex ſolo autem capite, quod ſtratum cernitur, ſatis dignoſcitur, quam horrendum eſſet monſtrum illa bellua,

Nunc quoque terribilis, nec virginis ore videnda,

ut eſt in Manilio (*f*), & ut deſcribitur a Luciano (*g*), πεφρικὸς ταῖς ἀκάνθαις, καὶ δεδιττόμενον τῷ χάσματι, *tota ſpinis horrens, & terribilis rictu*. Hanc ipſam belluam toto capite erecto, & in Andromedam hiante videſis apud Gorium (*h*). Non inſcite autem artifex belluam ſcopulis haerentem, & ab ipſis ſcopulis non niſi ſolo capite late eminente dignoſcendam exhibuit, quia, ut praeter ceteros Poëtas canit Nonnus (*i*), obiecta Gorgone, cuius terribilis vis erat,

Κῆτος ὅλον, περιμέτρον ὅλον, πετρώσατο Περσεύς.

Cete totum, licet immenſum, totum in petram mutavit Perſeus.

Quid

(*a*) Lib. I. eleg. III. verſ.4.
(*b*) *Dial. mar.* num.XIV. §.3. Tom.I. Oper. pag. 323.
(*c*) *Heroïd.* eleg. XV. verſ. 35.
(*d*) *Icon.* lib. I. cap.29.
(*e*) Ibid.
(*f*) *Aſtronom.* lib. V. verſ. 611.
(*g*) *De domo* §. 22. Tom.III. Oper. pag.203.
(*h*) *Muſ. Etr.* Tom. III. Tab. I.
(*i*) *Dionyſ.* lib. XLVII. verſ. 509.

Quid autem contra ſuavius eſt ad videndum Perſeo, eiuſque forma corporis tota? Non hic ille eſt Heros, qui nuper, ut canit Manilius (*a*),

. . . ubi pendentem vidit de rupe puellam,
Diriguit facie, quam non ſtupefecerat hoſtis;

ſed totus laetus, gaudenſque animo, ac ſui voti compos factus, qua fervet intus voluptate, oris ſuavitate manifeſtat. Sed in ſingulis membris nativus quidam decor, & vivida quaedam, non fracta & mollis emicat venuſtas, qualem fortem virum decet. Philoſtratus (*b*) in ſuo Perſeo humerum praecipue commendat dicens: Ἐρρώσθων Πελοπίδαι παρὰ τὸν τοῦ Περσέως ὦμον, *valeant Pelopidae, Perſeique humero cedant.* Equidem hanc laudem etiam noſtro Perſeo valde convenire exiſtimo; tanta eſt enim utriuſque humeri iuſto modulo rotundati gratia; ut candor, & nitor pene eluceſcat. Ac huius formae erat fortaſſe Perſeus in gemma inſculptus, qua ad obſignandas litteras utebatur Alexander Magnus, ut Plinius tradit. At Fortunius Licetus (*c*), caput tantummodo Perſei alatum ſpectandum exhibet in gemma, quam eſſe eius ſimilem exiſtimat, quam adhibere ſolebat Alexander. Utcumque autem res ſit, eo plane ſtatu hic fingitur Perſeus, quo Lucianus (*d*) eum repraeſentat: Ὁ δὲ λύσας τὰ δεσμὰ τῆς παρθένου, ὑποσχὼν τὴν χεῖρα, ὑποδέχεται ἀκροποδητὶ κατιοῦσαν ἐκ τῆς πέτρας ὀλισθηρᾶς οὔσης, *ille autem ſolutis vinculis virginis, porrecta manu ſuſtentat ſuſpenſo gradu degredientem ex rupe lubrica.* Sentis quam appoſite haec dicta ſint? Videſne in marmore Perſeum ὑποσχόντα τὴν χεῖρα, *ſubmittentem dextram* Andromedae, & Andromedam ἀκροποδητὶ *ſummis pedibus* deſcendentem ad Perſeum? At vero quoniam non pugnans, ſed victor hic ſiſtitur Perſeus, idcirco nec Orci galea caput tectum, nec Gorgone manum munitam oſtentat, ut in nonnullis monumentis occurrit; ſed alas tantum praefert haerentes fronti & pedibus, quibus ſumma eius agilitas, dexteritaſque ad ardua quaeque capeſſenda denotatur. Hinc *pennipes* vocatur a Catullo (*e*), & ex alarum nota deſignatur ab Ovidio (*f*):

Nec ſuus Andromedae color eſt obiectus ab illo,
Mobilis in gemino cui pede penna fuit.

Idipſum autem in tergum reiectum, & brachio circumvolutum pallium, ſeu chlamys declarat; ita enim ſe ad omnia promptum, & expeditum demonſtrat. Quamquam autem pedum pernicitatem, non ſecus ac alias quaslibet eximias corporis qualitates viro forti ſemper fuiſſe laudi, & ornamento non ignorem; unde paſſim ab Homero πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεὺς *a velocitate pedum* commendatur Achilles; attamen alas capiti, & plantis opinor datas Perſeo non a Mercurio, ut eſt in fabulis, ſed ex populorum conſenſu ei attributas, ut magni viri tam in excogitandis, quam in exſequendis rebus praeclaris magnum pateret ingenium. Quippe ex operum celebritate factum omnino eſt, ut magnis encomiis ad caelum uſque, ut aiunt, evectus ſit Per-

(*a*) *Aſtronom.* lib. v. verſ. 569.
(*b*) Loc. cit.
(*c*) *In gemm. annul.* pag. 327.
(*d*) *Dial. mar.* num. xiv. §. 4.
(*e*) Carm. lv. verſ. 25.
(*f*) *De arte* lib. ii. verſ. 643.

Perſeus, & inter ſidera una ſimul cum Andromeda collocatus; quod ipſe de ſe teſtari videtur apud Euripidem (*a*) dicens:

> Εὔκλειαν ἔλαβον οὐκ ἄνευ πολλῶν πόνων.
>
> *Non ſine labore multo mihi gloriam peperi.*

Atque Argivos quidem pro Numine veneratos eſſe Perſea, praeter Athenagoram (*b*), teſtatur Sidonius (*c*), inter alios Deos recenſens

> *Argis Perſea, Lampſaco Priapum.*

In laudata ſuperius tabella pictoris Evanthae, eodem Tatio auctore (*d*), Perſeus, ut hic eſt, fuit γυμνὸς τὸ πᾶν, χλαμὺς ἀμφὶ τοῖς ὤμοις μόνοις, καὶ πέδιλον περὶ τὼ πόδε πλησίον τοῦ πτεροῦ, *nudo corpore, niſi quod chlamyde humeros cooperuerat, & calceos alis ſimiles pedibus aptaverat.*

Ceterum quod ad totam fabulam ſpectat, valde mihi probatur, quod Conon apud Galeum (*e*) tradit, Andromedam fuiſſe raptam, & aſportatam nave, quae ceti formam haberet, vel κῆτος diceretur, quod protomen ceti praeferret in prora, unde κητόπρωρος, vel melius κητοφόρος audiebat. Dolendum autem eſt, tragoediam, quam Euripides *Andromedam* inſcripſit, pene totam excidiſſe, praeter fragmenta, quae in edit. Barneſii leguntur: tanta enim fuit eius operis elegantia, & ſuavitas, & actoris Archelai in ea recitanda vis & gratia, ut teſte Luciano (*f*), Abderitas omnes, qui aeſtatis tempore in theatrum ad eam auſcultandam convenerant, ad inſaniam converterit.

Hanc ipſam tabulam, in hortis Principis Camilli Pamphilii quondam exſiſtentem, aere inciſam iamdiu ediderat Sanctes Bartolus (*g*), ac ſatis accurate quidem ut ſolebat, ſed non magis eleganter, quam hic vides, marmoris operiſque venuſtatem expreſſerat. Praeterea apud eumdem eadem forma & ſtatu iterum exhibentur Andromeda & Perſeus ex anaglypho aedium Matthaeiorum. Demum ſcias volo, elegantiſſimum hoc marmor, dum novis ſubſtructionibus ad palatium Mutiorum prope aedem SS. duodecim Apoſtolorum exaedificandum pararetur locus, inventum fuiſſe.

(*a*) *Andromed.* verſ. 20.
(*b*) *In legat.* pag. 274. edit. Rechenbergii.
(*c*) Carm. IX. verſ. 171.
(*d*) Lib. III. pag. 171.
(*e*) *Hiſt. poet. ſcript.*
(*f*) *Quomodo hiſt. conſcrib.* Tom. II. Oper. pag. 2.
(*g*) *Admiranda Rom. antiq.* Tab. XXXIV.

EXPLI-



Jo. Caſſini. In.

EXPLICATIO
TAB. LIII.

ENdymionem Aetholii filium, ſi Poëtas, & Mythologos audis, modo regem, modo paſtorem, & venatorem fuiſſe intelliges. Sunt autem, qui ut res ſibi adverſantes concilient, duos Endymiones faciunt. In id tamen omnes conveniunt, eum in Latmo, qui mons eſt Cariae, perpetuo obdormire ſolitum, atque eo ſtatu a Luna fuiſſe adamatum. Fabuloſi ſomni, & amoris cauſſam eſſe dicunt, vel quod ille, cum integros dies dormiret, greges ſuos noctu ac Luna favente ad paſcua ſolus deduceret, vel quod item per noctem ad Lunae lumen feras ſuis e latebris exeuntes ſectaretur, vel tandem quod omnium primus Lunae curſum, & phaſes inveſtigarit. Poſtremam hanc ſententiam placuiſſe Platoni tradit auctor anonymus libri *de incredibilibus* (*a*). Idem poſtea affirmarunt Apollodorus (*b*), Tzetzes (*c*), & alii, quos inter eminet Plinius (*d*), qui diſerte ait: *Singula in Luna deprehendit hominum primus Endymion, & ob id amore eius captus dicitur*. Non abludit Nonnus (*e*) dicens:

Καὶ σοφὸς Ἐνδυμίων ἑτερότροπα δάκτυλα κάμψας
Γνώσεται ἄστατα κύκλα παλιννόστοιο σελήνης
Τριπλόα.

Et ſapiens Endymion varios digitos flectens
Cognoſcet inſtabiles circulos retrogradae Lunae
Triplices.

Sed

(*a*) Cap. 12.
(*b*) *De Diis* lib. I. pag. 29.
(*c*) *Chiliad.* II. verſ. 877.
(*d*) Lib. II. cap. 11.
(*e*) *Dionyſ.* lib. XLI. verſ. 379.

Sed quomodo Lunam contemplari poſſet, qui perpetuo ſomno eſſet damnatus, videtur addubitaſſe Cicero (*a*) his verbis : *Endymion vero, ſi fabulas audire volumus, neſcio quando in Latmo obdormivit, qui mons eſt Cariae, nondum opinor experrectus. Num igitur eum curare cenſes, cum Luna laboraret, a qua conſopitus putatur, ut eum dormientem oſcularetur?* Certe illud in omnium ore erat antiquitus commune ac tritum, ut de iis, qui in diuturno otio verſarentur, diceretur, *Endymionis ſomnum dormire* : quo adagio uſus eſt Ariſtoteles (*b*), ita de Diis, quos non feriatos, ſed in contemplationibus occupatos eſſe volebat, ſcribens : οὐ γὰρ δεῖ καθεύδειν, ὥσπερ τὸν Ἐνδυμίωνα, *non enim eos decet Endymionis, ut aiunt, dormire ſomnum*. Hinc apud Theocritum (*c*) caprarius amoris curis male tortus Endymionem ipſum felicem nominat, qui aeterno ſomno conſopitus iaceret; quam in rem legenda ea ſunt, quae ſcite explicantur in ſcholiis graecis. Verum, ut mea eſt ſententia, ſomni Endymionaei optima eſt interpretatio, quam Apollodorus inculcat (*d*) dicens : Ζεὺς δὲ αὐτῷ δίδωσιν, ὃ βούλεται ἑλέσθαι· ὁ δὲ αἱρεῖται κοιμᾶσθαι διὰ παντὸς ἀθάνατος, καὶ ἀγήρως μένων. *Qui data ab Iove, quaecumque vellet deligendi poteſtate, ut perpetuo ſomno conſopitus immortalis, & ſenii expers maneret, poſtulavit* : adeout ſomnus firmam tum corporis cum animi felicitatem in eo commonſtraret. Sed qui plura velit de Endymione, eiuſque ſomno, & amoribus ſcire, adeat Pauſaniam (*e*), & ſcholia Graeca in Apollonium Rhodium (*f*). Ego vero nunc ipſum marmor, non contemnendum artis opus, quod in colle Aventino ſub pontificatu Clementis XI., Ficoronio teſte (*g*), repertum fuit, inſpiciendum propono.

Haſta, ſeu venabulum, & canis certe hic venatorem Endymionem declarant. Ipſe Endymion, toto corporis habitu formoſiſſimus, exhibetur in ſaxo ſupra ſuam chlamydem ſubtus reflexam ac ſtratam ſedens, ac placide dormiens, facie decora, ut ſomno preſſum decet, in pectus ſuaviter reclinata. Dextera manu, quae paſſa & ſoluta pendet, leviter ſaxo innititur. Siniſtro pede ſurſum elevato, & genu molliter reducto & curvato, ſiniſtram manum chlamyde circumtectam ſuſtentat, qua longam haſtam pedi incumbentem fulcit, & canem loro revinctum digitis dilabentibus vix tenet. At canis pervigil & fidelis altius conſcenſa rupe, Lunam aſſurgentem, advenientemque procul conſpicatus, arrectis auribus, oculiſque micantibus, & ore hianti in eius obtutu haeret, & pedibus in caput heri ſui incumbens videtur iterum iterumque illud ſcalpere, ut de adventu Deae monitum faciat, & ſomno diſcuſſo ad eam recipiendam paret. Quid ſimile habes in gemma Gorlaei (*h*).

At vero quam eleganter omnia artifex hic expreſſit! Nudum Endymionem repraeſentat, ut tota corporis ſpecies pateat, qua Luna capta dicitur, ut Propertius teſtatur (*i*):

Nudus & Endymion Phoebi cepiſſe ſororem
Dicitur, & nudus concubuiſſe Deae.

Hinc

(*a*) *Tuſcul. quaeſt.* lib. I. cap. 38.
(*b*) *De moribus* lib. x. cap. 8.
(*c*) *Idyll.* III. verſ. 49.
(*d*) *Biblioth.* lib. I. pag. 15.
(*e*) *Eliac. prior.* lib. v. cap. 1.
(*f*) Lib. IV. verſ. 57. *Argonaut.*
(*g*) *Veſtigj di Roma* pag. 2. & 56.
(*h*) *Dactyliotheca* num. 498.
(*i*) Lib. II. eleg. 12. verſ. 15.

Hinc factum, ut quicumque pulcher haberetur, Endymion diceretur, ut ex Iuvenale (*a*) intelligimus:

Sed tuus Endymion dilectae fiet adulter
Matronae.

Idipſum urnae ſepulcralis inſcriptio a Montfauconio edita (*b*) confirmat, in qua puerum forma praeſtantem pater de eius morte maerens comparat Baccho, Herculi, & pulchro Endymioni:

Τοῖος δ' ἦν γεγαὼς, οἷός ποτε φῦσεν Ἴακχος,
Ἢ θρασὺς Ἀλκείδης, ἢ καλὸς Ἐνδυμίων.
Talis erat, qualis quondam apparuit Bacchus,
Aut fortis Alcides, aut pulcher Endymion.

Ac plane longe formoſior eſt hic noſter Endymion, quam qui in Muſeo Florentino inter celebriores ſtatuas (*c*) a Gorio nimis confidenter adnumeratur. Talem autem effinxit artifex Endymionem, qualem Luna ipſa, teſte Luciano (*d*), deperibat, cuius verba ad rem omnino facientia praeſtat audire. Veneri, an pulcher ſit Endymion, interroganti ſic Luna reſpondet: Ἐμοὶ μὲν καὶ πάνυ καλὸς, ὦ Ἀφροδίτη, δοκεῖ, καὶ μάλιστα, ὅταν ὑποβαλλόμενος ἐπὶ τῆς πέτρας τὴν χλαμύδα καθεύδῃ, τῇ λαιᾷ μὲν ἔχων τὰ ἀκόντια ἤδη ἐκ τῆς χειρὸς ὑποῤῥέοντα· ἡ δεξιὰ δὲ περὶ κεφαλὴν ἐς τὸ ἄνω ἐπικεκλασμένη ἐπιπρέπει τῷ προσώπῳ περικειμένη· ὁ δὲ ὑπὸ τοῦ ὕπνου λελυμένος ἀναπνέει τὸ ἀμβρόσιον ἐκεῖνο τὸ ἆσθμα. *Mihi quidem admodum pulcher, o Venus, videtur: ac tum maxime, quando ſubiecta ſuper rupem chlamyde dormit, ſiniſtra tenens iacula ex manu pene defluentia: dextra vero circa caput ſurſum reflexa admodum decet faciem ambiens; ipſe vero ſomno ſolutus efflatum reciprocat, ambroſium illum halitum &c.*

Nec minus obſervatu digna ſunt in marmore, quae reſtant: venabulum ſcilicet, ſaxum, canis. Venabulum, quod inter θήρης ἐρικυδέος ὅπλα, *glorioſae venationis arma*, ut ait Oppianus (*e*), maximum, ac praecipuum eſt inſtrumentum, & quod ab eodem σιγύνην εὐρυκάρηνον *iaculum lati capitis*, & a Polluce (*f*) προβόλιον vocatur.

Saxum autem multa arte elaboratum Latmia ſaxa a Poëtis ſaepe celebrata repraeſentat, in quibus Endymion dormiens & Lunam exſpectans conſidebat. Apollonius Rhodius (*g*) antrum, non ſaxum Latmium memorat,

Οὐκ ἄρ' ἐγὼ μούνη μετὰ Λάτμιον ἄντρον ἀλύσκω.
Ergo non ſola ego ad Latmium antrum diverto.

Sed melius & feſtivius ſaxum ab aliis dicitur, & a noſtro ſculptore ſpectandum proponitur; ita enim ad miraculum venatoris quieſcentis ſtatus exprimitur.

Canis tandem eminet torque munitus, eo fere modo, quo a Polluce deſcribitur (*h*): Κόσμος δὲ κυνὸς δέραια μὲν, ἱμὰς πλατὺς περὶ τῷ τραχήλῳ, στερεὸς, ὃς καὶ περιδέραιον, καὶ περιδερὶς ὀνομάζεται .... τὸ δὲ περιδέρραιον ἐξηρτῆσθαι τοῦ ἱμάντος, ὃς κατὰ τὸν κυνάγχην ἐνηγκύλωται, καὶ ἀπὸ τούτου ἄγεται ὁ κύων. *Canis autem ornatus eſt millus; videlicet lorum latum, collum ambiens, ſolidum,*

(*a*) Sat. x. verſ. 318.
(*b*) *Antiq. expl.* Tom. v. Par. I. pag. 70.
(*c*) Tab. xxi.
(*d*) *Dial. Deor.* n. xi. §. 2. Tom. I. Oper. p. 232.
(*e*) *Cyn.* lib. I. verſ. 148.
(*f*) *Onomaſt.* lib. v. cap. 3. ſegm. 19.
(*g*) Lib. iv. verſ. 57. *Argonaut.*
(*h*) Lib. v. cap. 9. ſegm. 55.

dum, *quod & torques & monile dicitur .... ſed collarium a tenui loro dependet*, *quod ad canis ducem tenditur*, *& ab hoc canis ducitur &c.* Formam autem eiuſdem canis eam omnino eſſe, quam venaticis canibus ineſſe volebat laudatus Oppianus, facile cognoſces ex eius verſibus, quos ſemel recitabo, ut de omnibus canibus, qui in hiſce marmoribus expreſſi inveniuntur, iudicium tecum ipſe facile feras.

Τῶν ἄμυδις μορφαί τε, καὶ εἴδεα τοῖα πελέσθω·
Μηκεδανὸν, κρατερὸν δέμας, ἄρκιον· ἠδὲ κάρηνον
Κοῦφον, εὔγληνον, κυαναὶ στίλβοιεν ὀπωπαί·
Κάρχαρον, ἐκτάδιον πελέθοι στόμα· βαιὰ δ' ὕπερθεν
Οὔατα λεπταλέοισι περιστέλλοινθ' ὑμένεσσι·
Δειρὴ μηκεδανή· καὶ στήθεα νέρθε κραταιά,
Εὐρέα· τὼ πρόσθεν δὲ τ' ἐλιζοτέρω πόδε ἔστων·
Ὀρθοτενεῖς κώλων, ταναοὶ, δολιχήρεες ἰστοί·
Εὐρέες ὠμοπλάται· πλευρῶν ἐπικάρσια ταρσά.
Ὀσφύες εὔσαρκοι, μὴ πίονες· αὐτὰρ ὄπισθεν
Στριφνή τ', ἐκτάδιός τε πέλοι δολιχόσκιος οὐρή.

Quorum ſimul & formae & figurae tales ſunto.
Longum, validum corpus, amplum: & caput
Leve, bene oculatum: caerulei radient oculi:
Dentibus acutum, oblongum ſit os: breves autem ſuperne
Aures tenuibus obducantur membranis:
Collum longum: & pectora inferne robuſta,
Lata: anteriores vero breviores pedes ſunto:
Rectae crurum, prolixae, productae tibiae:
Ampli, latique armi: coſtarum obliqua ſeries:
Lumbi carnoſi, non pingues: ſed pone
Gracilíſque, prolixaque ſit, & longam umbram faciens cauda.

Quae, ſi placet, conferre poſſis cum iis, quae de canum virtutibus, & vitiis tradunt Pollux (*a*), Xenophon (*b*), & Arrianus (*c*).

(*a*) Lib. v. cap. 10. (*b*) *Cyn.* cap. 4. (*c*) *De venat.* cap. 5. pag. 23.

EXPLI-



EXPLICATIO
TAB. LIV.

VIA Appia prope villae Matthaeiae hortos, eo fere loco, quo Capenam portam (*a*) fuiſſe ferunt, anaglyphum, de quo proponere aggredimur, quodque initio ſecundi voluminis huius operis contractius delineatum iam fuit exhibitum, repertum eſt. Quo tempore, quamque ob cauſſam, & cuius cura elaboratum illud fuerit, ex inſcriptione plane cognoſcimus. Epitynchanus M. Aurelii Caeſaris libertus, & a cubiculo, cum trivium, ideſt viarum trium caput, in honorem Fontium, atque Nympharum (*b*), ex voto reſtituiſſet, ut nempe, quemadmodum ego ſentio, facilius ad propinquos fontes pateret iter, curavit illud inſculpi, inque trivio ipſo collocari. Iam vero inter annum Chriſti 139., & annum 161. trivium ab Epitynchano reſtitutum fuiſſe dicendum eſt, eo enim anno M. Aurelius ab Antonino Pio creatus eſt Caeſar; hoc vero Romanum imperium idem obtinuit. Reſtituendi autem eius trivii in honorem Fontium, atque Nympharum Epitynchano haec, ni fallor, fuit cauſſa: quod a porta Capena, teſte Frontino, via Appia initium ſumeret, atque ut ait Cicero (*c*), *Romae, & maxime via Appia mira proluvies . . . . magna vis aquae uſque ad Piſcinam publicam*. Ac apud eam quidem portam aquae complures cum per canales ductae, ut Appia, & Marcia, tum ibi ſcatentes, ut Mercurii aqua. Martialis de Marcia, cuius aquaeductus ſupra Capenam portam erat, inquit (*d*):

Capena grandi porta, qua pluit gutta,

& Iuvenalis (*e*):

Subſtitit ad veteres arcus, madidamque Capenam.

(*a*) Vid. Fabrett. *de aquis, & aquaeduct.* diſſert. I. & II. num. 46.
(*b*) Vid. Thomaſium *de donariis* cap. 28.
(*c*) *Epiſt. ad Q. Fratrem* lib. III. epiſt. 7.
(*d*) Lib. III. epigr. 47.
(*e*) Sat. III. verſ. 11.

In quem Iuvenalis verſum vetus huius Poëtae Scholiaſtes ſcribens, ſua adhuc aetate ſitum portae Capenae bene compertum fuiſſe, exſtaſſeque arcum aquae Marciae, *Arcum ſtillantem* vulgo appellatum, tradit.

His cognitis, de iconibus inſculptis in anaglypho proponendum eſt. Principio igitur Herculem, atque Mercurium ſuper tumulo ſtantes inſpicito. Hos, quod eos prae ceteris Diis viarum (*a*), viatorumque cuſtodibus, ac praeſidibus coniunctim colere veteres conſueverint, & quod anaglyphum poſitum in trivio eſſet, expreſſos hic ita fuiſſe doctiſſimus Fabrettus cenſuit, Leonidaeque hac de re epigramma laudavit (*b*).

Ego vero praeter has fuiſſe etiam alias earum imaginum eo loci inſculpendarum cauſſas arbitror. Mercurii quidem, quod eius nominis aqua non longe a porta Capena, ut diximus, erumperet, Romanique eiuſdem aquae aſperſione quaeque ſcelera, imprimiſque periuria expiari crederent, idibuſque Maiis mercatores, ubi in aede Mercurii ſacrum feciſſent, ad fontem profecti primum ſe, tum exportata in domum aqua ramulis laureis merces aſpergerent. Quare Ovidius (*c*):

> *Eſt aqua Mercurii portae vicina Capenae:*
> *Si iuvat expertis credere, Numen habet.*

Herculis autem imago ad aquam Marciam praecipue pertinere mihi videtur; quod Marcia rivo Herculi dicato per Caelium montem duceretur, ut ex Frontino colligitur, cuius teſtimonium eſt huiuſmodi: *Marcia autem parte ſui poſt hortos Pallantianos, in rivum, qui vocatur Herculaneus, ducit ſe per Caelium. Ductus ipſius, montis uſibus nihil, ut inferior, ſubminiſtrans, initur ſupra portam Capenam.*

Mercurii figura ſingulare habet nihil; nota enim inſignia marſupium dextera, caduceum ſiniſtra tenet. Sed Hercules ſiniſtra arundinem paluſtrem, quemadmodum in vetuſtis monumentis Numina fluviorum, fontiumque exhibentur, non vero clavam tenet: dextera autem manu coronam ſibi aptat animi ſui audaciam, magnitudinemque oſtendens; quod contempta, quae de ſua virtute eſſet, hominum opinione, ipſe ſui iudex promeritos honores ſibi tribuerit. Olympicorum certaminum auctor, ac primum in eis victor fuit Hercules, ut Statius ſcripſit (*d*):

> . . . . . . *primus Piſaea per arva*
> *Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem,*
> *Pulvereumque fera crinem deterſit oliva.*

Utque poëmatis de virtutibus herbarum vetus Scriptor de Apio agens tradidit, Hercules Nemaeorum victor ex apio ſibi coronam impoſuit:

> *Ipſe ſibi talem primum impoſuiſſe coronam*
> *Dicitur Alcides.*

Porro paluſtris arundo ſingularem ac pene divinam comperiendarum, cogendarumque in unum locum, perque cuniculos, atque canales deducendarum aqua-

(*a*) Vid. Bergier. *de publ.*, *& militar. Imp. Rom. viis* lib. IV. ſect. 43. in Tom. X. Theſaur. Graevii.

(*b*) *Antholog.* lib. I. cap. 38. num. 4.

(*c*) Lib. V. *Faſt.* verſ. 673.

(*d*) *Theb.* lib. VI. verſ. 5.

aquarum, qua Hercules praeſtabat, teſtibus locupletibus Plutarcho (*a*), Apollonio Rhodio (*b*), atque Pauſania (*c*), ſcientiam ſignificat. Narrat autem is, quem poſtremo loco nominavi, Troezenios dixiſſe inventorem eorum fontis Herculem: Pheneates (*d*) illum paludoſos ipſorum agros exſiccaſſe: Thebanos (*e*), falſo tamen, Caeſiſum fluvium in agros Orcomeniorum Herculis opera, obturatis oſtiis ſubterraneis, qua influebat in mare, converſum fuiſſe.

Iacet ſub tumulo ſenis forma Flumen, aut Fons (*f*)

. . . . *inornatos redimitus arundine crines*,

& urnae aquam emittenti brachio ſiniſtro incumbens, dexteraque arundinem paluſtrem tenens. Hoc de ſimulacro inferius dicam: antea enim proponendum eſt de figuris, quae memoratos viarum Deos utrimque circumſtant.

Hic feminae tres exhibentur nudae, & quaſi ſaltantes; illic veſtibus longis ornatae duae, quarum una adoleſcentulum fugientem, comprehenſo dextero illius brachio, remoratur, altera protentis manibus renititur. Iſte adoleſcentulus eſt *Hylas*, qui cum Hercule, ceteriſque Argonautis Colchos navigans, ubi aquam vaſe haurire ad coenam ſibi, ſociiſque parandam ſolus deſcendit, a Nymphis fluvii, ſeu fontis, egregia forma adoleſcentuli captis, raptus eſt: ut Graeci, Latinique Poëtae, atque Mythologi multifarias, prout vario quique oeſtro perciti, fabulantur. Quare de loco, ubi Hylae id accidit, inter ſe diſſentiunt. Alii accidiſſe memorant in fluvio Cyo (*g*), alii in Aſcanio lacu, alii in cratere fontis (*h*), quem aut non nominant, aut ab incolis Πηγὰν (*i*) vocari teſtantur. Sunt etiam qui eum adoleſcentulum Herculi quidem cariſſimum, Hylum (*k*), non autem Hylam vocant. De Nympharum, quae Hylam rapuerunt, numero eadem diſſenſio eſt. Apollonius enim, Valerius Flaccus (*l*), & Dionyſius (*m*) unam, quae puerum rapuit, quaeque ab Apollonio Ephidatia nominatur, fuiſſe Nympham, volunt: Theocritus vero tres, quarum nomina haec ſunt (*n*):

Εὐνίκα, καὶ Μαλὶς, ἔαρ θ᾽ ὁρόωσα Νυχεία.
Eunica, & Malis, & inſtar veris ſuaviter aſpiciens Nychaea.

In noſtro anaglypho Nymphae Hylam remorantur duae, quemadmodum in veteri monumento ex lapidibus inter ſe nexis, quod exſtat in aedibus Albanorum, vulgatumque a Ciampinio fuit. At in eo alia imago vaſi aquae innixa a latere occurrit, quam eſſe Nympham idem Ciampinus (*o*) cenſuit. Annon fluvii, aut fontis, unde illarum Nympharum ortus, potius imaginem, quam Nympham dices? Nam etſi imagines fluviorum plerumque iacentes, non autem ſtantes, ut Albana illa, videantur; tamen alicubi etiam occurrunt ſtan-

(*a*) *Quod expediat Philoſ. cum Princ. verſari.* Tom. II. Oper. pag. 776.
(*b*) *Argonaut.* lib. IV. verſ. 1441. &c. Vid. Gorium in *Muſ. Florent. Gem.* Claſ. I. Tab. XLV.
(*c*) *Corinth.* lib. II. cap. 32.
(*d*) Pauſan. *Arcad.* lib. VIII. cap. 14.
(*e*) Id. *Boeot.* lib. IX. cap. 38.
(*f*) Ovid. *Metamorph.* lib. IX. verſ. 3.
(*g*) Dionyſ. in *Perieg.* verſ. 806.
(*h*) Theocr. *Idyll.* XIII. verſ. 39.
(*i*) Apollon. *Argon.* lib. I. verſ. 1222.
(*k*) Vid. *Antiq. interpr. Apollon.*, & *Anticlid. in Deliacis.*
(*l*) *Argonaut.* lib. IV. verſ. 27.
(*m*) In *Perieg.* verſ. 807.
(*n*) *Idyll.* XIII. verſ. 45.
(*o*) *Vet. monum.* Tom. I. Tab. XXIV. pag. 60.

ſtantes, ut in nummis Siculis Chryſa fluvius exhibetur, vir nempe ſtans dextera manu vas, ſiniſtra cornucopiae tenens. Hylas capite nudo, prolixiſque capillis noſtro in anaglypho occurrit, qualis apud Theocritum (*a*), qui eum dixit

Τῶ χαρίεντος Ὕλα, τῶ τὰν πλοκαμῖδα φορεῦντος.

Formoſum Hylam caeſariem ferentem.

Praeterea veſtitus pallio prope collum fibula iuncto, perque humeros defluente, quomodo heroës a Graecis inſculpi ſolebant; dextera manu χάλκιον . . . πολυχανδέα κρωσσόν, ut ait Theocritus (*b*), *aeneum capax vas retinet*: laeva vero, quaſi ſupplex, expanſa, vultuque, habituque praeferens animum improviſo caſu perturbatum, ſibi fuga parare ſalutem contendit. Verum, eodem Theocrito auctore, vix a Nymphis tentus Hylas in aquam cecidit, uti caelo praecipites ſtellae in mare labuntur (*c*):

. . . . . κατήριπε δ' ἐς μέλαν ὕδωρ
Ἀθρόος· ὡς ὅτε πυρσὸς ἀπ' ὠρανῶ ἤριπεν ἀστὴρ
Ἀθρόος ἐς πόντον . . . . .
. . . . . cecidit vero in undas nigrantes
Repente, ſicut quando rutilans ſtella de caelo cadit
Praeceps in mare . . . . .

Tradit in ſuis Dionyſiacis Nonnus, Carpum adoleſcentulum, cum aquis fontis demerſus interiiſſet, a Nymphis eius fontis raptum fuiſſe. Hylas quoque ſic vita perfunctus fuit, ut Mythologi tradunt; tamen Graeci inde nacti occaſionem de Hyla mirificas hiſtorias ſcripſerunt. Theocritus in Deorum numerum Hylam poſuit, cum dixerit (*d*):

Οὕτω μὲν κάλλιστος Ὕλας μακάρων ἀριθμεῖται·

Sic pulcherrimus Hylas inter immortales numeratur.

Apollonius autem prodidit, quotannis a Cyanenſibus ſacra in honorem Hylae, quem ut Deum colebant, celebrari, illumque, dum quemdam fontem ſacro ritu circumibant, proprio nomine appellari conſueviſſe. Apud Solinum (*e*) quoque haec leguntur: *Pruſiadem urbem alluit Hylas flumen, & perſpergit Hylas lacus, in quo reſediſſe credunt delicias Herculis Hylam puerum, in cuius memoriam uſque adhuc ſolemni curſitatione lacum populus circumit, & Hylam voce clamant.* Huiuſmodi acclamationes, atque curſitationes in Hylae honorem in montibus fiebant, ut Strabo (*f*), atque Servius tradunt: hic vero addit, puberem adoleſcentulum primum omnium exclamare Hylam coepiſſe, tum ceteros coniunctim. Alibi tamen idem Servius circum fontes ita exclamare, atque apud aliquem fontem, fortaſſe poſtquam per ſilvas, monteſque ſaltantes curſitarant, ſolemne feſtum abſolvere conſueviſſe. Ac veri eſſe ſimilem Bonarrotii (*g*) opinionem puto, a Pruſienſibus divinos Hylae cultus, honoreſque adhibitos fuiſſe, idque ex illorum nummo colligi, in quo Tritones

(*a*) *Idyll.* XIII. verſ. 7.
(*b*) Ibid. verſ. 39. & 46.
(*c*) Ibid. verſ. 49.
(*d*) Ibid. verſ. 72.
(*e*) *Polyhiſt.* cap. 42.
(*f*) *Geograph.* lib. XII. pag. 845. edit. Almeloveenii.
(*g*) *Oſſervaz. ſopra i Medaglioni* pag. 190.

nes duo ſimulacrum patera, tridenteque ornatum ſuſtinent. Demum illud alibi jam animadvertimus, Graecos, atque Romanos in ea omnium quidem conſenſu firmata ſuperſtitione verſatos fuiſſe, ut puberum puerorum, atque puellarum egregia forma interitum nihil aliud fuiſſe crederent, quam raptum in caelum, Diis ducibus, illorum animarum.

Mulieres autem illas nudas tres prope Mercurium alterutrimque ſe amplexantes, fereque choreas ducentes, ut pingi Gratiae ſolent, tres eſſe revera Gratias cenſeo; quod veteres, ut ait Phornutus (*a*), fabularentur Mercurium Gratiarum eſſe ducem, ut docerent neque temere, neque cuiquam indigno, praeſtanda beneficia eſſe. Nymphas tamen ſi quis dixerit eius fluvii, aut fontis, ad quem Hylas adiit, nihil moror. Namque eas Nymphas ducendarum in honorem Dianae chorearum cauſſa ex aquis erupiſſe Theocritus, & Apollonius (*b*) narrant. Probabilior tamen mihi illa de Gratiis prior opinio eſt. Pauſanias (*c*) cum vetuſtiſſimas quaſque harum imagines veſtibus ornatas vidiſſet, animadvertit compertum ſibi non eſſe, a quo primum nudae repraeſentatae fuerint; fatetur tamen conſtantem, omniumque gentium conſenſione firmatum eſſe morem, ut artifices nudas exprimerent. Multa in ea nuditate myſteria Mythologi ineſſe arbitrantur.

Iam fontem illum, ſeu fluvium, quem ſupra deſcripſimus, eſſe Tiberim, aut Deum Tiberinum Fabrettus cenſuit. Nam, Servio (*d*) auctore, Tiberis fluvius dicebatur *in ſacris Tiberinus*, *in coenolexia Tiberis*, *in poëmate Tibris*, inque publicis ſupplicationibus, precationibuſque invocabatur his verbis: *Adeſto*, *Tiberine*, *cum tuis undis*, quod Virgilius expreſſit hoc verſu (*e*):

Tuque, *o Tibri*, *tuo genitor cum flumine ſancto*:

cumque Romae aquae omnes aut ex Tiberi prorumpant, aut in Tiberim influant; Deus Tiberinus in veteri inſcriptione (*f*) *aquarum omnium pater* nominatur. Fabretti (*g*) quidem ſententiam non improbo, ſed illorum ego veri eſſe ſimiliorem opinionem puto, qui in noſtro anaglypho eum fontem, ſeu fluvium exprimi aiunt, in quo Hylas raptus a Nymphis fuit; idque ex collocatione ſimulacri, vaſiſque aquam emittentis facile colligi poſſe. Sub pedibus enim Hylae, Nympharumque collocatum eſt hoc ſimulacrum.

In exemplo denique huiuſce monumenti ligno inciſo apud Fabrettum in ſuo de columna Traiani commentario, inque eius collectione veterum inſcriptionum, haec verba: BONIFATI VIVAS SACERDVS, quae poſita ſunt prope ſimulacrum Mercurii, deſiderari video. Scribit Gorius, ſe in Muſeo Bonarrotio vidiſſe aureum annulum cum hac inſcriptione: *Bonifati vivas*. Huius ſimilem in aliis pleriſque vetuſtis monumentis legere cuique acclamationem licet. Apte ad rem Servius inquit (*h*): *Illud quaeritur*, *utrum vive*, *an vivas*, *ideſt*, *utrum per imperativum*, *an per optativum dicere debeamus*. *Et conſtat dici melius per optativum*; *optari enim poſſunt*, *non imperari vel*

(*a*) *De nat. Deor.* cap. 16.
(*b*) *Argonaut.* lib. I. verſ. 1225.
(*c*) *Boeot.* lib. IX. cap. 35.
(*d*) Ad *Aeneid.* lib. VIII. verſ. 31. & 72.
(*e*) Ibid.
(*f*) Gruter. pag. 178. num. 6.
(*g*) *De columm. Traiani* pag. 174.
(*h*) Lib. III. *Aeneid.* verſ. 493.

vel bona, *vel adverſa*. Ceterum perdifficilis quidem ac perobſcura quaeſtio eſſet de cauſſa, ob quam in noſtro monumento ea acclamatio inciſa fuerit, diſputare. Fortaſſe (*a*) aedis Mercurii ſacerdos is Bonifatius, atque huius hortatu Epitynchanus trivium reſtituit. Minime vero mirandum eſt legi SACERDVS, non autem SACERDOS. In vetuſtis monumentis ſaepe litteram *o* in *u* veteres commutarunt (*b*), ut cuique, etſi parum in iis legendis verſato, ſatis cognitum, compertumque puto. Sic in ara apud Gruterum (*c*) legitur: SACERDVS DEI BRONTONIS. Animadvertendum denique eſt in noſtro marmore vocem *Trivium* ita eſſe inſculptam: IIIVIVM.

(*a*) Vid. Ficoron. *Gem. antiq. litteratae*, pag. 56.

(*b*) Vid. Quintil. *Inſt.* lib. I. cap. 24.

(*c*) Pag. 34. num. 5.

EXPLI-



C.A.

EXPLICATIO
TAB. LV.

PRoſerpina a Plutone rapta, anxieque a Cerere conquiſita; quam Claudianus fabulam expreſſit his verſibus (*a*):

> . . . . , . *qua lampade Ditem*
> *Flexit amor*, *quo ducta ferox Proſerpina raptu*
> *Poſſedit dotale chaos*, *quantaſque per oras*
> *Sollicito genitrix erraverit anxia curſu*;

exhibetur hoc in anaglypho, quod ingentis ſarcophagi faciem occupat. Huius ſimiles Petrus Sanctes Bartolus vulgavit (*b*) ſarcophagos duos; quorum unus in aedibus Mazzariniis, nunc Roſpilioſis, alter in villa Burgheſia Romae adſervantur. Duo quoque exſtant Florentiae a Gorio editi (*c*), unus in Michelotiis, alter in Oricellariis aedibus. Sarcophagus autem in pinacotheca Iuſtinianea ſervatus idem ille eſſe videtur, quem Hieronymus Aleander iunior (*d*) de veteri faſcia, in qua eadem fabula, ſubiectis ſignis zodiaci, repraeſentatur, agens aere incidendum curavit. Iam vero in ſarcophagis, inque cippis mortuorum eiuſmodi fabulam inſculpere ethnicos conſueviſſe exiſtimandum eſt; quod illa deſcenſum animarum ad inferos indicari, Salluſtio Philoſopho teſte (*e*), crederent. Quare picta quoque in ſepulcro Naſoniae gentis cernitur (*f*). Alias praeterea eius rei cauſſas affert Bonarrotius (*g*), numiſma in honorem Antonini Pii Nicaeae cuſum explicans: nempe aut quod in iis ſarcophagis cineres, atque cadavera initiatorum myſteriis Cereris conderentur, aut quod eo raptu temporum varietas, rerumque hu-

(*a*) *De raptu* lib. I. verſ. 26.
(*b*) *Admir. Rom. antiq.* Tab. LIII. & LIV.
(*c*) *Inſcr. antiq.* P.III. Tab. XXV. & XXVI. p.106.
(*d*) *Explicat. Tab. Heliac.* pag.125.
(*e*) *De Diis*, *&* *mundo* cap.4.
(*f*) Vid. Bellor. ibi Tab. XII.
(*g*) *Oſſervazioni iſtoriche ſopra alcuni Medaglioni &c.* pag.58.

manarum viciſſitudines indicarentur. Sed illud mihi eſſe veriſimilius videtur, reminiſcentiae cauſſa exhiberi conſueviſſe; ut nimirum qui inſpicerent, ex hac vita ſibi eſſe emigrandum, aliamque agendam eſſe vitam in memoriam revocarent: utrumque enim apte quidem Proſerpina, Cereſque declarant, propterea quod illa de animabus iudicium factura eſſet, haec raptam filiam lamentaretur, ex quo lugubres lamentationes, fletuſque in funeribus fieri coepiſſe creditum eſt. Itaque Nero, ut Svetonius narrat (*a*), omnium in ſe odio concitato, cum variis multiſque portentis ſomniorum, atque auſpiciorum perterreretur, inde imprimis imminere ſibi ſupremum diem intellexit, quod *auſpicanti Sporus annulum muneri obtulit, cuius gemmae ſculptura erat Proſerpinae raptus.*

Sed anaglyphi icones conſiderandae ſunt. Principio igitur coronata mulier, quae humi iacens potius quam ſedens cornucopiae fructibus ex omni genere refertum utraque manu ſuſtinet, fertilitatem, amoenitatemque agrorum oſtendit: etenim Proſerpina dum ſimul cum ſuis ſodalibus ſeſe oblectans narciſos, ut ait Pamphus Poëta (*b*), legebat, abrepta a Plutone fuit. Alatus autem puer, qui ei mulieri adeſt idem Acheloicum cornu pariter ſuſtinens, vernum tempus indicat. At quos agros ſculptor deſignarit difficile eſt iudicare; quod pleraeque veteres nationes apud ſe id contigiſſe pugnarint inter ſe, atque contenderint. Scribit Scholiaſtes Sophoclis (*c*), Proſerpinam in campis Atticis egiſſe, eoque Plutonem voraginem in qua Oedipus obierat, tranſgreſſum veniſſe: Pauſanias (*d*) in Argis ad Chimarrum fluvium, Conon apud Photium in Arcadicis (*e*), quo illa ſub terram penetrans per ſpecum Cyllenes montis pervaſerat: Appianus vero Alexandrinus (*f*) in finibus Murcinenſium, atque Drabiſcenſium ad flumen Zigaſtem: quo vocabulo flumen appellatum fuiſſe, quod ibi fractum iugum Plutonis currus fuerit. Multi praeterea Lydiae, & Ioniae ſive Aſiae proconſularis populi in ſuis campis Proſerpinae raptum eveniſſe dixerunt. Itaque in nummis illum Nyſaeorum, Sardium, Hieropolitarum, Hermopolitarum, Trallenſium, Mydienſium, Orteſianorum expreſſum videmus.

Sed celebris opinio eſt, eaque omnium pene Magnae Graeciae, atque Latinorum Scriptorum firmata conſenſu (*g*), abreptam fuiſſe Proſerpinam in Ennenſium agris, quorum urbs Siciliae umbilicus nominabatur. Quamobrem non Ennae modo, ſed in multis etiam aliis Siciliae urbibus memoriae eius raptus, ac religionis cauſſa, templa extructa, dedicataeque ſtatuae Cereri, atque Proſerpinae & a Siculis, & ab advenis fuerunt. *Etenim urbs illa*, inquit Cicero (*h*), *non urbs videtur, ſed fanum Cereris eſſe: habitare apud ſe Cererem Ennenſes arbitrantur, ut mihi non cives illius civitatis, ſed omnes ſacerdotes omnes accolae, atque antiſtites Cereris eſſe videantur.* Quid? Romani quoque, etſi non admodum dediti eſſent externarum nationum religionibus, Ennenſem tamen Cererem maxime coluerunt. Ac difficillimo quidem Reipublicae tempore P. Mucio, & L. Calpurnio Conſulibus,

(*a*) In vit. Neron. cap. 46.
(*b*) Pauſan. *Boeot.* lib. IX. cap. 31.
(*c*) *Ad Oedip. Colon.* v. 1661.
(*d*) *Corinthiac.* lib. II. cap. 36.
(*e*) Narrat. XV. apud Photium pag. 431.
(*f*) *De bell. civilib.* lib. IV. pag. 1041. edit. Alexand. Tollii.
(*g*) Vid. Cluver. *Sicil. antiq.* lib. II. cap. 7.
(*h*) *In Verrem* lib. IV. cap. 50. ſect. 111.

bus, cum ex libris Sibyllinis Cererem placari oportere intellexiſſent, non ad ſuum Romanum, tametſi antiquiſſimum, ſed ad Ennenſe templum cum oblationibus, atque hoſtiis adiverunt. *Tanta enim*, ut praeclare habet Cicero (*a*), *erat auctoritas, & vetuſtas illius religionis, ut cum illuc irent, non ad aedem Cereris, ſed ad ipſam Cererem proficiſci viderentur.*

De tot tamque inter ſe diſcrepantibus opinionibus alii iudicent: mea autem haec eſt ratio, quoniam anaglyphum Romano artificio factum video, & Romae repertum fuit, hic ſupralaudatae mulieris icone repraeſentari Siciliam. Cui enim magis convenienter, quam huic inſulae, quae ceteris totius orbis terrarum fertilitate agrorum, lectiſſimiſque floribus, ut idem ait Cicero, omni tempore anni, praeſtabat, cornucopiae aptari a ſculptore potuit? Ac Ciceronis (*b*) quidem locum Diodorus Siculus graece vertiſſe videtur (*c*), habet enim hoc modo. *Rapta vero dicitur in vicinis Ennae pratis, qui locus non procul ab urbe eſt, violis, aliiſque florum generibus renidens, & ſpectatu dignus. Tanta illic odorum fragrantia eſſe dicitur, ut canes ad feras indagandas emiſſi, facultate ſenſus impedita, odoratu feras inveſtigare nequeant. Eſtque pratum illud in ſummo dorſo planum, & irriguum, circum vero circa altum, & undique praeruptum. Ac in medio totius inſulae ſitum eſſe putatur. Unde Siciliae umbilicus a quibuſdam vocatur. In propinquo etiam lucos, & prata habet, paludibus circumſeptos; & vaſta quadam ſpelunca, in qua hiatus eſt ſubterraneus arcto obverſus, per quem Plutonem curru ad auferendam Proſerpinam invectum eſſe fabulantur.*

Adoleſcentula, quam vides magna corporis parte nudam, flexoque genu, quaſi flores legat, Proſerpina eſt. Nam cum flores legeret abrepta a Plutone improviſo fuit. Hic autem ille eſt truculentus, aſpectuque terribilis ſenex, barbatus, incomptiſque capillis, qui ſceptrum, inſigne regni, quo potitur, inferorum, ſiniſtra manu tenet: & dextera complecti nititur Proſerpinam, quae inopinatae eius rei cauſſa perterrita dexteram attollit, inſpectanſque eum, ut ſibi eſſe propitius velit, orare, atque implorare videtur. Sed, ut ait Ovidius (*d*),

Pene ſimul viſa eſt dilectaque, raptaque Diti:
Uſque adeo properatur amor.

Adeſt ad dexteram Plutonis Venus mitra, ut in aliis antiquis monumentis cernitur, ornata; & quidem ſcite eam hic effinxit artifex, cum eius imprimis impulſu Proſerpina rapta fuerit. Etenim cum Pluto, ut Claudiani verbis utar (*e*),

Impatiens neſcire torum, nullaſque mariti
Illecebras, nec dulce patris cognoſcere nomen,

ex Erebo egreſſus Siciliae campos pervagaretur, Venus Cupidinem (*f*) filium hortata eſt, ut amore in Proſerpinam eum incenderet, & ita illatam ſibi a Proſerpina iniuriam ulciſceretur: quod ſolitaria vitam agens imitari Dianae, & Palladis virginitatem ſtuderet. Quoniam vero a Cybele in aede

(*a*) *In Verrem* lib. IV. cap. 49. ſect. 108.
(*b*) Ibid. cap. 48. ſect. 107.
(*c*) *Bibl. hiſt.* lib. V. §. 3. pag. 331. edit. Weſſeling.
(*d*) *Metamorph.* lib. V. verſ. 395.
(*e*) *De raptu* lib. I. verſ. 35.
(*f*) Ovid. *Metamorph.* ib. V. 363.

cuique impervia artificio Cyclopum exſtructa (*a*), concluſa fuerat; Iuppiter ſollicitus, ut Pluto compos voti factus ſua regna quam citiſſime repeteret, Venerem ad eam inde educendam miſit, qua de re cecinit Claudianus (*b*):

It Venus, & raptus metitur corde futuros,
Iam durum flexura chaos, iam Dite ſubacto
Ingenti famulos manes ductura triumpho.

Ne quid autem de inito conſilio Nymphae cuſtodes Proſerpinae ſuſpicarentur, Dianam, atque Minervam ſibi comites Venus adiunxit (*c*); quod hae, ut Diodorus narrat (*d*), Proſerpina familiariter uterentur. Μυθολογοῦσι δὲ μετὰ τῆς Κόρης τὰς τῆς ὁμοίας παρθενίας ἠξιωμένας Ἀθηνᾶν τε καὶ Ἄρτεμιν συντρεφομένας συνάγειν μετ᾽ αὐτῆς τὰ ἄνθη. *Cum Cereris quoque filia Minervam, & Dianam eidem virginitatis ſtudio dicatas educationis tempore vixiſſe, & cum ea flores collegiſſe perhibent*; quod animadverſum a Valerio Flacco (*e*), a Statio (*f*), atque ab aliis nonnullis Scriptoribus fuit. Sed Claudianus prodidit, Dianam, & Palladem, ut Iovis imperata facerent, huiuſmodi facinus ſimul cum Venere feciſſe (*g*):

Accelerat praecepta Venus, iuſſuque parentis
Pallas, & inflexo quae terret Maenala cornu
Addunt ſe comites.

Itaque quemadmodum in noſtro, ita in aliis anaglyphis Proſerpinae raptum repraeſentantibus non ſolum Venus, ſed & Diana, & Pallas exhibentur. Animadvertit autem Pauſanias (*h*) ſe in extrema porticu Megalopolitana expreſſam vidiſſe Proſerpinam una cum duabus puellis veſtibus talaribus indutis, calathoſque, ſive caniſtros floribus plenos, capitique impoſitos ferentibus, & quod earum unam Dianam, alteram Minervam plerique haud temere appellabant. At hic propriis utraque inſignibus ornatur. Minerva quidem caſſide, criſtaque, ut a Claudiano deſcribitur (*i*):

. . . . . . *Tritonia caſſide fulva*
Caelatum Typhona gerit,

atque etiam ſcuto, quod Proſerpina, ioco quidem, quandoque geſtabat, ut idem ait Claudianus (*k*):

Nunc crinita iubis galeam, laudante Minerva,
Implet, & ingentem clypeum geſtare laborat.

Diana vero corniculata luna diſtinguitur, & arcum, quem abſque telo lentum, non autem intentum, ut in venationibus, ſiniſtra tenet; proptereaquod effingitur, quod in campis Ennenſibus cum Proſerpina (*l*), recreandi animi cauſſa verſaretur. Num vero veſtitus hoc loco Dianae ille ſit, qui a Claudiano deſcribitur (*m*), & num pharetra ex humeris pendeat, oppoſitum ſimulacrum Plutonis, quominus inſpiciamus, impedimento eſt.

Nunc curru vectum Plutonem inſpicito. Is Proſerpinam perterritam, opemque a ſodalibus Deabus, ut videtur, implorantem complexus perquamcelerri-

(*a*) Claudian. ib. verſ. 235.
(*b*) Id. lib. II. verſ. 12.
(*c*) Id. lib. III. verſ. 207.
(*d*) *Bibl. hiſt.* lib. V. §. 3.
(*e*) *Argonaut.* lib. V. verſ. 344.
(*f*) *Achilleid.* lib. II. verſ. 149.
(*g*) *De rapt.* lib. I. verſ. 227.
(*h*) *Arcad.* lib. VIII. cap. 31.
(*i*) *De raptu* lib. II. verſ. 21.
(*k*) Id. lib. III. verſ. 218.
(*l*) Lib. II. verſ. 31.
(*m*) Ibid. verſ. 30.

celerrime ſibi abducit ; eamque Minerva, ni fallor, retrahere, apprehenſa illius dextera, conatur. Claudianus anaglyphum noſtrum, aut huius ſimile, dum ſcriberet, inſpexiſſe videtur. Nam iſtiuſmodi facinus expreſſit his verſibus (*a*):

Diffugiunt Nymphae : rapitur Proſerpina curru
Imploratque Deas : iam Gorgonos ora revelat
Pallas, & in tanto feſtinat Delia cornu,
Nec patruo cedunt, ſtimulat communis in arma
Virginitas, crimenque feri raptoris acerbat.

Diſpoſitae autem, delineataeque ea ratione hae, de quibus diximus, figurae, tum in noſtro, tum in aliis a nobis ſupralaudatis anaglyphis conſpiciuntur, ut ſecundum ſculptorem exemplum primi, tertium ſecundi, aut primi, atque ita porro, delineaſſe ſuſpicari fas ſit. At noſtrae quidem forma, actioneque praeſtant.

Quatuor equi currum trahunt, quos Claudianus memorat, inquiens (*b*):

Orphnaeus crudele micans, Aethonque ſagitta
Ocior, & ſtygii ſublimis gloria Nycteus
Armenti, Ditiſque nota ſignatus Alaſtor.

Equorum habenas, Pauſania teſte (*c*), Pindarus in hymno Proſerpinae, quem Thebis anui cuidam propinquae ſuae in ſomnis dictavit, *aureas* dixit. Sed veri fortaſſe ſimilius eaſdem ſubnigras, atque *ferrugineas* Ovidius (*d*) appellavit; quod is color apte caligini, tenebriſque regni inferorum congruat. Quare & amictus Plutonis *ferrugineus* (*e*) a Claudiano, & cymba Charontis *ferruginea* a Virgilio (*f*) nominantur. Appoſite autem Proſerpina, indicandae pernicitatis curſus cauſſa, pannum extentum, ventoque ſublatum, utraque manu retinet : in quem fortaſſe pannum flores, tum delapſos, ut vult Ovidius, recondiderat (*g*).

Deinde alatus Cupido, iuſſu fortaſſe Veneris matris, currum, ut Proſerpinam ad amandum Plutonem magis magiſque excitet, atque incendat proxime ſequitur. In ſupralaudato ſarcophago Florentiae apud Oricellarios ſervato, complures huc, atque illuc Cupidines volitant; & in ara, ſeu cippo Muſei Kircheriani apud Bonannium (*h*), unus ex Cupidinibus, ſeu ipſe princeps, maiorque, ut ita dicam, Cupido, currum Plutonis ducit.

Tum alius alatus puer, ut in ceteris laudatis marmoreis monumentis, ſuper equos volitat. Is, cum accenſam faculam geſtet, eſt Hymenaeus, qui Iovi imperanti parens ratas, firmaſque eas nuptias habet. En hac de re Claudiani teſtimonium (*i*):

. . . . . *nimbis Hymenaeus hiulcis*
Intonat, & teſtes firmant connubia flammae.

Plutonis currum ſubter, & equos vir incomptus, atque turbatus iacet, ac illum prope horrifer draco. Similis deinde videtur imago ſtantis viri, & manus protendentis, quaſi obniti equis vellet, & angues duo ad eius latera hian-

(*a*) *De raptu* lib. II. vdrſ. 204.
(*b*) Ibid. lib. I. verſ. 282.
(*c*) *Boeot.* lib. IX. cap. 23.
(*d*) *Metamorph.* lib. V. verſ. 404.
(*e*) *De raptu* lib. II. verſ. 275.
(*f*) *Aeneid.* lib. VI. verſ. 303.
(*g*) *Metamorph.* lib. V. verſ. 398.
(*h*) *Muſ. Kircher.* Tab. XXVI.
(*i*) *De raptu* lib. II. verſ. 230.

hiantes, atque idipſum conantes. His duabus plane ſimilibus imaginibus indicari actiones duas, ſed unum tantum exprimi Enceladum, quem alii vocant Typhoeum, puto. Hunc a Iove, quod bellum caelo inferre auſus eſſet, fulmine ictum, Siciliaeque, atque imprimis Aetnae monti ſuppoſitum fuiſſe, Mythologi, atque Poëtae fabulantur; qua de cauſſa Siciliam ſaepe motibus terrae concuti, ignesque ex Aetna erumpere (*a*). Itaque vir ille ubi iacet, gravitate, ac pondere eius inſulae premi Enceladum indicat; ubi vero exſurgit, eumdem currus Plutonis pernicitate, ſtrepituque permotum, equis, ut conſiſtant, obniti. Angues Gigantibus, atque imprimis Encelado a Valerio Flacco (*b*), & ab Heſiodo (*c*), qui centum fuiſſe eos prodit, tribuuntur. Apte ad rem, praeclareque Claudianus inquit (*d*):

. . . . . . gravibuſque gementem
Enceladum calcabat equis : immania findunt
Membra rotae, preſſaque Gigas cervice laborat
Sicaniam cum Dite ferens, tentatque moveri
Debilis, & feſſis ſerpentibus impedit axem :
Fumida ſulphureo praelabitur orbita dorſo.

Igitur in nonnullis vetuſtis monumentis anguis aut circumplicatus, aut erectus ad pedes equorum currus Plutonis, ut in poſtica numiſmatis a Sardibus (*e*), Gordiano Imperatore, inque ſimili numiſmate ab Hircanis in honorem Commodi apud Pellerinum (*f*), in cippo a Bonannio edito (*g*), & in praeſtantiſſima ara apud Boiſſardum (*h*); non autem Enceladi Gigantis imago, ut in noſtro ſarcophago, & in gemma apud Montfauconium (*i*), exprimitur.

Antegreditur currum chlamydatus, alatis pedibus, petaſatus, caduceumque ſiniſtra geſtans Mercurius. Ac conſentaneum id quidem eſt; propterea quod Mercurius non modo animas mortuorum ad infernum regnum Plutonis, indeque ad elyſia deduceret, ſed etiam quod Iovis iuſſu de abripienda Proſerpina cum Plutone egerit. Claudianus (*k*):

Tum Maia genitum, qui fervida dicta reportet,
Imperat acciri : Cyllenius aſtitit ales
Somniferam quatiens virgam, tectuſque galero.

Itaque omnibus in anaglyphis huiuſmodi raptum repraeſentantibus Mercurius cernitur: at Victoria, quae illum, ut vides, antegreditur, non item. Haec palmam ſiniſtra tenet, dextera coronam, quam Plutoni oſtendit, ſeu potius exhibet, quaſi applaudat, approbetque eius raptus, invitis, atque obnitentibus caelo, terraque, felicem exitum: terra quidem, quod uſque adhuc concluſum in inferis Plutonem retinuiſſet: caelo autem, quod complures Dii Proſerpinam ſumme concupiviſſent.

Ad Mercurii, Victoriaeque pedes ex terra erumpere virum cernis, qui ſummos digitos dexterae manus ori ſuo imponit. Indicem illum eſſe ceſſationis

(*a*) Vid Cluver. *Sicil. antiq.* lib. I. cap. 8.
(*b*) *Argon.* lib. II. verſ. 28.
(*c*) *Theog.* verſ. 824.
(*d*) *De raptu* lib. II. verſ. 157.
(*e*) Vid. Seguin. *Selecta numiſm.* pag. 22., Spanhem. *de praeſt., & uſu numiſm.* diſſert. IX. pag. 618.
(*f*) *Recueil des medailles* Tom. III. Pl. CXXX. num. 3. pag. 218.
(*g*) Loc. cit.
(*h*) *Antiquit. Roman.* Tom. II. Tab. LXXXV.
(*i*) *Antiquit. expliq.* Tom. I. Par. I. Tab. XLI. num. 2. pag. 82.
(*k*) *De raptu* lib. I. verſ. 76.

tionis poenarum, cum Proſerpina ad inferos pervenit, colligi ex Claudiano poſſe puto, qui haec habet (*a*):

Non rota ſuſpenſum praeceps Ixiona torquet,
Non aqua Tantaleis ſubducitur invida labris,
Solvitur Ixion: invenit Tantalus undas.

Hinc imaginem illam quin Tantalum ſitim explentem ſuam dicam, quid obſtet nihil video.

Antecedentium Plutonis currum figurarum poſtrema Hercules eſt armatus clava, leoninaque pelle indutus, qui in aliis etiam cum Graecorum, tum Latinorum monumentis eiuſdem raptus occurrit. Pauſanias (*b*) animadvertit in ſupralaudata porticu Megalopolitana eum prope Cererem expreſſum fuiſſe. Georgius autem Fabricius (*c*) ſimilem ſarcophagum, qui illius aetate prope aedem S. Silveſtri in Capite exſtabat, leonina quoque pelle indutum, clavamque dextera manu geſtantem Herculem in eius ſarcophagi latere inſculptum fuiſſe tradit. Idipſum in Michelotio ſarcophago, inque marmorea faſcia ab Aleandro, ut diximus, illuſtrata conſpicere cuique licet. Is Aleander myſtice Proſerpinae fabulam explicat, atque Cererem ſignificaſſe terram contendit, Proſerpinam ſemina terrae mandata, Plutonem hiemalem ſolem, Iovem pluviam, Dianam, & Minervam lunam, Herculem induſtriam, operamque ad excolendos agros neceſſariam; qua de re Artemidorum laudat aientem (*d*): ſomniare ſe eſſe cum Hercule, addictum ſe fore incommodis, atque labori praeſagium eſſe. Praeterea adiungit Herculem temporis eſſe indicium poſſe, idque ex Probo, atque ex aliis antiquis Auctoribus colligi, quorum proferre hoc loco teſtimonia, ut breves ſimus, praetermittimus. Sed Gorius (*e*) indicari cenſet animarum ad inferos reducendarum Herculi tributam poteſtatem. Praeterea in hoc anaglypho, ni fallor, impolite expreſſum video Cerberum canem, quem Hercules inhibet, ne ingredienti Proſerpinae obſiſtat. Nam uni Herculi tricipitem illam belluam coërcere fas fuit. Quid? nonne cani ſimilis ad Herculis crura expreſſa apparet effigies? Nonne Cerberus ad pedes Mercurii cernitur in ſarcophago a Gorio (*f*) vulgato?

Reſtat, ut oppoſitum, illudque extremum anaglyphi latus conſideremus. Id ſeries, ordoque rerum poſtulat. En Ceres a draconibus alatis duobus curru vecta Proſerpinam conquirit. Incomptis illa, dimiſſiſque in humeros capillis, oculis retro verſis, vultu reliquaque figura, ut a Claudiano (*g*) verſibus exprimitur, quam vehementer animo angatur, oſtendit. Praeclare Ovidius (*h*):

Mentis inops rapitur, quales audire ſolemus
Treiicias paſſis Maenadas ire comis.

Faculam ſiniſtra tenet; quam truncum fuiſſe ſacrarum arborum ſilvae ad Acim fluvium, ubi Iuppiter ſpolia hoſtibus detracta collocaſſe dicebatur, atque a Cerere ignibus Aetnae inflammatum Claudianus prodit (*i*). Tullius autem (*k*): *Quam*

(*a*) *De raptu* lib. II. verſ. 335.
(*b*) *Arcad.* lib. VIII cap. 31.
(*c*) *Roma* cap. 21. pag. 225.
(*d*) *Oneirocrit.* lib. II. cap. 42.
(*e*) *Inſcript.* Tom. III. pag. 107.
(*f*) Ib. Tom. III. Tab. XXVI.
(*g*) *De raptu* lib. III. verſ. 382.
(*h*) *Faſtor.* lib. IV. verſ. 457.
(*i*) *De raptu* lib. III. verſ. 332.
(*k*) *In Verrem* lib. IV. cap. 48. ſect. 106.

Quam [Proſerpinam], inquit, *cum inveſtigare, & conquirere Ceres vellet, dicitur inflammaſſe taedas iis ignibus, qui ex Aetnae vertice erumpunt, quas cum ſibi ipſa praeferret orbem omnium peragraſſe terrarum*. Statius quoque accenſas a Cerere furente faculas memorat (*a*), & Ovidius (*b*) inde ortum habuiſſe faculas in ſacrificiis Cereris ſcribit his verſibus:

Illic accendit geminas pro lampade pinus,
Hinc Cereris ſacris nunc quoque taeda datur.

Praeterea in antiquis omnibus eiuſmodi monumentis unam, aut duas faculas Ceres retinet. In noſtro tenebat profecto duas, ſed earum alteram, quam dextera geſtabat, anaglyphi refector cum baculo longo permutavit. Duo illi angues eleganti iugo ad currum iuncti, ut in ceteris fere omnibus ſupra indicatis monumentis, alati. Alatos quoque fuiſſe angues currus Cereris, cum ad parentem ſuam contenderet, ex Claudiano colligimus (*c*). Animadvertit autem Phornutus (*d*) alatos etiam eos fuiſſe, quos ad currum Triptolemi filii ſui Ceres iunxit, cum illum, ut mortales frumenti facere ſementem doceret, per orbem terrarum miſit (*e*). In praeclaro numiſmate L. Veri a Trallenſibus, qui Lydiam incolunt, cuſo Ceres cum duabus faculis, & ad currum bobus duobus iunctis, occurrit. Singulare id quidem eſt; & Pellerinus (*f*), qui numiſma vulgavit hinc coniicit colligi poſſe vel boves, inſignia fuiſſe Trallenſium, aut Cererem arare terram bobus docuiſſe. In numiſmate autem Macedonum a Goltzio edito (*g*) Ceres geſtans faculas duas dorſo bovis currentis inſidet.


Poſtremo de lateribus ſarcophagi dicendum eſt, quorum icones in fronte huiuſce lucubrationis exhibentur. Horum in ſiniſtro adoleſcentulae ſunt duae floribus implentes vas, ſeu caniſtrum. Proſerpinae ſunt illae comites, quarum complures Pauſanias (*h*) numerat, atque ex Homeri hymno in Cererem nomina recitat. At hic, ut in aliis ſimilibus monumentis, expreſſae ſunt tantum duae.

Dextero autem in latere ſedenti veluti in throno, ſiniſtraque ſceptro innixo Plutoni Mercurius mulierem undique amictam offert, animae nempe imaginem, quod futurum poſt mortem de animabus iudicium indicat. In aliquibus monumentis effingitur ſedens etiam ipſa Proſerpina, quam apud Claudianum (*i*) Pluto ſic alloquitur:

Sub tua purpurei venient veſtigia reges
Depoſito luxu turba cum paupere mixti.
Omnia mors aequat, tu damnatura nocentes,
Tu requiem latura piis: te iudice ſontes
Improba cogentur vitae commiſſa fateri.

(*a*) *Thebaid.* lib. XII. verſ. 270.
(*b*) *Faſt.* lib. IV. verſ. 493.
(*c*) *De raptu* lib. I. verſ. 184.
(*d*) *De nat. Deor.* cap. 28.
(*e*) Vid. Bonarrot. *Oſſervaz. iſtoriche ſopra alcuni Medaglioni* pag. 58.
(*f*) *Supplement aux recueils des medailles* To. I. Pl. IV. num. 6. pag. 74.
(*g*) *De re nummaria* Tom. III. Tab. XXII. n. 8.
(*h*) *Meſſen.* lib. IV. cap. 30.
(*i*) *De raptu* lib. II. verſ. 300.

EXPLI-



EXPLICATIO

TAB. LVI.

QUum perdifficilis, & perobſcura quaeſtio ſit, cuinam rotunda haec, Etruſcique artificii ara uſui veteribus fuerit: tum longe difficiliores explicatus habent Mercurius, Apollo, atque Diana ad aram in ea inſculptam, ut vides, contendentes. Si verum illud, congruenſque cum ſimulacro eſſet, quod Indicis Muſei Capitolini auctor ſcribit, propiore ad aram figura ſacerdotem exprimi; iam votivam eam eſſe aram Apollini, Dianaeque conſecratam colligerem: quod utriſque, prout geminis fieri ſacrificia, dicarique templa, ut plurium veterum ſcriptorum teſtimonio conſtat, ab ethnicis conſueverint. Sed ille cum caduceo Mercurius eſt, cuius ſimile exemplum Winckelmannius (*a*) edidit. Hoc de anaglypho quid ego ſcrutando, excogitandoque comperi ita proponam, ut eorum, quae proferam, nihil tuear; ſed interpretis fungar munere, doctiſque viris aſſentiar ſi quid umquam veriſimilius, atque accuratius explicatum edant.

Principio igitur, Diis Manibus eam aram dicatam fuiſſe ex inſignibus, quibus imagines trium Numinum ornantur, colligo. Iis enim illorum poteſtatem in inferos indicari veteres imprimis Mythologi volunt. Ac in gemma quidem Muſei Riccardiani apud Gorium (*b*) Mercurius ante aram dextera manu pateram ad ſacrificia, ſive libationes tenet, ſiniſtra autem caput quoddam, ſeu perſonam. Haec mortuorum ſignificat, qua ille fungitur, curationem, ut ex Virgilio (*c*), qui larvas cum perſonis comparat, atque ex Homero (*d*), qui perſonas vocat εἴδωλα καμόντων *ſimulacra mortuorum*,

(*a*) *Monumenti antichi &c.* Tab. xxxviii.
(*b*) *Muſ. Florent.* Tom.I. claſs. iv. Tab. lxxi. num. 1.
(*c*) *Aeneid.* lib. iv. verſ. 654.
(*d*) *Odyſs.* lib. xxiv. verſ. 14.

agnoſci poteſt. Caduceo quoque eamdem Mercurii in animas mortuorum poteſtatem ſignificari Virgilius aperte tradit his verſibus (*a*):

Tum virgam capit, hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit,
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Sed etiam Apollo inferorum Deus credebatur. Nam triplicem obtinuiſſe poteſtatem Porphyrius apud Servium (*b*) ſcripſit. Atque in caelo quidem appellatum Solem, eique propter harmoniam ſphaerarum lyram attributam fuiſſe; in terra Liberum, eiuſque inſigne gryphum; in inferis Apollinem cum arcu, & ſagitta. Quare apud Virgilium (*c*) duo Apollini altaria ponuntur, quod Dii inferorum pari numero gauderent, quemadmodum animadverſum a Servio fuit: *Sane quaeritur*, is auctor inquit, *cur duo altaria Apollini ſe poſiturum dicat, cum conſtet ſupernos Deos impari gaudere numero, infernos vero pari, ut: Numero Deus impare gaudet; quod etiam pontificales indicant libri. Sed conſtat ſecundum Porphyrii librum, quem Solem appellavit, triplicem eſſe Apollinis poteſtatem, & eumdem eſſe Solem apud ſuperos, Liberum Patrem in terris, Apollinem apud inferos*. Iam vero Diana quoque inferorum Dea erat, atque Hecate, ac Proſerpina dicebatur. Quod ſi Heſiodus (*d*) aliam fuiſſe Dianam a Proſerpina exiſtimaſſe videatur; nomine quidem, non autem re aliam fuiſſe Callimachus (*e*), Pindarique Scholiaſtes (*f*) plane tradunt. Quare faculam dextera manu in noſtra ara Diana tenet; atque φαεσφορίην *facifera*, quod eadem ac Hecate ſit, ut Graecus Callimachi Scholiaſtes ſcribit, a Callimacho (*g*) nominatur. Hecaten vero *faciferam* Apollonius (*h*), faciferamque Proſerpinam Licophron (*i*), Demoſthenes, Aeſchylus, Scholiaſtes Apollonii (*k*) laudatus, Favorinus, & Euſtathius (*l*) apud Potterum (*m*) dixerunt. Porro Pauſanias ſtatuam Dianae memorat (*n*), in cuius dextera manu erat facula, atque dracones in ſiniſtra duo. Hos Proſerpinae propria inſignia fuiſſe cum ex aliis vetuſtis monumentis conſtat, tum ex nummo Hadriano Imperatore cuſo, quem Spanhemius (*o*), qui plura hac de re veterum Scriptorum teſtimonia colligit, e Muſeo Gallorum Regis vulgavit.

Sed ea, quae perſecuti ſumus fortaſſe ad rem non pertinent. Quid? Annon Veſtae eam aram conſecratam fuiſſe ſuſpicari licet? Gentem enim nullam tam immanem, tamque barbaram fuiſſe intelligo, quae non eſſe eius Numini adhibendos cultus, honores, preces, exiſtimarit. Quid? Nonne Veſtam re vera veteres dixerunt ignem? Eſt ita plane. Nam Ovidius in ſexto Faſtorum libro inquit (*p*):

Nec tu aliter Veſtam, quam vivam intellige flammam;

& alio

(*a*) *Aeneid.* lib. IV. verſ. 242.
(*b*) Eclog. V. verſ. 66.
(*c*) Loc. cit.
(*d*) *Theogon.* verſ. 406.
(*e*) Inter fragm. collecta a Richardo Bentley, num. 48.
(*f*) *Nem.* od. I. verſ. 3.
(*g*) *Hymn. in Dian.* verſ. 11. & 204.
(*h*) *Argon.* lib. III. verſ. 846.
(*i*) *Caſſand.* verſ. 710.
(*k*) Loc. cit.
(*l*) *Iliad.* ζ. pag. 510., & δ. pag. 347.
(*m*) *Comment. in Licophron.* verſ. 710.
(*n*) *Arcad.* lib. VIII. cap. 37., vid. quoque cap. 36. in fin.
(*o*) Ad verſ. 2. *in hymn. Dian.* Callim.
(*p*) Verſ. 291., & verſ. 297.

& alio in loco :

Ignis inextinctus templo celatur in illo:
Effigiem nullam Veſta nec ignis habet .

Itaque non abſurdum, ſed veri eſſe arbitror ſimile, ſi inſculptam cum igne aram ſignificare Veſtam putem. Atque eodem ſane modo repraeſentari Veſtam video cum in nummo Fauſtinae cum inſcriptione VESTA apud Iuſtum Lipſium (*a*), tum in alio maxime ſimili apud Spanhemium (*b*), inque aliis pleriſque apud doctos veterum monumentorum editores. In iis aut ara tantum, aut ara, & Veſtalis ſacrificula exhibetur. Praeterea βωμὸς καὶ Ἑστία *ara & Veſta* apud Aeſchylum (*c*) ſynonima ſunt, *focumque* ille *ſine igne* ἀθέρμαντον Ἑστίαν vocat. Quare Ariſtoteles (*d*) γελᾷν τὴν Ἑστίαν *ridere Veſtam* dixit, ut flammae crepitum exprimeret. Pauſanias autem narrat (*e*) in Veſtae aede apud Hermonienſes nullum eius ſimulacrum, ſed ſolum aram exſtaſſe. Παρελθοῦσι, inquit, δὲ εἰς τὸ τῆς Ἑστίας, ἄγαλμα μὲν ἔστιν οὐδὲν, βωμὸς δὲ καὶ ἐπ' αὐτοῦ θύουσιν Ἑστίᾳ. *Ingredientibus autem in aedem Veſtae ſimulacrum quidem occurrit nullum, ſed ara; & ſuper hanc ſacrificant.* Romae vero ſub tholo templi Veſtae ara, perpetuuſque ſuper aram ignis Veſtam repraeſentabant. Quamobrem Ovidius ait (*f*):

Eſſe diu ſtultus Veſtae ſimulacra putavi,
Mox didici curvo nulla ſubeſſe tholo.

Et Cicero (*g*) *Focum Urbis* appellat Veſtam. Procopius (*h*) quoque in ſecundo de bello Perſico libro ſimilia tradit. Ubi enim Magos Perſas coluiſſe potiſſimum ignem inextinctum dixit, haec habet: Τοῦτ' ἐστὶ τὸ πῦρ, ὅπερ Ἑστίαν ἐκάλουν τε, καὶ ἐσέβοντο ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις Ῥωμαῖοι. *Hic eſt ille ignis, quem Romani vocabant Veſtam, & olim colebant.* Quod ſi in nonnullis nummis mulier ſuis undique amicta veſtibus Veſtam exhibet (*i*); vetuſtiſſimo tamen more apud omnes fere gentes ara cum igne ſymbolum Veſtae fuit. Porro hanc meam non eſſe abſurdam, ſed veriſimilem, probabilemque opinionem comprobant circumſtantes Dii Mercurius, Apollo, & Diana. Hi namque ſimul cum Veſta colebantur. Mercurius quidem: Pauſanias enim tradit (*k*), Olympiae Mercurio, & Veſtae in eadem ara fieri ſacrificia conſueviſſe, inque gradu ſolii Iovis Olympici Phidiam inſculpſiſſe Mercurium tenentem complexu Veſtam (*l*). Sed illud rem omnino conficit, quod idem Pauſanias (*m*) de ſimulacro Mercurii barbati [qualis in noſtra ara cernitur] contra ſimulacrum Veſtae collocato in foro Pratenſium ſcribit: Ἑρμῆς τε ἐν μέσῃ τῇ ἀγορᾷ λίθου πεποιημένον ἄγαλμα ἔχων καὶ γένεια .... κεῖται δὲ πρὸ τοῦ ἀγάλματος Ἑστία. *In medio Mercurii marmoreum ſignum cum barba .... Ante Mercurii ſignum Veſta & ipſa marmorea.* Praeterea ſimulacrum Mercu-

(*a*) *De Veſta, & Veſtal.* cap.I. in Theſ. Graev. Tom.v. pag.627.
(*b*) *De Veſta, & Prytanib.* ſect.12. in cit. Theſ. pag.631.
(*c*) *Eum.* verſ.282., & 443. Vide quoque *Choeph.* verſ.627.
(*d*) *Meteorol.* lib.II. cap.9.
(*e*) *Corinth.* lib.II. cap.35.
(*f*) *Faſtor.* lib. VI. verſ.295.
(*g*) *De legib.* lib.II. cap.12.
(*h*) *De bell. Perſ.* lib.II. cap.24.
(*i*) Vid. Spanhem. *de Veſta* ſect.12., & 13. in Theſ. Graev. Tom.v. pag.681., & 684. &c.
(*k*) *Eliac. prior.* lib.v. cap.14.
(*l*) Ibid. cap.2.
(*m*) *Achaic.* lib.VII. cap.22.

rii Enodii, ideſt *in via poſiti*, quod fingere barbatum ſolebant, collocatum prope Veſtam ab Athenienſibus fuiſſe Harpocration, & Suidas (*a*), Iſaeum in oratione ad Euclidem ſequuti, narrant.

Nemini autem eſſe mirum debet Apollini, Dianaeque ſimul, & Veſtae adhibitum a veteribus cultum fuiſſe. Nam Apollo Sol erat, Diana Luna, Veſta Ignis ſempiternus, ut Perſae aiebant, quem Romani nominabant Veſtam. Iam Aeſchylo teſte (*b*), in templo Apollinis Delphici ignis ſempiternus cuſtodiebatur, & teſte Plutarcho in vita Ariſtidis (*c*), cum Plateenſes Iovi Liberatori aram poſuiſſent, & Apollinem conſuluiſſent, Oraculi reſponſum fuit, ut antequam ſacrificia fierent, omnem univerſae regionis ignem extinguerent, propterea quod a barbaris gentibus profanatus fuerat, ἐναύσασθαι καθαρὸν ἐκ Δελφῶν ἀπὸ τῆς κοινῆς Ἑςίας, *ac illum purum Delphis ex communi Veſta, ſeu ara accenderent*. Legimus autem apud Callimachum (*d*) Cyrenaeos perpetuo ignem in ara templi Apollinis, quemadmodum Romae in templo Veſtae, magna religione, cuſtodire conſueviſſe. In templo quoque Dianae, ſive Proſerpinae perpetuo Arcades Mantinenſes ignem ſervabant, ut Pauſanias memoriae prodidit (*e*). Iiſdem vero inſignibus Salonina, in nummo apud Spanhemium (*f*), ac noſtra Diana ornatur, mitella, atque facula cum inſcriptione: VESTA FELIX.

Tertia arae Capitolinae explicandae, eaque profecto expeditior, mea haec eſt ratio. Quatuor anni tempeſtates exprimi: ara cum igne ſeu Veſta hiemem, Mercurio ver, Apolline aeſtatem, Diana autumnum.

Principio igitur figura Veſtae, id eſt ignis, hiemem repraeſentari, cuique, qui eo tempore frigore frigeſcit, eſſe exploratum poteſt. Quare caeleſte Capricorni ſignum Veſtae tributum fuiſſe Manilius in Aſtronomico (*g*) clare docet. Ait enim:

Atque anguſta fovet Capricorni ſidera Veſta;

& alio in loco (*h*):

Veſta tuos Capricorne fovet penetralibus ignes,
Hinc artes, ſtudiumque trahis;

Decembri namque menſi, quod animadverſum etiam a Daniele Huetio (*i*) fuit, Capricornus praeeſt, quo menſe imprimis calefieri igne conſueſcimus.

Veris autem ſymbolum eſſe Mercurium ex Martiano Capella (*k*) perſpicuum eſt, qui habet hoc modo: *Tunc vero conſpiceres totius mundi gaudia convenire: nam & tellus floribus luminata, quippe veris Deum conſpexerat ſubvolare Mercurium*; & ex Remigio Monacho Antiſiodorenſi, qui in notis ad eum Capellae locum ſcribit, veris Mercurium fuiſſe tutelarem Deum, *quod & ipſe fertur praeeſſe ſeminibus maris, & terrae, & ipſe eſt dictus Favonius*. Is enim ventus vere potiſſimum ſpirat, utque ait Plinius (*l*): *Ver aperit navigantibus maria, cuius in principio Favonii hybernum molliunt caelum.*

Prae-

(*a*) In *Lexic.* in v. τρικέφαλος.
(*b*) In *Coeph.* verſ. 1036.
(*c*) Tom. I. Oper. pag. 331.
(*d*) *Hymn. in Apoll.* verſ. 83. & 84.
(*e*) *Arcad.* lib. VIII. cap. 9.
(*f*) *De Veſta, & Prytan.* §. 2. in Theſ. Graev. Tom. V. pag. 680.
(*g*) Lib. II. verſ. 445.
(*h*) Lib. IV. verſ. 243.
(*i*) In not. ad hunc loc.
(*k*) *De nupt. Philol., & Mercur.* lib. I.
(*l*) Lib. II. cap. 13.

Praeterea idipſum ex Ariete ſigno caeleſti colligitur. Hoc enim ſignum, praeſertim Mercurio, ut alibi diximus, dicatum, vim menſe Martio obtinet, atque ver ſignificat: cumque ea tempeſtate oves tondeantur, hanc fortaſſe ob cauſſam Mercurius & lanificii Deus, & inventor nendae lanae dicebatur, ut apud Tertullianum (*a*) legitur. Nummi Clodii Albini exſtant apud Auguſtinum duo (*b*), in quibus iuvenis dextera manu caduceum cum nonnullis ſpicis triticeis retinens Mercurium certo exhibet, ut comprobat huius ſimilis figura, quae ex antiquo marmore expreſſa reperitur apud Aleandrum (*c*), capite petaſo alato ornata, dextera manu caduceum tenens, & ſiniſtra cornucopiae refertum tritico, herbis, fructibus; & prope quam arieti inſidet puer, medioque in marmore duabus cum faculis Sol occurrit, atque inſcriptio: BONAE SPEI. Haec enim oſtendunt quam ſpem futurae ubertatis agrorum, copiaeque meſſium, Acheloico Mercurii cornu expreſſae, habeamus, ex vere, cui Mercurius praeeſt, cognoſci. Denique vel ipſi ſerpentes caduceo circumplicati fortaſſe ver indicant; ſalutis enim ſunt indices, ſaluberrimumque ver eſt reliquorum anni temporum, ut Hippocrates (*d*), & Cornelius Celſus (*e*) tradunt. Qua de cauſſa Mercurius Phornuto (*f*) teſte ἀκάκητος *malum nullum afferens* nominatus eſt, eiuſque comitem nonnulli veteres Hygiam, id eſt Deam ſalutis, fuiſſe dixerunt.

Sequitur Mercurium Apollo, opportune quidem, apteque ad aeſtatem deſignandam, quod Apollo nihil aliud ſit quam Sol, aeſtateque vis Solis ſit maxima, ut Plutarchus ab Euſebio laudatus (*g*) animadvertit. Cum autem Sol radios quaſi tela emittat, Apollinem arcu, teliſque armatum Poetae expreſſerunt: fabulaque Phaethontis caelum, terramque comburentis igneam Solis vim, atque naturam ex ſententia ſapientum declararunt. Adeundi hac de re ſunt Philoſtratus libro Iconum primo (*h*), atque Proclus in Platonis Timaeum (*i*), quo loco Proclus copioſe de eiuſmodi incendio agit, eoque explicari ait naturam, effectuſque Solis cum radiorum maximo appulſu obiecta corpora exardeſcant. Noſtra in ara Apollo nedum cum arcu, atque telo, ſed etiam coronatus exhibetur. Quamobrem cum Euſebio Caeſarienſi (*k*) animadvertendum eſt, lauream coronam Apollini tributam fuiſſe, quod admodum ignea haec arbor eſſet: Περιέθεσαν δὲ αὐτῷ τὴν δάφνην, ὅτι πυρὸς πλῆρες τὸ φυτόν, *circumpoſuerunt ei lauream, quod ignis ſit plena arbor*. Scribit autem Fulgentius (*l*) ſignificandae vis eius radiorum cauſſa Soli Apollinis fuiſſe tributum nomen: *Apollinem*, inquit, *Solem dici volunt*: ἀπόλλων *enim graece, perdens dicitur, quod fervore ſuo omnem ſuccum virentium decoquendo perdat herbarum*; eique conſecratum corvum, *quod ſolus contra rerum naturam in mediis ipſis aeſtivis fervoribus oviparos pullulet fetus; unde & Petronius*:

Sic contra rerum naturae munera notae
Corvus maturis frugibus ova refert.

Poſtre-

(*a*) *De pallio* cap. 3.
(*b*) Tom. II. Tab. x. & xi.
(*c*) *Explicat. Tabul. Heliac.* in Theſ. Graev. Tom. v. pag. 746.
(*d*) Lib. III. aph. 9.
(*e*) Lib. II. cap. I.
(*f*) *De nat. Deor.* cap. 16.
(*g*) *Praep. evangel.* lib. III. cap. 11.
(*h*) Num. 11. *Phaeton.*
(*i*) Lib. I. pag. 33. & 34.
(*k*) Loc. cit.
(*l*) *Mythol.* lib. I. cap. 12.

Poſtremo autumnum in tutela Dianae fuiſſe aperte in Aſtronomico Manilius docet (*a*), eique Sagittarii ſignum attribuit hoc verſu :

Venantem Diana virum, ſed partis equinae.

Ac quidem cum autumnus potiſſimum ſit tempus venationum, apte ad Dianam pertinere eius tutelam comminiſcebantur, quae θηροκτόνος *exterminatrix ferarum* ab Euripide (*b*) dicitur; eique illarum captarum primitiae a venatoribus conſecrabantur, ut ex Callimacho, & ex Arriano colligimus. Arriani teſtimonium eſt huiuſmodi (*c*) : Ἀλλὰ χρὴ θύειν Ἀρτέμιδι Ἀγροτέρα ἐπὶ τῷ κτήματι, θύειν δὲ χρὴ καὶ ἐπὶ θήραν εὐπράξαντα, καὶ ἀνατιθέναι ἀπαρχὰς τῶν ἁλισκομένων. *Sed pro adepto munere Dianae venatrici ſacra debentur : cui etiam poſt venationem ex voto peractam ſacrificandum, & primitiae praedarum offerendae.* Offerri autem vel in ſilvis ipſis ſolebant. Nam aliquot in iis delubra, atque ſimulacra Dianae erant quibus captarum ferarum capita venatores ſuſpendebant, uti Philoſtratus (*d*), Ariſtophaniſque Scholiaſtes (*e*) narrant. Appoſite igitur artifex Dianam nedum cum pharetra, teliſque, ſed etiam cum facula expreſſit, quod haec ſignificet ante ortum Solis eſſe oportere initia autumnalium venationum. Phornutus (*f*) addit, *ipſam* [Dianam] *luctu, & caede gaudere plurimum.* Autumno enim morbos aut diutiſſime manere, aut letiferos eſſe comperimus : quare illum *letiferum* Iuvenalis dixit, & Horatius (*g*) :

Autumnuſque gravis Libitinae quaeſtus acerbae,

& Virgilius (*h*) :

Hic quondam morbo caeli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totoque autumni incanduit aeſtu.

Quem in locum Virgilii haec Servius ſcripſit : *Exarſit prima autumni parte, quae ſemper gravem efficit peſtilentiam. Ut autem autumnus abundet morbis facit confinium frigoris, & caloris, quod licet & vernum tempus habeat, caret tamen morbo, quia tunc corpora praecedenti durata ſunt frigore, quae autumnus corrumpit, laxiora inveniens poſt aeſtatis calorem.*

His, quae diximus, illud addendum eſſe videtur : quatuor etiam elementa exprimi fortaſſe iis quatuor figuris potuiſſe. Namque Ovidio imprimis auctore (*i*),

Veſta eadem eſt, quae terra : ſubeſt vigil ignis utrique;
. . . .
Stat vi terra ſua, vi ſtando Veſta vocatur;

Similia hac de re Plutarchi (*k*), Suidae (*l*), aliorumque teſtimonia, ne ſim nimius, ſilentio praetermitto. Satis autem exploratum eſt repraeſentari Mercurio aërem facile poſſe, quod is leviſſimus, idemque, ut ſupra diximus, ac ventus crederetur. Neque dubitandum eſt effigie Apollinis exhiberi ignem, quod is Sol fuerit, ſcribatque Macrobius (*m*) a nonnullis Solem cor caeli appel-

(*a*) Lib. II. verſ. 444.
(*b*) *Iphig. in Aulid.* verſ. 1570.
(*c*) *Cyneg.* cap. 33.
(*d*) *Icon.* lib. I. n. 28. p. 805. edit. Olear.
(*e*) *In Plut.* verſ. 944.
(*f*) *De nat. Deor.* cap. penult.
(*g*) Lib. I. ſat. 4. verſ. 56.
(*h*) *Georg.* lib. III. verſ. 478.
(*i*) *Faſt.* lib. VI. verſ. 267. & 299.
(*k*) *De primo frigido* Tom. II. Op. pag. 954.
(*l*) In v. Ἱστίη.
(*m*) *In ſomn. Scipion.* lib. I. cap. 20.

appellatum fuiſſe : *quod natura ignis ſemper in motu , perpetuoque agitatu eſt : Solem autem ignis aetherei fontem dictum eſſe* . Quod ſi quis neget aquae ſymbolum eſſe Dianam poſſe, is ſic habeat : maria ad Dianam , ut Callimachus (*a*) teſtatur , pertinuiſſe , eamque portuum cuſtodem appellatam fuiſſe ; multaque hac de re numiſmata a Spanhemio (*b*) cum imagine Dianae numerari . Praeterea Dianae Marinae nomen a Plutarcho (*c*) memorari , eiuſque Numini primitias piſcatus conſecrari a piſcatoribus conſueviſſe . Atque huc fortaſſe pertinet, quod apud Callimachum legitur (*d*) , ſexaginta Nymphas marinas Oceani, & Thetidis filias , [quae termille erant , variiſque , ut Heſiodus narrat (*e*) perfungebantur muneribus] in choro Dianae veluti eius adminiſtras fuiſſe .

Verum de his ſomniis , ſive coniecturis ſatis . Nae illud cuique eſſe certum debet , eam aram Etruſco artificio affabre factam fuiſſe ; idque ex forma , habitu , veſtituque , ex comptis capillis , ex cincinnis in humeros decidentibus , exque duplici talari Dianae veſte , quarum externam illa eleganter attollit, plane cognoſcitur . Nam ſimiles Etruſcae imagines in anaglyphis marmoreis, fictilibuſque , pictiſque in vaſculis apud Gorium , alioſque Etruſcarum antiquitatum Scriptores conſpiciuntur . Praeterea unumquodque horum Numinum, ut in reliquis Etruſcis imaginibus , extento brachio ; Mercurius quidem quaſi offerat caduceum , Apollo telum , Diana faculam : quemadmodum imagines maiorum Deorum duodecim in alio Etruſco monumento marmoreo, de quo ſupra propoſuimus , exprimuntur . Sed Mercurius cum prolixa , eaque acuminata barba , penulaque indutus diligenter hoc loco inſpiciendus eſt . Hac viſa penula , quod non abſimilis veſti ſacrae ſit , auctor Indicis Muſei Capitolini in animum fortaſſe induxit, ut illum ſacerdotem ſacrificium facientem crederet . At de Mercurio barbato complures , praeter Pauſaniam ſupralaudatum, veteres Scriptores agunt . In his Phornutus numeratur (*f*) , qui haec habet : Οἱ δ' ἀρχαῖοι τοὺς μὲν πρεσβυτέρους καὶ γεννῶντας τὸν Ἑρμῆν ὀρθὰ ἐποίουν τὰ αἰδοῖα ἔχοντας , τοὺς δὲ νεωτέρους καὶ ἀγενείους , ἀνειμένους , id eſt , ut Iacobus Mycillus vertit : *Ceterum veteres , aetate provectiores , ac generantes Mercurium erectis genitalibus delineabant , ſed minores , ac aetate nondum adulta , remiſſioribus* . Sed hoc loco *Mercurios* , non autem *Mercurium* , legendum ex tota ſententia patet (*g*) : erraſſeque Conradum Clauſerum , qui hoc Phornuti teſtimonium ſic vertit : *Veteres Mercurii parentes natu grandiores pingunt &c.* Sunt autem, & hi quidem eruditi Graecis litteris , qui male converſa dicant latine Graeca cum Phornuti , tum Procopii Gazaei (*h*) opera . Quamobrem Graeca nondum edita Procopii cum Latinis contuli , inque iis legendis , vertendiſque non mediocriter ſum verſatus . Redeo ad Mercurium . A Pelaſgis imprimis, quorum coloniam eſſe Etruſcos fere omnium litteratorum conſenſu firmata opinio eſt, Mercurios repraeſentari barbatos conſueviſſe , Euſtathius (*i*) teſtatur . Ab Artemidoro (*k*) quoque Ἑρμῆς ὁ σφηνοπώγων *Mercurius cum barba acumi-*

(*a*) *Hymn. in Dian.* verſ.39. 198. , & 259.
(*b*) Ibi ad verſ.39.
(*c*) *De ſolert. animal.* pag. 965.
(*d*) *Hymn. in Dian.* verſ.13.
(*e*) *Theog.* verſ. 364.
(*f*) *De nat. Deor.* cap.16.
(*g*) Vid. Cuper. *Monum. antiqua &c. In ſuppl. Poleni* Tom.II. pag.542.
(*h*) Vid. Cave *Hiſt. litter. ad ſaec.* VI. p.327.
(*i*) *Iliad.* φ. pag. 1249. edit. Rom.
(*k*) *Oneirocrit.* lib.I. cap. 42.

acuminata dicitur. Sed is auctor de Hermis, non autem de ipſis ſtatuis agit; & perſona comica σφηνοπώγων, *cum barba acuminata*, a Polluce (*a*) Ἑρμώνειος, quod ſimilis Mercurio ſit, appellatur. Ceterum de Mercurio, & Hermis copioſe, diligenterque Iohannes Nicolaius ſcripſit (*b*), quem, ſi plura velis, conſule.

Demum huius ſimulacri maxime ſimile illud eſſe video, quod Pignorius in adnotationibus ad imagines Deorum a Cartario editas aere inciſum vulgavit, atque huc ſpectare non ſolum Serapidis Dei Aegyptiorum imaginem, ſedentis quidem cum caduceo alato, prolixaque barba, de qua in Harpocrate eruditiſſimus Cuperus egit (*c*), ſed etiam aras cum barbato Mercurio apud Gruterum (*d*), & apud Montfauconium (*e*), quarum poſtrema Mercurium exhibet barbatum cum petaſo alato, marſupio, caduceo, & inſcriptione huiuſmodi:

SACRVM . MERCVRIO
AVGVSTO . C. IVLIVS
HEALISSVS . V. L. S. M

Poſtremo paenula ad genua Mercurii pertingens, quin brachia obtegeret, ſuperponi tunicae ſolebat. Sed noſter Mercurius haud indutus tunica, ſed ſolum paenula videtur. Decebat autem illum paenula ornari, quod nuntius Deorum, tutelareque Numen, ut ethnici putabant, viatorum eſſet. Nam, ut demonſtratum a doctiſſimo Ferrario (*f*) fuit, viatores imprimis paenula utebantur. Dici etiam poſſet paenulam hoc loco Mercurium decere, quod ſacrificans videatur. Illa enim, ut laudatus Ferrarius (*g*), ac Donius (*h*) docent, ethnici ad ſacrificia quoque utebantur. Neque vero hac in ara tantum, ſed etiam in aliis pleriſque vetuſtis monumentis apud Ferrarium eumdem (*i*), atque Bartolinium (*k*) Mercurius paenulatus occurrit.

(*a*) *Onomaſt.* lib. IV. c. 19. ſegm. 143. & 145.
(*b*) *De Mercur.*, *&* *Hermis* cap. 10.
(*c*) *In ſupplem. Polen.* Tom. II. pag. 459.
(*d*) Pag. 52. num. 1.
(*e*) *Antiq. expliq.* Tom. I. Par. I. Tab. LXXIII. pag. 133. num. 5.
(*f*) *De re veſtiar.* Par. II. lib. II. cap. 2. in Theſ. Graev. Tom. VI. pag. 852.
(*g*) Ibid. cap. 7. pag 833.
(*h*) *De utraque paenula* ibid. p. 1153.
(*i*) Ibid. pag. 832.
(*k*) *De paenula* cap. 4. ibid. pag. 1172.

EXPLI-



Io. Cassini Sc.

EXPLICATIO
TAB. LVII.

Cinerarium octagonum vas Tabula Quinquageſimaſeptima exhibet, anaglyphicum, atque perfectum opus. Primo in latere inſcriptiones ſunt duae a Patre Antonio Maria Lupo (*a*) primum vulgatae, quarum prima eſt huiuſmodi:

DIIS MANIBVS
D. LVCILIO FELICI
D. LVCILIVS SOTERV
PATRONO B. M
F

CANVLEIIE SATV
RNINE T. CANVLEIV
ATIMETVS LIBERTE SVE
ARAM POSVIT LIBES
ANIMO SIBI ET SVIS

Reliquis ſeptem in lateribus totidem pueri ſive alati Genii ſaltantes, aut inſtrumenta muſica inflantes, aut pulſantes; circumque vaſis oram perſonae octo faſciolis, palmitibus, pampinis, racemiſque uvarum ornatae. Itaque Bacchanale repraeſentatur exacte ad cinerarium vas; propterea quod animae mortuorum, ut ethnici credebant, Liberi ſacris, quae initia eſſent elyſiarum ſempiternarum voluptatum, iuvarentur. Quare Horatius aiebat (*b*):

Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

(*a*) *Animadverſ. ad Severae M. Epitaph.* pag.139. (*b*) *Carmin.* lib.IV. od.VIII. verſ.33.

Ac in operculo quidem ſarcophagi, dum haec ſcriberem, extra portam Capenam reperto puerum cum Bacchi ſymbolis anaglyphice inſculptum videmus. Iacet is pampinea corona capiti impoſita, tenetque altera manu ſcyphum, ſive cotylam, altera floream coronam Graeca cum inſcriptione huiuſmodi:

Σατορνῖνος ἐγὼ κικλήσκομαι· ἐκ δὲ με παιδὸς
Εἰς Διονύσου ἄγαλμ' ἔθεσαν μητήρ τε πατήρ τε.

Saturninus ego vocor: at ſub imagine Bacchi
Me puerum effinxit & pater, & genitrix:

Tali autem modo effictum puto, non ioco quidem, quemadmodum ſub imagine Apollinis Bathyllus (*a*), ſed cuiuſdam apotheoſis, ſive dedicationis cauſſa eidem tribuendae; quod eſſet Bacchi ſymbolis myſteriiſque initiatus. Id coniugi in ipſo flore iuventae vita functo factum a nova nupta appoſite memorat Apuleius (*b*), quae *imaginem defuncti, quam ad habitum DEI LIBERI formarat, adfixo ſervitio divinis percolens honoribus, ipſo ſeſe ſolatio cruciabat.* Redeo ad vas. Perſonis ornatur: quod perſonae Baccho conſecratae eſſent, iiſque in bacchicis ludis ruſtici uterentur, qui, ut ait Virgilius (*c*),

Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis.

Atque hunc explicans verſum Servius: *Quia neceſſe erat*, inquit, *pro ratione ſacrorum aliqua ludicra, & turpia fieri, quibus poſſet populo riſus moveri; qui ea exercebant propter verecundiae remedium hoc adhibuerunt, ne agnoſcerentur, ut perſonas factas de arborum corticibus ſumerent.* Itaque in pompa Bacchi a Ptolemaeo ducta perſonas ſatyricas, comicas, tragicaſque ad currum cum Bacchi imagine appenſas fuiſſe Athenaeus (*d*) narrat his verbis: Προσήρτηντο δὲ καὶ στέφανοι, καὶ ταινίαι, καὶ θύρσοι, καὶ τύμπανα, καὶ μίτραι, πρόσωπά τε σατυρικά, καὶ κωμικά, καὶ τραγικά. *Appenſae autem erant & coronae, & taeniae, & thyrſi, & tympana, & mitrae, & perſonae ſeu facies ſatyricae, & comicae, & tragicae.* Faſciolae quoque innexae perſonis, etſi illis ſacerdotes in ſacrificiis uti conſueſcebant, propriae tamen erant Bacchi orgiorum. Nam, ut S. Iſidorus ſcribit (*e*), *huius principium a Libero quodam gentiles exiſtimant, quod is in potando mota vino capita vincire faſciolis inſtituerit; idcirco olim linei, ac lanei generis coronas fuiſſe. Sic enim erat in ſacerdotibus gentilium*; qui ob eam quoque cauſſam, ut Athenaeus (*f*) animadvertit, frontem faſciolis vinciebant, quod iis reprimi, quamvis bene poti, capitis dolorem, atque temulentiam crederent.

De ſeptem alatis pueris ſeu Geniis varie eleganterque expreſſis, quod potiſſimum diſpiciendum eſſe videtur, ſic habeto: ethnicos, cum nihil aliud eſſe bene beateque vivere putarent, niſi ludendo, ſaltando, conviviaque agendo vivere, perpetua in elyſiis fuiſſe ſacra Liberi exiſtimaſſe. Quamobrem

(*a*) *Anacreon.* od.29.
(*b*) *Metamorphoſ.* lib. VIII. pag.239. edit. ad uſum Delphini.
(*c*) *Georg.* lib. II. verſ.387.
(*d*) *Deipnoſ.* lib. V. cap.7. pag.198.
(*e*) *Orig.* lib. XIX. cap. 30.
(*f*) *Deipnoſ.* lib. XV. cap.4. pag.674.

obrem Liber λυσίφρων, ideſt *triſtitiarum, atque curarum liberator* ab Anacreonte (*a*) nominatur. Axiochi vero (*b*), ideſt Dialogi mortis auctor in elyſiis fuiſſe καὶ κύκλιος χόρος, καὶ μυσικὰ ἀκούσματα, ideſt *circum ſaltationes, muſicoſque concentus*, dixit; & iis frui imprimis Dionyſiacis myſteriis initiatos ſcribit, propterea quod Hercules, & Liber iiſdem in locis, antequam infernum iter aggrederentur, initiati a Dea Eleuſinia fuiſſent. Plutarchus etiam (*c*), qui in Luna, qua parte caelum ſpectat, elyſia collocat, inibi Genios habitaſſe, perpetuoque orgia ſimul cum initiatis celebraſſe tradit. Praeterea idem Plutarchus (*d*) teſtatur, eos, qui de ſuo periculo poſt mortem timebant, multum ſibi quaſdam expiationes profuturas putaſſe, ut iucunde vivere, perpetuiſque voluptatibus frui cum beatis in elyſiis poſſent. Similia Virgilius de habitatoribus earum regionum ſcribit (*e*), quorum

Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt,

atque Tibullus (*f*):

Sed me quod facilis tenero ſum ſemper amori
Ipſa Venus campos ducet in elyſios:
Hic choreae, cantuſque vigent.

Noſtri vaſis Genii omnes nudi coniecto in humeros pallio, praeter unum pallio uſque ad genua obtectum. Primus ſaltat, inflatque tibias duas, quae a Nonno (*g*) δίζυγες, & δίθροοι *duplices*, atque *duplicis ſoni* appellantur. Huiuſmodi tibiis ethnicos in Bacchanalibus uti conſueviſſe alio loco demonſtrabimus. Quare veri eſt ſimile, & in honorem Geniorum, & in ſupplicationibus ad ſepulcra mortuorum eaſdem inflatas fuiſſe.

Secundus Genius pallio, ut ſupra diximus, obvolutus clauſam laternam noſtris laternis ſimilem ſiniſtra manu geſtare videtur, non autem caniſtrum, ut exhibet hoc ipſum vas aere inciſum in fronte voluminis tertii Muſei Matthaeiorum. Philiſtum, qui λαμπτῆρας ἀντιπεφραγμένους *laternas omnino occluſas* memorat ſequutus Iulius Pollux (*h*) eas laternas λαμπτῆρας a Graecis appellari ſcribit. Corneas autem, atque ita ſubtiles fuiſſe, ut concluſum fulgorem tranſmitterent, ex Theodorida Syracuſano colligitur, qui apud Athenaeum inquit (*i*):

Κερατίνου τε φωσφόρου λύχνου σέλας
Lucentis corneae laternae ſplendor.

Olympiodorus etiam (*k*) memorat διαφανῆ κέρατα, ἐν οἷς ἐντίθενται αἱ λαμπάδες νύκτωρ, *cornua tranſparentia, in quibus ponuntur lumina nocte*; docetque rationem earum perficiendarum laternarum adiungens, τὰ γὰρ κέρατα πρῶτον μὲν βρεχόμενα, ἔπειτα δὲ πυρὶ ὁμιλοῦντα μαλάττονται, *cornua enim primum*

(*a*) Od. 17. verſ.2.
(*b*) Tom. III. *oper. Platon.* pag. 371. edit. Iohan. Serrani.
(*c*) *De facie in orbe lunae* Tom. II. Oper. pag. 944.
(*d*) *Non poſſe ſuaviter vivi ſec. Epicur.* ibid. pag. 1105.
(*e*) *Aeneid.* lib. VI. verſ. 637.
(*f*) Lib. I. eleg. 3. verſ. 57.
(*g*) *Dionyſiac.* lib. XL. verſ. 232., & lib. XLI. verſ. 374.
(*h*) *Onomaſtic.* lib. X. cap. 26. ſegm. 116.
(*i*) *Deipnoſ.* lib. XV. cap. 18. pag. 699.
(*k*) Lib. IV. πράξεις 49.

madefacta , *deinde igne emollita facile flectuntur* . Iiſdem Romanos uſos fuiſſe in Amphitruone (*a*) oſtendit Plautus. Nam Mercurius Soſiae obviam factus inquit,

Quo ambulas tu qui Vulcanum in cornu concluſum geris?

Sed quam ob cauſſam is Genius laternam gerat, inquirendum eſt. Scribens Plutarchus (*b*), augures occluſas numquam laternas geſtaſſe, ut inde agitatuſne aër, an quietus a ventis eſſet, cognoſcerent, allegorice de laterna proponit. Illam noſtri corporis figuram eſſe, eiuſque lumen animam: quamobrem mentem ſemper perſpicere, & agere, ac numquam occludi, aut extingui oportere. Quod ſi quiſpiam ad Genii laternam pertrahere eiuſmodi allegoriam velit, nihil moror. Id aio, Platonicos, cum admodum dediti eſſent allegoriis, atque interpretationibus, irriſione a ſapientibus viris dignos iudicatos fuiſſe; quemadmodum reprehendimus eos, qui in nonnullis eccleſiae ritibus, iiſque ſimpliciſſimis quidem, atque puriſſimis, allegorias comperire, videreque myſteria conantur. Itaque illud eſſe magis veriſimile arbitror, eiuſmodi laterna indicari errorem, falſamque opinionem ethnicorum, pueris, atque puellis ex hac vita demigrantibus lumen traditum fuiſſe, ne penetrare ad ſedes tenebricoſas Plutonis horrerent. Igitur a Seneca quo loco partam ab Hercule in inferis victoriam deſcribit, in iis, qui eo commigrabant numerantur (*c*):

Virgines nondum thalamis iugatae,
Et comis nondum poſitis ephoebi,
Matris & nomen modo doctus infans,

idemque ſubiungit:

His datum ſolis, minus ut timerent,
Igne praelato relevare noctem:
Ceteri vadunt per opaca triſtes.

Is ergo alio modo, quam alii, ornatus Genius animam fortaſſe Saturninae adeuntem ſedes Plutonis exhibet, cui iam beati Genii feſtive occurrant: ſolus autem pallio obtegitur, quod nondum eo pervenerit ubi omnia innoxia. Decoratur vero duabus coronis ſplendidioris fortaſſe ornatus, aut oſtendendae mollitiei Saturninae cauſſa. Quare Tibullus natalem Genium ita coronatum inducit (*d*):

Huc ades, & centum ludis Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.

Illius e nitido ſtillent unguenta capillo,
Et capite, & collo mollia ſerta gerat.

Et

(*a*) Act. 1. ſc. 1. verſ. 185.
(*b*) *Quaeſt. Roman.* quaeſt. 71. Tom. II. Oper. pag. 281.
(*c*) *Hercules furens* verſ. 851.
(*d*) Lib. I. eleg. 8. verſ. 49.

Et Cicero (*a*) reprehendens mollitiem Verris *coronam*, inquit, *habebat unam in capite*, *alteram in collo*. Marcus Antonius indutus Liberi veſtitu, quem prope ſunt Baccha, & Faunus tibias duas inflans, in veteris anaglyphi fragmento apud Bonarrotium (*b*) ita repraeſentatur. Coronas duas habet, unam hederaceam in capite, alteram a dextro ad ſiniſtrum humerum ductam, quemadmodum ornatur Nympha in Muſeo Herculanenſi (*c*), quae Libero puero racemum uvae tradit, ut inde quam effeminatus, atque laſcivus ille fuiſſet, cognoſci clare poſſet.

Tertius Genius ex face, quam ſiniſtra manu complectitur, faculam dextera accendit. Narrat Pauſanias (*d*) Athenis in templo Cereris, exſtaſſe ſimulacra non modo Cereris, atque Proſerpinae, ſed etiam δᾷδα ἔχων Ἴακχος *Bacchi retinentis faculam*, qualis ab Euripide (*e*) inducitur, & ab Ariſtophane (*f*), a quo

Νυκτέρȣ τελετῆς φωσφόρος ἀςὴρ

Nocturni myſterii ſidus lucens

nominatur, & a Lycophrone (*g*) φαυςήριος *lucernarius*, ἀπὸ τȣ̃ διὰ φανῶν καὶ λαμπάδων ἐπιτελεῖσθαι τὰ τȣ́τȣ μυςήρια, *quod lucernis*, *& faculis*, ut Tzetzes ibi animadvertit, *illius myſteria celebrantur*. Praeterea Pellenei *Lampteria* feſta in honorem Bacchi agebant, illumque *Lampterem*, luminum in templo ardentium cauſſa, appellabant (*h*).

Quartus quoque faculam tenet fere inverſam, ut incendatur, ſaltanſque videtur, ut quintus, qui unus omni caret Liberi inſtrumento, ac ſymbolo.

At ſextus lyram, ſive citharam utraque manu retinet, ornato taenia, ſeu faſciola, non autem florea corona, capite. De faſciolis, ac taeniis ſupra diximus diligenter. Lyram autem, ſive citharam Bacchicum inſtrumentum fuiſſe cum ex pompa ſaepe laudata Bacchi, tum ex Anacreonte compertum eſt (*i*). In illa enim trecentum viri cum coronis aureis citharas inauratas pulſabant (*k*). Anacreon vero lyram poſtulat, ut ebrius ipſe ad illius ſonum ſaltet, inque fragmento alius Odes ait (*l*):

Εἴθε λύρη καλὴ γενοίμην ἐλεφαντίνη

Καί με καλοὶ παῖδες φέροιεν Διονύσιον ἐς χορὸν.

Utinam lyra pulchra ſim eburnea

Et me pulchri pueri geſtent ad Bacchi chorum.

Praeterea in elyſiis animae ſeſe lyrae quoque ſono oblectant, ut Plutarchus (*m*) Pindari verſibus oſtendit, in quibus φορμίγγεσι τέρπονται *ſe lyris oblectantes* nominantur, & apud Virgilium (*n*), dum animae ſaltant, & cantant, citharam Orpheus pulſat.

Colu-

(*a*) *In Verr.* lib. III. cap. 27. pag. 427. edit. ad uſum Delph.
(*b*) *Oſſervazioni Iſtoriche ſopra alcuni Medaglioni &c.* pag. 447.
(*c*) Tom. II. Tab. XII. pag. 78.
(*d*) *Attic.* lib. I. cap. 2.
(*e*) *Bacchae* verſ. 145. 306. & 307.
(*f*) *Ranae* verſ. 343. &c.
(*g*) *Alexandra* verſ. 212.
(*h*) Vid. Pauſan. *Achaic.* lib. VII. cap. 27.
(*i*) Od. 48. verſ. 758.
(*k*) Vid. Athenaeum *Deipnoſoph.* lib. V. cap. 8. pag. 201.
(*l*) Num. 156.
(*m*) *De conſolatione ad Apollon.* Tom. II. Oper. pag. 120.
(*n*) *Aeneid.* lib. VI. verſ. 645.

Columnae ſeptimus Genius nititur, inflatque tibiam ſimilem illius, quam Itali *flauto traverſo* vocant. Illa ſortaſſe eſt a Mida Phrygiae Rege inventa, quae a Polluce (*a*) πλάγιος, ab Athenaeo (*b*) πλαγίαυλος, & a Plinio (*c*) *obliqua* dicitur; Iulioque Caeſari Scaligero (*d*) aſſentior aienti: *Afri primi invenerunt eam, cui plagion, & plagialon fecere nomen, non quod eſſet curva, ut quidam ſunt arbitrati, ſed quia a latere inflabatur, quemadmodum & Germanica*. Accedit ad haec vocabulum *veſca* iſtiuſmodi tibiis a Latinis tributum, quo eius ſoni levitatem, atque dulcedinem exprimerent. Nam *veſca* quidpiam tenue, ac leve ſignificat, ut Salmaſius (*e*) mſs. gloſſas ſequutus, in quibus legitur *vaſcum*, *inane*, *leve*, teſtatur. At legendum *veſcum*, non autem *vaſcum* videtur, quod, Gellio (*f*), Feſtoque (*g*) auctoribus, *ve* particula minuendae rei ſaepe valet. Servius explicans Virgilii verſum (*h*):

Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi,

hanc tibiam, inquit, *Graeci* πλαγίαυλον, *Latini* vaſcam *vocant* [aut potius, ut ego opinor legendum *veſcam*]; adiicitque, *& eſt Dionyſia, cum maxime Satyri ea utantur*. Intelligo autem vocari fortaſſe curvam, quod os aliquantulum curvum eſſet, quemadmodum & curvum os tibiae noſtri Genii videtur. At is Genius in capite neque coronam, neque faſciolam habet, ſed in collo floream coronam. Hanc autem ὑποθυμιάδων Athenaeus (*i*) vocat a Graeco vocabulo ἀποθυμίασις, quo, ut ait Plutarchus (*k*), *ſuavis odor* ſignificatur; & tali quidem odorifera corona convivae utebantur, rati ſe indulgere potationibus poſſe, quin mens vino opprimeretur. Eſt autem Heſychio (*l*) eiuſmodi corona ςέφανος ὑποτραχήλιος *corona pro collo*, quod effeminati animi manifeſtum indicium fuiſſe cognoſci vel ex ipſo Priapo hoc modo coronato apud Boiſſardum (*m*) poteſt. Praeterea ſcribit Horatius, mutatum Polemonem, cum orationem Xenocratis audiviſſet, coronam ex collo carpſiſſe. Sic autem habet (*n*):

. . . . *potus ut ille*
Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas
Poſtquam eſt impranſi correptus voce magiſtri.

Sed in his explicandis, me fuiſſe longiorem video, quam oportuit, ne quidquam, quod in mentem venit, ſilentio praeterirem. Illud mihi veri eſſe maxime ſimile videtur, in noſtro anaglypho exprimi orgiorum, aut aliorum ſacrorum Liberi puerilem chorum, quibus in ſacris muſicae, ac

(*a*) *Onomaſt.* lib. IV. cap. 10. ſegm. 74.
(*b*) *Deipnoſ.* lib. IV. cap. 23. pag. 175.
(*c*) Lib. VII. cap. 56.
(*d*) *Poetic.* lib. I. cap. 20.
(*e*) In not. ad Vopiſc. pag. 495. edit. in fol.
(*f*) *Noct. Attic.* lib. V. cap. 12.
(*g*) *De verborum ſignificatione* lib. XIX. & XX. in v. *Veſcus*.
(*h*) *Aeneid.* lib. XI. verſ. 737.
(*i*) *Deipnoſ.* lib. XV. cap. 5. pag. 674.
(*k*) *Sympoſ.* lib. III. cap. 1. Tom. II. Oper. pag. 647.
(*l*) In Lexic. in v. ὑποθύμιος.
(*m*) *Antiquit. Rom.* Par. VI. Tab. XXXVI.
(*n*) *Satyr.* lib. II. ſat. 5. verſ. 255.

ac ſaltationi praefectus *Choragus* dicebatur. Ac Fabrettus (*a*) quidem edidit inſcriptionem Herophili, qui annos natus ſeptem, & menſes duos in orgiis Liberi cantavit, atque ſaltavit annos ipſos tres. Inſcriptio autem ſic habet:

ΜΗΠΩ ΓΕΥΣΑΜΕΝΟΣ ΗΒΗΣ
ΩΛΙΣΘΟΝ ΕΣ ΑΔΟΥ· ΔΑΚΡΥΑ
ΚΑΙ ΣΤΟΝΑΧΑΣ ΛΕΙΨΑΣ ΑΙΩΝΙ ΓΟ
ΝΕΥΣΙΝ· ΔΥΣΜΟΡΟΣ ΟΥΔΕΝ ΟΗΣΑ
ΒΡΟΤΩΝ ΨΑΥΣΑΙ ΒΙΟΤΟΙΟ· ΕΠΤΑ
ΜΟΝΟΥΣ ΛΙΚΑΒΑΝΔΑΣ ΔΥΩ
ΚΑΙ ΜΗΝΑΣ ΕΖΗΣΑ· ΩΝ ΤΡΕΙΣ
ΕΞΕΤΕΛΟΥΝ ΔΙΟΝΥΣΩ ΟΡΓΙΑ ΒΑ
ΖΩΝ· ΗΡΟΦΙΛΟΝ ΔΕ ΚΑΛΟΥΝ ΜΕ
ΠΑΤΗΡ ΚΑΙ ΠΟΤΝΙΑ ΜΗΤΗΡ· Ε
ΓΝΩΣΩ ΠΑΡΟΔΕΙΤΑ ΤΙΣ ΗΜΗΝ
ΟΥΚ ΕΓΕΝΗΘΕΝ

Eam autem ſic vertit cl. Claudius Nicaſius:

Puberis haud dum aevi compos demittor ad Orcum
Aeternas patri lacrimas, gemituſque relinquens.
Infelix! neque noſſe datum mihi munera vitae.
Septem tantum annos gemino cum menſe peregi:
Orgia me Bacchi tres detinuere colentem.
Herophilum me carà parens, genitorque vocabant.
Quis fuerim noſti, genitum ne dixeris hoſpes.

Huius ſimilem, eamdemque elegantiſſimis Graecis carminibus exaratam inſcriptionem vulgavit nuper Gaſparus Odericus (*b*), in qua puer Aurelius Antonius nomine, anno aetatis ſuae ineunte octavo religioſe myſteria Bacchi ſe celebraſſe, in eiuſque feſtis ceciniſſe narrat. Artifex itaque innuere fortaſſe voluit hoc opere, quae hactenus declaravimus; ſed nihil vetat,

(*a*) *Inſcription.* cap.6. pag.425. (*b*) *Adnot. in aliq. vet. Inſcript.* pag. 177.

vetat, quominus indicandam quoque ſibi propoſuerit Saturninam, veluti Dionyſiacis myſteriis initiatam, inque puerili aetate mortuam. Poſtremo colligere quiſquam ex Fulgentio (*a*) poſſet, Saturninam obiiſſe virginem; ille enim Apuleium (*b*) virginis Pſyches funus deſcribentem ſequutus, *Choragium* nihil aliud eſſe, quam *virginale funus* teſtatur. Huiuſmodi autem funera coaevas virgines comitari conſueviſſe adnotat Servius (*c*): *Chorus*, ait, *proprie eſt coaevorum cantus, atque ſaltatio*.

(*a*) *Expoſit. ſermon. antiq.* §. 36.
(*b*) *Metam.* lib. IV. pag. 138. edit. ad uſ. Delph.
(*c*) Ad verſ. 346. lib. I. *Georg.*

EXPLI-



EXPLICATIO

TAB. LVIII.

VAS affabre ex pario marmore factum vides, cuius in labro delphini quatuor inſculpti emittere ex ore aquam videntur, & imaginibus Bacchantium quinque extrinſecus in gyrum expreſſis ornatum. Imago prima nudum adoleſcentem ſaltantem, tibiaſque inflantem duas exhibet. Is nae Faunus eſt, ut ex cauda cognoſcitur. Nam quique caudam in quampluri-mis priſcis monumentis (*a*) habent Fauni. Quamobrem Nonnus in Dionyſiacis de Fauno haec pronunciat (*b*):

. . . . . ἱππείη δὲ τιταινομένη διὰ νώτου
Ὄρθιος ἀμφιέλικτος ἐπ' ἰξύος ἔρρεεν οὐρή.

. . . . . *equina vero extenſa per dorſum*
Acclivis circumvoluta ſuper ilia fluebat cauda.

Et Lucianus (*c*) Bacchi exercitum recenſens inquit, ὀλίγους δέ τινας ἀγροίκους νεανίσκους ἐνεῖναι γυμνούς, κόρδακα ὀρχουμένους, οὐρὰς ἔχοντας, *paucos autem quoſdam inter eos verſari ruſticos iuvenes, nudos, ſaltantes cordacem, qui caudas haberent*: inque concilio Deorum (*d*) Faunos quoſque fuiſſe caudatos idem ſcribit: ἔχουσι δὲ καὶ οὐρὰς ἅπαντες, *omneſque caudas habent*. Hunc qui antecedunt, item ſaltantes, Fauni duo, item nudi, quod, ut ait Ovidius (*e*),

Ipſe Deus nudus nudos iubet ire miniſtros.

 Sed

(*a*) Spon. *Miſcell. erudit. antiquit.* ſect. II., Beger. *Theſ. Brandenburg.* Tom. I. pag.18. &c., Leonard. Agoſtin. Tom.II. Tab.XIX. XXII. XXIII., aliiq.

(*b*) Lib. XIV. verſ. 141.

(*c*) *In Baccho* §. I. Tom. III. Oper. pag.75.

(*d*) §. 4. ib. pag.530.

(*e*) *Faſtor.* lib. II. verſ. 287.

Sed ex illius collo in humeros tamquam volitans pellis pendet, quam dicere caprinam poſſumus; quod apud Romanos, Iuſtino teſte (*a*), *ipſum Dei* [Fauni] *ſimulacrum nudum caprina pelle amictum eſſet*. Me tamen non praeterit, Bacchi comites, eiuſque myſteriis initiatos variis interque ſe diſcrepantibus pellibus uſos fuiſſe: idque ex Nonno Poëta (*b*), atque ex Polluce (*c*) colligo. Is autem ἡ δὲ, inquit, σατυρικὴ ἐσθὴς νεβρὶς, αἰγῆ, ἣν ϰαὶ ἰζάνην ἐκάλουν, καὶ τραγῆ, καί ποῦ καὶ παρδαλῆ ὑφασμένη, *ſed veſtis ſatyrica eſt pellis hinnuli caprini, quam & ἰζάνην nominant; & pellem hircinam, quandoque & pardaleam textam*. Scribit autem *quandoque*; propterea quod, ut animadvertit Salmaſius (*d*), verae pantherinae pelles maxima difficultate compararentur. Immo vero plerumque nebridibus ad myſteria, & ſacra Bacchi veteres uti ſolebant; quae pelles cervorum erant, νεβρὶς ἐλάφου δορὰ, ut ait Heſychius (*e*), aut damarum, ut Placidus Lactantius (*f*) putat: *Nebrides pelles damarum, quae graece νεβρίδες appellantur; ac per hoc Baccharum indumenta ſignificat, quibus ſacrificiorum tempore uti conſueverunt, ut Virgilius: Pellibus in morem cincti*. Quamobrem Aeſchynem, cum initiatus myſteriis Bacchi eſſet, ſibi infenſum νευρίζων Demoſthenes (*g*) appellat, ideſt νεβρίδα περικείμενον *nebride cinctum*, ut Ulpianus interpretatur.

Duabus illis tibiis veteres in thiaſis Bacchi potiſſimum uſos fuiſſe Eggelingius (*h*) animadvertit, nullumque ſe comperiſſe vetuſtum monumentum eiuſmodi pompas exhibens teſtatur, quin aliquam in eo figuram cum iis tibiis viderit. Huiuſmodi tibias Phrygias Euripides (*i*) in Bacchis appellat: quia illis Phryges in celebrandis ſacris matris Deorum uterentur. Virgilius vero de iiſdem ſacris agens inquit (*k*):

O vere Phrygiae, neque enim Phryges, ite per alta
Dindyma, ubi aſſuetis biforem dat tibia cantum;

& Servius (*l*) Varronem ſequutus, *tibia Phrygia*, inquit, *dextra unum foramen habet, ſiniſtra duo, quorum unum acutum ſonum habet, alterum gravem*. Marſyae pater, praeceptorque Iagnis, teſte Apuleio (*m*), primus omnium huiuſmodi tibias invenit. *Primus*, inquit, *duas tibias uno ſpiritu animavit; primus laevis, & dextris foraminibus acuto tinnitu, gravi bombo concentum muſicum miſcuit*. At Plinius (*n*) Marſyam illarum inventorem fuiſſe tradit. *Obliquam*, ait, *tibiam Midas in Phrygia: geminas tibias Marſyas in eadem gente*. Illud certum eſt, Phrygibus eam eſſe tribuendam laudem, ut Salmaſius (*o*) perſpicue, copioſeque demonſtrat, primumque in ſacris Cybeles, tum in pompis Bacchi (*p*) iis uſos veteres fuiſſe:

(*a*) Lib. XLIII. cap. I.
(*b*) Lib. XIV. verſ. 130. & 357., & lib. I. v. 39.
(*c*) *Onomaſt.* lib. IV. cap. 18. ſegm. 118.
(*d*) *In exercitat. in Solin.* cap. 17. pag. 149.
(*e*) In Lexic. v. Νεβρίδων.
(*f*) Verſ. 664. lib. II. *Thebaid.*
(*g*) In orat. *de corona* pag. 516.
(*h*) *Myſter. Cereris, & Bacchi* in Theſ. Gronov. Tom. VII. pag 69.
(*i*) *In Bacchis* verſ. 126. & 159.
(*k*) *Aeneid.* lib. IX. verſ. 617.
(*l*) Ad verſ. 618. lib. IX. *Aeneid.*
(*m*) *In floridis* cap. 3. Vid. Nonn. *Dionyſ.* lib. LXI. verſ. 374.
(*n*) *Hiſt. nat.* lib. VII. cap. 56. pag 416.
(*o*) *In comment. ad Vopiſc.* pag. 494., & *in exercitat. in Solin.* cap. 5. pag. 83.
(*p*) Vid. Nonn. *Dionyſ.* lib. I. verſ. 40.

fuiſſe : atque vindemiae praeſertim tempore, ut Phornutus (*a*), atque Euripides (*b*) tradunt. Athenaeus (*c*) autem ſcribit ſatyros ſexaginta in pompa Ptolemaei currum quatuor rotarum uvis onuſtum comprimentes carmina ad vindemiam accommodata cantitaſſe ad tibiam.

Extremo orificio tibiae ſiniſtrae globum ita iunctum vides, ut utricularem eam eſſe tibiam putes. De tibiis utricularibus conſulendi ſunt Svetonius (*d*), auctorque Elegiae inſcriptae *Copa* : quam Priſcianus, aliique complures Virgilio tribuunt. Illius primi quatuor verſus ſunt eiuſmodi :

Copa Syriſca caput Graia redimita mitella
Criſpum ſub crotalo docta movere latus
Ebria formoſa ſaltat laſciva taberna
Ad cubitum raucos excutiens calamos ;

quo loco Scaliger (*e*), eique aſſenſus Bartholinus (*f*) de tibia utriculari agi cenſent : contra vero Salmaſius in Vopiſcum (*g*), de crotalo : atque ab his diſſentiens Veitzius (*h*), de ſiſtro. Quaenam ex his veri ſit ſimilior opinio, non moror. Id autem contendo, eum in noſtro vaſe non eſſe quidem tibiae iunctum globum, cum nullum in eo foramen videatur, unde tibia inflata ſonum referat. Itaque utrem eſſe arbitror vino plenum, quem alter antecedens, itemque ſaliens Faunus inflexo baculo alligatum, atque ex humero pendentem ſiniſtra manu retinet. Sic Nonnus (*i*) Faunum utrem vino plenum laeva tenentem, atque ſalientem cum Bacchantibus exhibet dicens :

Λαιῇ μὲν νεόδαρτον ἐθήμονος ἔγκυον οἴνου
Ἀυχενίῳ ζωστῆρι περίπλοκον ἀσκὸν ἀείρων.
Siniſtra quidem recens direptum conſueto plenum vino
Humerali cingulo circumplexum utrem tollens.

Inque ſupralaudata Ptolemaei pompa (*k*) immanem utrem carro rotarum quatuor impoſitum Athenaeus memorat, ex quo vinum toto itinere effundebatur, aderantque centumviginti Satyri, ac Sileni varia diſcrepantiaque vaſa potoria ſinguli geſtantes.

Baccha, quae hunc Faunum in noſtro anaglypho antecedit, mediaque figurarum eſt, eiuſmodi vaſcula potoria utraque manu tenet. Haec veluti vexilla Indicae victoriae ab aſſeclis initiatiſque ſacris Bacchi geſtari conſueviſſe Nonnus (*l*) memoriae prodidit. Utres etiam vini pleni cum poculis in Bacchicis ſaltationibus deferebantur, ut quantum quiſque vellet, biberet, potandoque reficeret deficientes ex labore, atque ex nimia dementique geſticulatione vires. Vaſculum quod Baccha illa dextera manu tenet ſine anſis cotyla videtur, hemiſphaerio ſimilis, graece κοτύλη, italice autem *ciotola*. Eſt vero auctor Pollux (*m*) Bacchi poculum cotylam fuiſſe : ἔστι δέ τι καὶ ὁ κότυλος Διονυσιακὸν ἔκπωμα, ὥσπερ καὶ ὁ κοτυλίσκος, *eſt quoque cotyla Bacchicum poculum, quemadmodum & cotyliſcus*. Sed parum cotylae diſſimilis eſt cotyliſcus,

(*a*) *De nat. Deor.* cap. 30.
(*b*) *In Bacchis* verſ. 379.
(*c*) *Deipnoſoph.* lib. v. cap. 7. pag. 199.
(*d*) In vita Neron. cap. 54.
(*e*) In not. ad eamd. eleg.
(*f*) *De tibiis veter.* lib. III. cap. 7.
(*g*) In vita Cari Carini &c. pag. 492.
(*h*) In not. ad dict. eleg.
(*i*) *Dionyſ.* lib. XVIII. verſ. 116.
(*k*) Athen. *Deipnoſ.* lib. v. cap. 7. pag. 199.
(*l*) *Dionyſ.* lib. XIV. verſ. 258.
(*m*) *Onomaſt.* lib. VI. cap. 16. ſegm. 99.

quia ut ait Athenaeus (*a*) : κοτυλίσκος δὲ καλεῖται ὁ ἱερὸς τοῦ Διονύσου κρατηρίσκος, *cotyliſcus vocatur ſacer Baccho parvus crater*; eoque ad Bacchi myſteria ethnicos uſos fuiſſe Nicander memorat, ex Ariſtophane in nubibus illud proferens:

Μὴ δὲ στέψω κοτυλίσκον,

Ne coronetis cotyliſcum.

De vera cotylae forma ſcriptores diſſentiunt, quorum varias opiniones, atque imprimis Apollodori ſupralaudatus Athenaeus (*b*) recitat. Orbiculatam ille, concavamque eſſe cenſuit, cum πᾶν τὸ κοῖλον κοτύλην φησὶν, ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ, ὡς καὶ τὸ τῶν χειρῶν κοῖλον, *omne concavum COTYLAM appellarint veteres*, *ſicuti manuum concavum*; quare κοτυλήρυτον αἷμα Homerus (*c*) dixit tantum ſanguinem, quantum contineri concava manus vola poteſt. Alii cum una, alii ſine ulla anſa cotylam fuiſſe voluerunt. Sine anſis eſt cotyla, quam noſtra haec Baccha tenet, quale eſt vas a Genio Bacchi Muſei Herculanenſis (*d*) retentum, quod ab Academicis cotyla putatur; huiuſque ſimile ab Aleandro in Tabulam Heliacam (*e*), ſervatum in aedibus Matthaeiorum, laudatum. Cumque probe amicta veſte, colligatiſque in nodum ſummo capite crinibus eadem Baccha ſit, virginem illam facile dicerem. Namque, ut Euripides ſcribit (*f*),

Νέαι, παλαιαὶ, παρθένοι τε κἄζυγες

Adoleſcentulae, *ſenes*, *virgines*, *&* *mulieres*

in choros Bacchi ventitabant. Nudis autem eſt pedibus. Id feminas maxime dedecere, legeque eſſe vetitum Clemens Alexandrinus in Paedagogo (*g*) contendit. Sed Spanhemius (*h*) animadvertit feminas cum profanas, tum ſacrorum adminiſtras myſteria Cereris nudis pedibus, more a Moſe (*i*) accepto, ut ſcribit S. Iuſtinus (*k*), celebraſſe. Quare minime mirandum eſt, eodem ritu ſaltare, celebrareque ſacra Bacchi ethnicos conſueviſſe. Ceres enim, & Bacchus, ut alibi diximus, σύμβωμοι Dii erant, ideſt iiſdem ſacrificiis colebantur. Itaque in gemma a Bonarrotio (*l*) explicata, hi Dii eodem in curru cernuntur, quos veluti eodem cultu decoratos priſci ſcriptores memorant. Huiuſmodi cultus coniunctionem nudata quoque utriuſque Bacchae brachia in noſtro anaglypho declarant. Initiatae enim myſteriis Cereris, ut ait Apuleius (*m*), *brachiis ſuis humero tenus renudatis . . . . ovantes exſiliunt*, *incitante tubae cantu lymphaticum tripudium*.

Tertius deinde Faunus vas magnum humero ſiniſtro, manibuſque ſuſtinet. Quo illud Graeco, aut Latino vocabulo appellaretur, perdifficile eſt comperire. Namque varia, atque diſcrepantia inter ſe fuiſſe vaſa Baccho conſecrata intelligo, ut in illa Ptolemaei pompa ex argento, atque ex auro conflata, maximo numero, & quae Bacchus, Nonno auctore (*n*), in Indiam

(*a*) *Deipnoſ.* lib.xi. cap.8. pag. 479.
(*b*) Loc. cit.
(*c*) *Iliad.* lib. xxiii. verſ. 34.
(*d*) Tom. iii. Tab. xxxv.
(*e*) In Theſ. Graev. Tom. v. pag.712.
(*f*) *In Bacchis* verſ. 693.
(*g*) Lib. ii. cap.10. & 11.
(*h*) Ad v.125. *hymn. Callimac. in Cererem*.
(*i*) *Exod.* cap.3. verſ.5.
(*k*) *Apolog.* ii.
(*l*) *Oſſervazioni iſtoriche ſopra alcuni medaglioni &c.* circa finem.
(*m*) *Metamorph.* lib. viii. pag. 260.
(*n*) *Dionyſ.* lib.xiv. verſ. 258.

diam detulit, quo facilius potae gentis imperium obtineret. Cantharus ex amplitudine videtur, quod poculum veteres ſcriptores (*a*), illudque anſatum, ut Virgilius (*b*), aliique ab Aleandro laudati (*c*), Baccho tribuunt. Athenaeus (*d*) de cantharo agens anſas haud memorat, ſed amplum eſſe ſcribit. Utroque fortaſſe fieri modo mos fuit. In vetuſto apud Bonarrotium (*e*) vitro ſcalpto Bacchum nutrix complexu tenet, Faunique ſunt duo, quorum unus ſimile amplum minime anſatum vas humeris ſuſtinet. Noſter hic Faunus uno pede ſaltat, quod Itali *a piè zoppo* dicunt. Graecum autem Heſychius (*f*), & Euſtathius (*g*) vocabulum ἀσκωλιάζοντες ſic interpretantur ἐφ' ἑνὸς ποδὸς ἀλλόμενοι *ſuper uno pede ſaltantes*, & Ariſtophanes (*h*): ἀσκωλίαζ' ἐνταῦθα *ſalta uno pede huc*.

Poſtrema in anaglypho Baccha molli levique veſtitu, dextera pectoris parte, pedibuſque nuda, demiſſis retro capillis, furore exagitata caelum ſuſpiciens, mulier fortaſſe eſt, non autem virgo. *Mulieres* enim γυναῖκες immoderate ſaltabant; contra vero παρθένοι *virgines*, ut tradit Diodorus (*i*). Neutra Baccha noſtri anaglyphi cum thyrſo exhibetur, quod Bacchae eiuſmodi inſigni non uterentur. Βάκχας ἀθύρσους *Bacchas ſine thyrſo*, inquit Euripides (*k*).

Verum unam ex Maenadibus hoc loco exprimi ex iis, quae Euripides profert, ſignis colligitur, ſcilicet χορεύειν *tripudiare*, καὶ κρᾶτα σεῖσαι, *& caput iactare*; quare inquit alio loco (*l*):

Δέρην εἰς αἰθέρα δροσερὸν
Ῥίπτουσα

Caput in aetheram roſcidum iaculans.

Pindarus vero Bacchas ῥιψαύχενες *collum quatientes* vocat, & Nonnus (*m*) κεφαλὴν ἑλελίζουσαι *caput rotantes*. Sed praeclare quidem alio in loco idem Nonnus (*n*):

Ἑτέρη δὲ κατ' αὐχένος ἄμμορα δεσμῶν
Μηκεδανῆς μεθέηκε καθήμενα βόστρυχα χαίτης
Μαίναλις ἀκρήδεμνος ἐπ' ἀμφοτέρων δὲ ὤμων
Ἀπλεκέας πλοκαμῖδας ἀνερρίπιζεν ἀήτης.

. . . *alia vero per cervicem expertes vinculorum*
Longae demiſit demiſſos cincinnos comae,
Maenalis ſine vitta; in utriſque vero ipſi humeris
Implexos capillos ventilabat aura.

Iam

(*a*) Macrob. *Saturn.* lib. v. cap. 21., Arnob. *adverſus gent.* lib. vi. in fin., Plin. lib. xxxiii. cap. 11., aliiq.
(*b*) Eclog. vi. verſ. 17.
(*c*) In explic. Tab. Heliac. in Theſ. Graev. pag. 714.
(*d*) *Deipnoſoph.* lib. xi. cap. 6.
(*e*) *Oſſervaz. ſopra alcuni medaglioni antichi &c.* pag. 437.
(*f*) In v. Ἀσκωλιάζειν.
(*g*) In verſ. 19. lib. iv. *Odyſſ.*
(*h*) *Plut.* verſ. 1130.
(*i*) Lib. iv. §. 3.
(*k*) *In Oreſte* verſ. 1492.
(*l*) *In Bacchis* verſ. 184., & 863.
(*m*) *Dionyſ.* lib. xviii. verſ. 128.
(*n*) Ibid. lib. xiv. verſ. 344.

Iam Latini Poëtae ſimilia tradunt. Ovidius quarto Faſtorum libro (*a*):

Mentis inops rapitur, ut quas audire ſolemus
Threicias fuſis Maenadas ire comis;

& Iuvenalis (*b*):

Attonitae crinemque rotant, ululante Priapo,
Maenades,

Quid eadem Baccha ſiniſtra manu teneat, num vittam, qua capillos colligat, num coronam, mihi incertum eſt, cognoſcique neque ex ſignis marmoreis poteſt. Bacchi inſigne eſſe arbitror. Nam aliae etiam anaglyphi figurae quatuor eius aliquod inſigne ferunt. Unam ex iis coronis, quibus uti in Bacchanalibus ethnici ſolebant (*c*), fortaſſe geſtat. His Baccho conſecratis refrigerari caput, vinique calorem minui exiſtimabant, ut animadverſum ab Ariſtophanis Scholiaſte fuit: quarum multa erant genera, vitigineae aliae, aliae pineae (*d*), aut abiegnae, aut quernae, ſmilaceae, hederaceae, ut habet Euripides (*e*).

(*a*) Verſ. 457.
(*b*) Lib. II. ſatyr. 6. verſ. 315.
(*c*) Vid. Athen. lib. V. cap. 7., Philoſtrat. Icon. lib. I. *in Penteo* num. 18., & *in Andriis* num. 25., & lib. II. *in Inſulis* num. 17.
(*d*) Athen. loc. cit.
(*e*) *In Bacchis* verſ. 105., & 701.

EXPLI-



Jo. Cattini. Sc.

EXPLICATIO
TAB. LIX.

SEquitur effoſſa ex Antii portu rotunda ara. In hac ſex ad arulam quadratam figuras inſculptas vides, quarum una pateram libationis ad ignem admovens ſerpentem ſiniſtra manu tenet. Quare exprimi ſacrificium Aeſculapio, voti pro ſalute recuperata ſolvendi cauſſa, factum ſuſpicari quiſpiam poſſet: propetereaquod ſerpens ſymbolum ſalutis ſit, Antiique adeo celebre eſſet Aeſculapio dicatum templum, ut non oppidani modo, ſed etiam Romani religionis ergo in illud adirent. Atque hi quidem ſaepius, poſtquam ingens ille anguis, quem ipſum eſſe Aeſculapium rati Epidauro Romam ad depellendam peſtilentiam advexerunt, ſponte e navi egreſſus Antii triduo conſtitit; ut Valerius Maximus (*a*) imprimis, atque Ovidius (*b*) narrant. Verum ſi diligentius animum ad huiuſmodi ſculpturam advertas; futurum arbitror, ut ſolemnem aliquam ſupplicationem ex iis, quae certis anni temporibus Cereri pro ubertate, & copia frugum decerni haberique publice ſolebant, potius repraeſentari cenſeas. Ex Heſiodo Plutarchus colligit, agricolas nedum ante arationem, atque ſementem, ſed etiam ante ac poſt meſſes ſingularem exhibere Cereri (*c*) cultum oportuiſſe. Sacrificia huiuſmodi proprio vocabulo θαλύσια dicebantur. Θαλύσια, inquit Etymologus (*d*), τὰς ὑπὲρ εὐθαλίας καὶ εὐφορίας τῶν καρπῶν διδομένας θυσίας μετὰ τὴν συγκομιδὴν τῶν καρπῶν τοῖς τε ἄλλοις θεοῖς καὶ τῇ Δημήτρα. *Thalyſia ſunt ſacrificia pro revireſcentia, & fertilitate fructuum poſt collectionem fructuum facta & aliis Diis, & Cereri.*

Iam

(*a*) Lib. I. cap. 8.
(*b*) *Metamorph.* lib. xv. verſ. 718.
(*c*) *De ſuperſtit.* pag. 169.
(*d*) In v. Θαλύσια.

Iam vero varia genera fructuum in ara comburi inſpicito. His primitias meſſium, quae in Thalyſiis Cereri offerebantur, ut Theocritus (*a*) tradit, repraeſentari, veri eſt omnino ſimile:

Ἀ δ' ὁδὸς ἅδε θαλυσιάς· ἦ γὰρ ἑταῖροι
Ἀνέρες εὐπέπλῳ Δαμάτερι δαῖτα τελεῦντι
Ὄλβω ἀπαρχόμενοι,

ideſt,

En viam, en ad Thalyſia. Nam amici homines
Pulchrae Cereri epulum parant, fortunarum
Primitias offerentes:

& Graecus Scholiaſtes: ὄντως γὰρ φίλοι ἀνέρες τῇ Δημήτρι τῇ εὐπέπλῳ εὐωχίαν τελοῦσι τῶν καρπῶν, ἀπαρχὴν διδόντες, *vere enim amici homines Cereri bene indutae, ideſt pulchrae, convivium peragunt fructuum primitias offerentes*. Neque vero mirandum eſt, veteres certis anni temporibus coluiſſe iis ſupplicationibus Cererem. Hanc enim, cum cibos, quibus immanes ac barbarae gentes paſcebantur, removiſſet, triticum, hordeum, aliaque frumenta ſerere, ſelectiſque, atque ſalubribus omnium generum fructibus veſci primam docuiſſe, credebant. Δίκαιον, inquit Saluſtius Philoſophus (*b*), τοῖς διδοῦσι τῶν διδομένων ἀπάρχεσθαι. *Aequum autem eſt exhibentibus ex iis, quae exhibentur, primitias offerre*. Quam ob cauſſam Porphyrius contendit (*c*), aliis quoque Diis fruges terrae magis, quam pecudes immolandas eſſe; quod non ſolum Ceres, ſed etiam ceteri omnes Dii tantis nos beneficiis cumulent. Itaque *vetuſtae glandis*, ut ait Apuleius (*d*), *ferino remoto pabulo, miti commonſtrato cibo*, tum Graeci, tum Latini magna religione Cerealia celebrabant; quorum primordia inde Ovidius (*e*) ducit, quod

Prima Ceres homini ad meliora alimenta vocato
Mutavit glandes utiliore cibo.

Atque Cereris quidem donum eſſe nedum tritici inventum uſumque, ſed etiam ceterarum frugum veteres exiſtimabant. Nam terram Cererem vocabant, quod πάντων μήτηρ καρπὸν σύμμικτον ἀνίει, *omnium mater*, ut ait Heſiodus (*f*), *omnium generum fructus gigneret*. Quare apud Theocritum (*g*) a meſſoribus Δάματερ πολύκαρπε *Ceres frugifera*, *ſeu multorum fructuum fecunda* dicitur, & ab initiatorum choro apud Ariſtophanem (*h*) καρποφόρος βασίλεια *fructifera regina*, & a Callimacho (*i*) πολύτροφος, *multorum fructuum altrix*. Statius vero de Sacerdote placante Cererem agens, ait illum obtuliſſe (*k*)

. . . . *innumeroſque Deae ſua munera flores,*
Et cumulos frugum, & quidquid novat integer annus.

In noſtro anaglypho prope aram, cui multi ſuperpoſiti ſunt fructus, vir ſiniſtrum humerum brachiumque pallio tegens, dextera manu tenet pateram ut libet; ſiniſtra ſerpentem. Serpentem autem Cereri quoque dicatum

(*a*) *Idyll.* VII. verſ. 31.
(*b*) *De Diis, & mundo* cap. 16.
(*c*) *De abſtinentia* lib. II. §. 12.
(*d*) *Metamorph.* lib. XI. in princ.
(*e*) *Faſtor.* lib. IV. verſ. 401.
(*f*) *Opera, & dies* verſ. 561.
(*g*) *Idyll.* X. verſ. 42.
(*h*) *In Ran.* verſ. 385.
(*i*) *Hymn. in Cerer.* verſ. 2.
(*k*) *Thebaid.* lib. VIII. verſ. 300.

tum fuiſſe neminem praeterit. Etſi vero libationes in ſingulis ſacrificiis non fierent, ut animadverſum a Suida fuit (*a*), & in nonnullis aquae tantum fieri ſolerent, qua de cauſſa haec ſacrificia νηφάλια, ideſt *ſobria*, ut doctus imprimis vetuſque Sophoclis Scholiaſtes (*b*) prodit, appellabantur; certum tamen eſt, in agris quoque, cum Cereri ſacrificaretur, fieri eiuſmodi libationes conſueviſſe, uti ex gemma Gorlaei (*c*) a Begero (*d*), & a Grupenio (*e*) illuſtrata plane cognoſcimus: & quidem vini, ut Theocritus Idyllio ſupralaudato, & Virgilius his verſibus (*f*):

Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret,
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho;

& Cato cap. 134. *de re ruſtica* dicens: *poſtea Cereri exta, & vinum datò*, teſtantur. Quod ſi Macrobius (*g*) Plauti teſtimonio ex *Aulularia* nixus (*h*), Cereri numquam vini libationes factas fuiſſe pugnat, Virgiliumque ſacrarum caeremoniarum Cereris imperitum dicit; Servius (*i*) tamen Virgilium defendit, quod alia eſſent ſacrificia Cereri in agris facta ab iis, quae, cauſſa raptus Proſerpinae filiae Cereris, celebrabantur. In his quidem vinum libare nefas fuiſſe. *Nam ſuperfluum eſt*, inquit celebris is Grammaticus, *quod quidam dicunt contra religionem dixiſſe Virgilium, licere Cereri de vino ſacrificare: Pontificales namque hoc non vetant libri. Quod autem ait Plautus in Aulularia, cuius ipſi utuntur exemplo: Cereri ne nuptias facturi eſtis? Qui? quia temeti nihil allatum intelligo: non huic loco contrarium; nam aliud eſt ſacrificium, aliud nuptias Cereri celebrare, in quibus revera vinum adhiberi nefas erat, quae Orci nuptiae dicebantur, quas praeſertim ſui Pontifices ingenti ſolemnitate celebrabant.*

In oppoſito latere alia mulier velato rica capite ſuppliciter aram veneratur. Rica palliolum erat, quo mulieres ſacrificantes caput velabant. Praeterea coronata haec mulier occurrit. Ac coronatos quidem Cereri ethnicos ſacrificare conſueviſſe, ex teſtimonio veteris cuiuſdam Poëtae apud Athenaeum (*k*) colligitur, quod eſt huiuſmodi: πλȣ́τȣ μητέρ᾽ ὀλυμπίαν ἀείδω Δήμητρα ϛεφανηφόροις ἐν ὥραις, *divitiarum matrem caeleſtem cano Cererem in tempeſtatibus coronam ferentibus*; ideſt temporibus meſſium, quibus meſſores capite coronati Cereri ſupplicabant. Quare Virgilius ait (*l*):

. . . . neque ante
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompoſitos, & carmina dicat;

quibus ex verbis eiuſmodi coronas querneas fuiſſe conſtat. Sed Iſter apud veterem Scholiaſtem Sophoclis (*m*), coronas Cereris, quibus illi ad ſacrificia

(*a*) In Lexic. v. Νηφάλιος θύσια.
(*b*) *Oedip.* verſ. 101.
(*c*) *Dactylioth.* num. 6.
(*d*) *Contemplatio gemmarum &c.* pag. 26.
(*e*) *De uxore Romana* §. 27. pag. 181.
(*f*) *Georg.* lib. I. verſ. 343.
(*g*) *Saturnal.* lib III. cap. 11.
(*h*) Act. II. ſc. 6. verſ. 5.
(*i*) Ad lib. I. *Georg.* verſ. 344.
(*k*) *Deipnoſoph.* lib. XIV. cap. 14. pag. 694.
(*l*) *Georg.* lib. I. verſ. 347.
(*m*) Ad *Oedip. Colon.* verſ. 715.

utebantur, cum myrteas, tum ſmilaceas fuiſſe ſcribit: Artemidorus (*a*) autem narrat, myrteas in ſomnis viſas boni fauſtique ominis agricolis fuiſſe διὰ τὴν Δήμητραν, *propter Cererem*; quod illae non Veneris modo propriae eſſent, ſed etiam Cereris. At a Latinis praeſertim receptum querneas coronas geſtandi morem Virgilius ſequutus ſcribendo fortaſſe fuit; & myſtica ea ratione id fieri conſueviſſe videtur, ut folia quercus ex glandibus in conſtantiorem, exquiſitioremque ex frugibus victum a Cerere commutatum fuiſſe oſtenderent; aut quod nullos flores quercus ferret. Nam οὐ πάνυ ἥδεσθαι τὴν Δήμητρα *non valde ſe oblectaſſe Cererem* floribus, ob raptam a Plutone Proſerpinam filiam, dum haec flores legeret, Scholiaſtae Sophoclis (*b*) animadvertunt; eamdemque ob cauſſam καὶ ταῖς θεσμοφοριαζούσαις τὴν τῶν ἀνθινῶν στεφάνων ἀπειρῆσθαι χρῆσιν, *& mulieribus Theſmophoria celebrantibus florearum coronarum fuiſſe interdictum uſum*. Quare iidem Scholiaſtae aiunt, a Sophocle ſolum narciſſinas coronas Cereri, & Proſerpinae tributas fuiſſe. Verum coronas ex flore tum magnitudine tum colore ſimili hyacintho, quem Graeci comoſandalon vocant, confectas, adhiberi ad Themoſphoria conſueviſſe Pauſanias tradit (*c*). Pone eam ſacerdotiſſam mulieres duae, veluti illius adminiſtrae, ſimili plane veſtitu indutae videntur: quarum utraque ad ſacrificium ſiniſtra manu retinet acerram thuris. Enimvero in ſupplicationibus Cereris thus potiſſimum adolebatur, ut apud Ariſtophanem legimus (*d*); idemque ſignificant Ovidii verſus (*e*):

Farra Deae, micaeque licet ſalientis honorem
Detis, & in veteres thurea grana focos.
Et ſi thura aberunt, unctas accendite taedas:
Parva bonae Cereri, ſint modo caſta, placent.

(*a*) *Oneirocrit.* lib. I. cap. 79.
(*b*) Ibid. verſ. 717.
(*c*) *Corinthiac.* lib. II. verſ. 913.
(*d*) *In Ran.* verſ. 913.
(*e*) *Faſtor.* lib. IV. verſ. 409.

EXPLI-



EXPLICATIO
TAB. LX.

URna, quam hoc loco aere inciſam vides, anno 1746. Nepete ex ſubſtructionibus aedis Parochialis ad S. Blaſium, ubi neglecta iacebat, in urbem exportata exhibet imprimis infantiam, & pueritiam Bacchi. Is a Mercurio Nymphis vix natus nutriendus traditur, deinde a Sileno educatur; quamobrem (*a*):

. . . *Cuſtos famuluſque Dei Silenus alumni*

ab Horatio dicitur, & a Plauto (*b*) *Bromii altor maximi*. Unam Plinius (*c*), quam Nyſam nominat, fuiſſe Nympham prodit; qua in ſententia Orpheus quoque in hymno ad Sabatium, & Apollonius (*d*) in Argonautico verſantur: ſed hi aliud ei Nymphae nomen tribuunt. Ex vaſe etiam Salpionis Athenienſis, de quo Sponius ſcripſit (*e*), colligi, confirmarique idipſum poteſt. Sed Oppianus (*f*), Diodorus (*g*), & Servius (*h*) tres fuiſſe Nymphas volunt. Has idem Oppianus Inon, Autonoem, & Agavem Semeles ſorores nominat; inque monte Mero Bacchum nutriviſſe narrat; aliter vero eas nominant Diodorus, & Servius. Pherecydes vero Athenienſis, & Muſaeus a Germanico Caeſare in Arati expoſitione (*i*) laudati Bacchum a Dodonidis Nymphis, quae in caelum evectae Hyades appellantur, altum fuiſſe aiunt; idque ab Apollodoro quoque (*k*), & ab Hygino (*l*) mandatum monumentis litterarum fuit. At ſeptem Hyginus, Pherecydem auctorem ſequutus, numerat. Muſaeus autem ab eodem Hygino laudatus, & Heſiodus apud Theonem (*m*) quinque. Itaque cum tam variae ſint de earum Nympharum nume-

(*a*) *In arte Poet.* verſ.233.
(*b*) *In prolog. Bacch.* verſ. 25.
(*c*) Lib. v. cap.18.
(*d*) Lib. iv. verſ. 133.
(*e*) *Miſcellan. erud. antiquit.* ſect. 1. art. 1. pag. 25.
(*f*) *Cyneg.* lib. iv. verſ. 235.
(*g*) *Biblioth. hiſt.* lib. v. cap. 52. pag. 372. edit. Weſſeling.
(*h*) Ad verſ.15. eclog. 6. Virgil.
(*i*) In ſign. Tauri.
(*k*) *Biblioth.* lib. iii.
(*l*) *Poet. aſtronom.* lib. ii. cap.21.
(*m*) Ad verſ.168. Arati.

numero ſententiae, varius hic quoque in vetuſtis monumentis cernitur, prudenterque Plutarchus (*a*) a re incerta aſſenſionem cohibens plures, quam duas fuiſſe generatim dixit; quod diligenter nutriri Bacchum oporteret. In hac noſtra urna Nymphae eſſe videntur ſex; quot nimirum nedum a vetere Scholiaſte Homeri (*b*), qui illarum nomina profert, ſed etiam a Theone numerantur. Atque is quidem Theon (*c*), ubi Bacchi nutrices in Hyadas ſtellas mutatas fuiſſe ſcripſit, has ab Hippia ſex recenſeri, appellarique Hyadas inquit: ὅτι τὸν Διόνισον ἀνετρέψαντο· ὕης δὲ ὁ Διόνυσος, *quia Bacchum aluerunt, qui vocabatur Hyes*: quod ei nomen ab initiatis illius myſteriis tribui imprimis conſueviſſe Demoſthenes (*d*) teſtatus eſt. Iamvero hic una ex iis ſex figuris Bacchum abluit. De quo ritu abluendorum infantium ſtatim ac editi in lucem fuerant, copioſe, eruditeque Bartholinus (*e*) agit, & hoc munere obſtetricem, abſtergendi vero infantes panniſque involvendi nutricem perfungi conſueviſſe ex urna Sacchettorum colligit (*f*). At in noſtra urna utrumque una eademque Nympha exequi munus videtur, ut nutrices, quod apud Aelianum (*g*) legimus, ſolebant. Ac illa quidem ſedens, aliaque ſtans, inque ſuperpoſitam baſi pelvim aquam infundens, inferiorem corporis partem panno tegunt. Sedentis Nymphae capiti pileolum, quo barbarae mulieres utebantur, accommodatum vides. Sed de eiuſmodi pileolo, quod Homerus (*h*), huiuſque Scholiaſtes Euſtathius (*i*) memorat, & nos idem ac calanticam mulierum Romanarum eſſe exiſtimamus, alius erit dicendi locus.

Pone hanc ſtat alia Nympha tunicata, & manibus laminas concavas duas pulſat, ne Bacchus vagiat, aut ne illius vagitus audiantur; quemadmodum ob hanc alteram cauſſam Curetes, ut alibi diximus, circum Iovem puerum ſaltantes gladiis clypeos percutiebant. His laminis cymbala repraeſentari, ex iis, quae de eiuſmodi inſtrumento veteres ſcripſerunt, & ex cymbalorum figura, quae vetuſtis in monumentis videtur, perſpicuum eſt, colligique etiam ex Nonno, & Oppiano poteſt. Ita autem Nonnus (*k*) habet:

. . . . . . ἐπεπλατάγησε δὲ Βάκχῳ
Κύμβαλα δινεύουσα περίκροτα δίζυγι χαλκῷ,
. . . . . . *crepitaculo vero ſonuit Baccho*
Cymbala pulſans undique reſonantia duplici aere.

Oppianus vero (*l*) inquit:

Καὶ κύμβαλα χερσὶ κρόταινον.
Et cymbala manibus pulſantes.

Alia tunicata mulier, ſiniſtroque calcaneo fere inſidens ciſtam, ſive caniſtrum fructibus plenum manibus tenet, ut iis aut Bacchus reficiatur, aut illi gratum propriumque repraeſentetur oblatum donum. Nam aratri, ſementiſque inventor, teſte Diodoro, arborumque praeſes, ut habet Phornutus (*m*), Bac-

(*a*) *Sympoſ.* lib. III. quaeſt. 9.
(*b*) Ad verſ. 486. lib. XVIII. *Iliad.*
(*c*) Ad verſ. 168. Arati.
(*d*) In orat. *de corona* pag. 516. Oper. edit. Hieronymi Wolfii.
(*e*) *Expoſit. vet. in puerp. rit.* cap. I.
(*f*) Ib. cap. 2.
(*g*) *De nat. animal.* lib. VII. cap. 21.
(*h*) *Iliad.* lib. XXII. verſ. 405. & 468.
(*i*) Pag. 1280. edit. Rom.
(*k*) *Dionyſ.* lib. IX. verſ. 116.
(*l*) *Cyneg.* lib. IV. verſ. 245.
(*m*) *De nat. Deor.* cap. 30. Vid. Athen. *Deipnoſ.* lib. III. cap. 7. pag. 82.

Bacchus fuit. Quamobrem & *Protrigius* (*a*) appellatus eſt, quod ei potiſſimum omnium fructuum primitiae offerrentur, & *Fleon*, quod eius beneficio eorumdem copia tributa mortalibus crederetur: cum vere Sol, qui idem ac Bacchus erat, efficiat, ut omnia floreant, & in ſuo quaeque genere pubeſcant. Confirmari autem ex gemma, quae in Regio Galliae Muſeo ſervatur, noſtra haec opinio poteſt (*b*). Exhibet enim illa Bacchum lac a Nympha ſugentem, nonnullaſque figuras, quarum unaquaeque ei caniſtrum fructibus plenum defert.

Poſtremo extentum velum, cuius extremitatem ſeminuda figura dextero brachio, manuque ſuſtinere videtur, inſpiciendum eſt. Atque haud ſcio, an divinitatis illud indicium ſit, an vero indicet potius in abditum aliquem ſecretumque locum, ut Iunoni occuleretur, delatum Bacchum fuiſſe. In vetere quoque anaglypho, quod exſtat in villa Alexandri Albani Cardinalis, exhibetque Bacchum infantem, ſimile velum ad formam conopei undique protenſum cernitur. Iamvero etſi Winckelmannius hoc anaglyphum explicans de velo dicere praetermittat; alibi tamen eiuſmodi velis cubicula in vetuſtis ſculpturis picturiſque indicari animadvertit (*c*): propterea quod ante aedium partem, quae ἀυλὴ a Graecis dicebatur, παραπέτασμα erat, illudque funiculo complicabatur, & extendebatur (*d*).

Ad urnae dexteram expreſſa Bacchi pueritia inſpicienti occurrit. Is alto ſaxo veluti ſuggeſto ſuperſtat, dexteraque capiti Fauni nititur, laeva autem feraci uvarum viti. Cauli huius vitis Silenus etiam educator, ſedens contra Faunum, incumbit. Nemo eſt qui ignoret vitem Baccho uti vini inventori conſecratam fuiſſe, quemadmodum Minervae, ut apud Nonnum, olivam, & frumentum Cereri. Quare & vitem, & uvam cum illius imaginibus exprimi ſolere Nonnus idem (*e*), & Albricus (*f*) teſtantur. Tradit vero Diodorus (*g*) a Baccho, cum puer eſſet, inventam vitem fuiſſe. Itaque puer & in noſtra urna, & in aliis compluribus, iiſque vetuſtis, monumentis repraeſentatur (*h*). Cingitur autem a dextero humero ad femur ſiniſtrum cervina pelle, quod proprium inſigne illius pueritiae eſt, ut ex laudato Nonno conſtat. Habet enim hoc modo (*i*):

Χειρὶ δὲ νηπιάχῳ μεθέπων κεμαδοσσόον ἀλκὴν
Ποικίλον ἠώρησεν ἐπ' αὐχένι νεβρὸν ἀείρων·
Manu vero infantili ſequens hinnulos agitantem vim
Variam ſuſpendit in dorſo cervinam pellem ferens.

Eadem pelle cinctum Bacchum Euripides deſcripſit (*k*), & Praxiteles aere caelavit, uti proditum a Calliſtrato memoriae eſt (*l*), & ſic eum in duabus antiquis ſtatuis apud Montfauconum (*m*), inque aliis quampluribus anaglyphis videmus.

Praeterea cothurnatus occurrit. Nam veteres, ſicuti Apollini comoediam, ita Baccho tragoediam dicabant; nam ſaepe ſaepius qui vino nimis indulgent furo-

(*a*) Aelian. *var. hiſt.* lib. III. cap. 41., Achill. Tat. *Erot.* lib. II. pag. 66. edit. Salmaſ.
(*b*) Montfaucon. *Antiq. expliq.* To. I. Par. II. Tab. CXLIII. num. 1. pag. 232.
(*c*) Cap. 8. pag. 121.
(*d*) Suid. in v. Ἀρχίας, & in Κενοὶ κενά.
(*e*) *Dionyſ.* lib. XII. verſ. 14. & 110.
(*f*) *De Deor. imagin.* cap. 19.
(*g*) Lib. III. cap. 69. pag. 239.
(*h*) Montfaucon. ib. To. I. Par. II. Tab. CXLII. num. 3. pag. 230., & Tab. CXLIV. num. 3. p. 234.
(*i*) *Dionyſ.* lib. IX. verſ. 171.
(*k*) *Bacch.* verſ. 134. &c.
(*l*) *Statuae* num. 8.
(*m*) Ib. Tom. I. Par. II. Tab. CXLIV. num. 1. & 2. pag. 234.

furore agitantur, inque tragica ſcelera ebrietate impelluntur. Quare Ariſtophanes Bacchum in inferis iudicem finxit diſceptantium inter ſe Euripidis, & Aeſchyli, qui apud Graecos Tragicorum Poëtarum principes habentur: atque ab Hercule irriſum adiunxit (*a*), quod cothurnatus pellem leonis induiſſet, clavamque ſumpſiſſet. Pauſanias vero (*b*) cum Iovis amicitiae cuſtodis & praeſidis ſimulacrum ea forma a Policleto Argivo figuratum vidiſſet, ut altera manu cantharum, altera thyrſum teneret, cothurniſque calceatus eſſet, Baccho eam effigiem fuiſſe ſimilem animadvertit. Porro M. Antonius, cum inſaniens videri ſe eſſe Bacchum vellet, hedera coronatus, thyrſum retinens, *cothurniſque ſuccinctus*, ut Velleius (*c*) ſcribit, curru ingreſſus eſt Alexandriam; & ita quidem ornatum in marmoreo monumento Muſei Carpinei, nunc Vaticani, a Bonarrotio (*d*) edito glorioſum eum ſedere animadvertimus.

Fauni capiti, ut diximus, Bacchus nititur dum Faunus dextero illius pedi cothurnum aptat. Eum eſſe Faunum ex facie caprina, ex auricula oblonga, ex hiſpidis ſpiſſiſque crinibus, atque ex cauda certum eſt; tales enim in priſcis monumentis Fauni repraeſentantur, & a Virgilio, ſeu Ovidio, aut alio quopiam Priapeiae (*e*) auctore, hoc verſu deſcribuntur:

Frontem comatos Arcadas vides Faunos.

Iamvero minime adhibendam Scaligero (*f*) eſſe fidem intelligo, qui Faunos faciens Silenos, & utroſque calvos, *frontem cruentos* eſſe legendum pugnat. Nam falſam omnino eius eſſe opinionem vel ex ipſa noſtri Fauni forma cognoſcitur.

Silenus Bacchi iam inde a pueritia nutritius, ut ipſe de ſe apud Euripidem teſtatur (*g*), noſtra in urna contra Faunum ſedens cauli vitis nititur fortaſſe, ut ſenex baculo propter imbecillitatem utens repraeſentetur. Id autem ex Luciani (*h*) teſtimonio colligitur, qui eum dicit βραχὺν, πρεσβύτην, ὑπόπαχυν, προγάστορα, ῥινόσιμον, ὦτα μεγάλα ὄρθια ἔχοντα, ὑπότρομον, νάρθηκι ἐπερειδόμενον, *ſenem craſſiuſculum*, *brevem*, *ventricoſum*, *ſimum naribus*, *auribus longis & erectis*, *tremulum*, *innixum baculo*. Sed animadvertendum eſt, a Luciano neque hoc loco, neque alio quocumque ſuorum operum cornigerum, aut pedibus caprinis Silenum (*i*) fingi, quales Panem Deum, Satyroſque fuiſſe ſcripſit. Tali modo Silenus ſine cornibus, & ſine caprinis pedibus cum in noſtro, tum in aliis multis vetuſtis monumentis exhibetur; quod argumento eſſe debet, alios quidem a Satyris Silenos, non autem eiuſdem generis, fuiſſe, ut Caſaubonus (*k*) Pauſaniam (*l*) ſequutus cenſuit. Itaque in noſtra quoque urna Silenus prolixa barba, calvaque fronte. Iam Sileni nomen a σιλλῷ, Heſychius ducens ἀναφάλαντον interpretatur, id eſt *calvum in anteriore parte capitis*, & Nemeſianus mutilum caput Silenum nuncupat ita dicens (*m*):

Applauditve manu mutilum caput;

& Alcibiades apud Platonem (*n*), Xenophon in Convivio, & Scholiaſtes Ariſtophanis (*o*) calvum Socratem, effigie lineamentiſque ſimilem Sileno fuiſſe tradunt.

Reprae-

(*a*) *Ran.* verſ.45.
(*b*) *Arcad.* lib. VIII. cap.31.
(*c*) *Hiſt. Rom.* lib. II. cap.82.
(*d*) *Oſſervazioni iſtoriche ſopra alcuni medaglioni &c.* pag.447.
(*e*) *Luſ.* 37. pag 70.
(*f*) In not. ad eumd. verſ.
(*g*) *Cyclop.* verſ 142.
(*h*) *Bacchus* §.1. Tom.III. Oper. pag. 76.
(*i*) *Deor. concil.* §.4. Tom.III. Oper. p.530.
(*k*) *De ſatyr. poeſi* pag.64. & 65.
(*l*) *Attic.* lib. I. cap. 23.
(*m*) Eclog. 3. verſ.33.
(*n*) *Convivium* Tom. III. Oper. pag. 215., & 221. edit. Serrani.
(*o*) *Nub.* verſ.223.

Repraeſentantur quoque ſin minus Bacchae, at nutrices quidem Bacchi duae, quarum una poſt Silenum Baccho puero blanditur, ab eoque feſtive uvae racemum petit: altera vero prope Faunum aut carpere racemum, aut decerpere ex vite ſurculum videtur, ex quo conficere fortaſſe coronam, eaque ornare Bacchi caput velit. In ſupra laudato Albani Cardinalis anaglypho quinque hae figurae, etſi ſimili ordine nexae inter ſe ſunt; tamen minus affabre factae, minuſque diſtincte cuiuſque perſonam exprimere videntur, ut compertum cuique tabulam a Winckelmannio editam inſpicienti eſſe poteſt (*a*).

Tres autem figurae, quae media in urna ſunt, his, de quibus modo diximus, nexae potius videntur, quam aliud quidpiam ſeparatum, ut arbitror, oſtendere. Nam ab iis puero ludum, quo oblectetur, praeberi credimus. Sunt autem Fauni tres, quorum unus virili aetate latum eius generis ſcyphum, qui *cotyla* dicebatur, ſiniſtra tenet, vinique fortaſſe os plenum habet: alius vero iuvenis humi ſedens cavet ſibi, ne ab alio [qui eſt tertius] ſene quidem Fauno vapulet, quod ignave aſcoliaſmo luſerit, idque proximus illi uter indicat. Et quidem ſpectatoribus riſum movere is ludus ſolebat. Nam in utrem aut aëre inflatum, aut vino plenum, oleoque, aut ſapone extrinſecus illitum, altero pede ludii inſilientes perſaepe vacillare labique ſolebant impactis in terram natibus. Eubulus Poëta comicus [apud Suidam (*b*), & Scholiaſtem Ariſtophanis (*c*)], ut multa praeclare, ſic quoque hoc breviter:

Καὶ πρός γε τούτοις ἀσκοὺς εἰς μέσον
Καταθέντες ἐνάλλεσθε, καὶ καγχάζετε
Ἐπὶ τοῖς καταῤῥέουσιν ἀπὸ κελεύσματος.
Praeterea utribus in medium poſitis
In eos inſilite, ac ridete ludios,
Qui cadunt, palmiſque plaudite.

Phornutus vero (*d*) proprium ruſticorum Athenienſium hunc eſſe ludum ſcribit propterea quod, ut coniicere licet, exinde is ludus originem duxerit tempore vindemiarum, quo Bacchi ſacra ἀσκώλια ſic appellata ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ *ab utre*, celebrarentur. Ceterum in aliis quoque oppidis pagiſque cum Graecorum, tum Romanorum iſtiuſmodi ludo dare operam adoleſcentes conſueſcebant. Virgilius in Georgica (*e*) ex caprina pelle eos utres confectos fuiſſe narrat, ut honor Baccho vitium Deo tutelari adhiberetur, & caprae, quae vites corrodebant, in invidiam inducerentur. Quod etiam Tzetzes in Heſiodum animadvertit. Virgilii verſus ſunt huiuſmodi:

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Caeditur, & veteres ineunt proſcenia ludi,
Praemiaque ingentes pagos, & compita circum
Theſidae poſuere, atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres.

Ac non eſſe hoc loco praetermittendum puto, Romanos [teſte locuplete Varrone (*f*) apud Nonium (*g*)] in ſacris Conſualibus utres ex corio bubulo aëre

(*a*) *Monum. antichi* Tab. LII.
(*b*) In v. Ἀσκός.
(*c*) Ad verſ. 1130. *in Plut.*
(*d*) *De nat. Deor.* cap. 30.
(*e*) *Georg.* lib. II. verſ. 380.
(*f*) *De vit. Pop. Rom.* lib. I. inter eiuſdem fragm. pag. 60.
(*g*) *De propriet. ſermon.* p. 20. in v. *Cernuus*.

aëre inflatos, unctoſque percurrere conſueviſſe: *Etiam pelles bubulas oleo perfuſas percurrebant, ibique cernuabant, a quo vetus eſt ille verſus in carminibus*

Sibi paſtores ludos faciunt coriis Conſualia.

Eruditus quidam ait (*a*), *cernuare* apud Latinos labi in aſcoliaſmo proprio vocabulo ſignificaſſe. At inconſulto id quidem.. Nam in aſcoliaſmo ita cadebant, ut ſupini natibus in terram illiſis incumberent; contra vero in alio, quem Varro memorat, ludo proni cernuoque in terram ventre. Verum is idem auctor docte diligenterque de ratione inſiliendi in utres agit, idque ſiniſtro pede fieri conſueviſſe oſtendit. Itaque nedum in noſtro anaglypho, ſed etiam in alio, quod exſtat Florentiae, atque ab eodem auctore explicatur, ſiniſtrum Fauni in terram lapſi genu curvatum vides. Quam ille opinionem teſtimonio Ariſtotelis confirmat (*b*), quod habet hoc modo: *Quod autem a dextris motus eſt initium, argumento ſunt omnes, qui ſiniſtra ſolent onera baiulare, ita enim gerulus ſoluto eo, qnod moturus eſt, ac disiuncto facile moveri poteſt: quocirca & facilius a parte ſiniſtra ſaltant ſuper utres, quoniam dextra natura ſua movet, ſiniſtra movetur.*

His cognitis quid in urnae noſtrae anaglypho repraeſentetur ſatis cuique exploratum puto. Qui plura noſſe de aſcoliaſmo velit, is conſulat Meurſium, qui copioſe de eo ludo agit, Gorium quoque, & Rodulphinum Venutum (*c*), apud quos cernere eſt aere inciſum diligenterque explicatum anaglyphum illud, quod Feſulis repertum exſtare nunc Florentiae diximus. Sed id unum addendum exiſtimo, Faunum ſenem, ſeu Silenum illum, a quo alius Faunus vapulat, ita exprimi, ut duplicatam zonam, non autem ferulam, fuſtem, aut alia huiuſmodi arma ſumpſerit, tum quod ea quoque verberatio luſio erat, tum quod ſuis Bacchus uſum fuſtium, omniſque generis armorum ad grave infligendum vulnus aptorum interdixerat: proptereaquod ebrii procliviores ad turbas, rixaſque eſſent, uti de Lapithis, Centauriſque vino madentibus traditum memoriae fuit poſterorum.

In operculo etiam, inque duobus lateribus urnae anaglypha cernuntur, ſed in illo pueruli ſeu Genii inſculpti quinque: in utroque autem latere gryphus. Nam etſi Apollini imprimis gryphus dicatus eſſet (*d*); tamen Baccho quoque attributum fuiſſe, & Sidonius (*e*) prodit, & nonnulla veterum inſculpta monumenta declarant, ut vas illud in Theſauro S. Dionyſii ſervatum, de quo Montfauconius (*f*) agit. Hoc in vaſe, praeter cetera Bacchi inſignia, ſunt gryphi duo, ſive quod idem Numen Sol & Bacchus eſſent (*g*), ſive quod Orientis nationes is viciſſet, apud quas monſtruoſiſſimae hae beſtiae gigni dicebantur. Philoſtratus enim (*h*) inquit, τὰ γὰρ τὰ θηρία ταῦτα εἶναί τε ἐν Ἰνδοῖς καὶ ἱερὰς ἡλίῳ νομίζεσθαι, *namque beſtiae hae eſſe apud Indos, & ſacrae Soli putantur*, & Aelianus (*i*) τὸν γρῦπα ἀκούω τὸ ζῶον τὸ Ἰνδικὸν, *gryphum audio eſſe animal Indicum.*

(*a*) Gori *Inſcript. antiq. in Etrur. urbibus exſtantes* Tom. II. pag. 106.

(*b*) *De animal. inceſſu* cap.4. Tom. II. Oper. pag. 735.

(*c*) Vid. *Saggi di Diſſertaz. dell' Accad. di Cortona* Tom. I. Diſſert. 8.

(*d*) Bonarrot. *Oſſervaz. ſopra &c.* pag.138.

(*e*) *Carm.* 22. verſ. 67.


(*f*) Loc. cit. Tom. I. Par. II. Tab. CLXVII.

(*g*) Macrob. lib. I. *Saturn.* cap. 18.

(*h*) *De vit. Apollon.* lib. III. cap. 48.

(*i*) *Hiſt. animal.* lib. IV. cap. 27.

EXPLI-



Carolus Antonini del. et sculp.

EXPLICATIO

TAB. LXI.

ARA rotunda Herculi Victori dicata, quam in Tab. LXI. aere inciſam vides, tum Sculptoris artificio, tum inſcripto in ea titulo plane eſt ſingularis. Elegantiſſime quidem clavis ſertiſque ex ramuſculis quernis taeniis colligatis, & rebus fortiter ab Hercule geſtis partite inſculptis, & vaſe praeſtanti forma, in quo palmites, uvarumque racemi caelati ſunt, ea ara exornatur. Media eſt inſcriptio huiuſmodi:

HERCVLI . VICTORI
POLLENTI . POTENTI
INVICTO . D. D. L. M
C. VLPIVS . FRONTO
VIATOR . Q
DEDIC. III. I. IVL
L. VETTIO . PAVLLO
T. IVNIO . MONTANO COS

In Codice Vaticano 3439. ſaepe laudato delineata conſpicitur cum hac adnotatione: *Baſes duae eodem exemplo, altera in Capitolio inventa in via Sacra, altera in domo Gentilis Delphini inventa in foro Boario.* Ac exſtat illa quidem in aedibus Capitolinis Conſervatorum Urbis, quam complures Scriptores, atque imprimis Ulyſſes Aldrovandus (*a*), memorant. Gruterus (*b*) quoque idipſum teſtatur, ubi Smetium, Pighiumque auctores ſequutus eius

(*a*) *Delle ſtatue di Roma* pag. 273. (*b*) Pag.50. num. 3.

recitat inſcriptionem. En modo alteram hoc loco edimus, ſervatam olim in domo Gentilis Delphini Canonici Baſilicae Lateranenſis, qui magnus veterum monumentorum amator fuit, praeceptorque Fulvii Urſini doctiſſimi, ſingularique ingenio viri. Hac Alexander Albanus S.R.E. Card. deinde potitus eſt (*a*); ſed iuſſu demum Clementis XII. eadem exportata in Muſeum Capitolinum fuit.

Etſi Romae Herculi Victori aedes dicatas fuiſſe duas, unam in foro Boario, aliam prope portam Tergeminam, P. Victor (*b*), atque Macrobius (*c*) tradunt; tamen utramque aram ad aedem fori Boarii pertinuiſſe, veri eſſe ſimile videtur; propterea quod una in via Sacra, recta ad forum Boarium, altera in ipſo foro reperta ſit. Celebris ea aedes erat & pictura Pacuvii Poëtae (*d*), & Herculis ſtatua, quae Evandro Rege, ut aiebant, perfecta, Herculis triumphalis nominabatur, quod in triumphis ornatu triumphantium indueretur (*e*). Narrat autem Solinus (*f*), ab ipſomet Hercule in ſui honorem, Evandro Rege, poſtquam aram maximam dicarat, exſtructam fuiſſe, ipſumque Potitiis primis ſuis ſacerdotibus, quibus ritibus, caeremoniiſque coli vellet, oſtendiſſe. Sed Maſurio Sabino auctore [ſi eamdem is, ut eſt veriſimile, apud Macrobium (*g*) memorat] ea aedes non adeo vetus fuit. Nam illam Octavius Herennius, quem Heſernium appellat Servius (*h*), dicavit. Is enim *Marcus Octavius Herennius*, ut ait Maſurius, *prima adoleſcentia tibicen, poſtquam artis diſtiſus ſuae eſt, inſtituit mercaturam, & bene re geſta decimam Herculi profanavit. Poſtea cum navigans hoc idem ageret a praedonibus circumventus fortiſſime repugnavit, & victor receſſit: hunc in ſomnis Hercules docuit ſua opera ſervatum, cui Octavius impetrato a Magiſtratibus loco aedem ſacravit, & ſignum, VICTOREMQUE INCISIS LITTERIS APPELLAVIT. Dedit ergo epitheton Deo, quo & argumentum veterum victoriarum Herculis, & commemoratio novae hiſtoriae, quae recenti Romano ſacro cauſſam dedit, contineretur.* Multo tamen ante Herennium Herculi tributum fuit Victoris nomen. Illius enim *perpetuum epitheton* fuiſſe Servius (*i*) animadvertit; ſicque appellatum ab antiquiſſimis temporibus Varro apud Macrobium (*k*) docet, *quod omne genus vicerit animalium*. Latet me vero cur Servius (*l*), *decies* viciſſe Herculem ſcribat; cum multo amplius quam decies viciſſe conſtet.

Vocabulis quoque POLLENTI, POTENTI, INVICTO, quae in inſcriptione ſupra recitata, inque aliis priſcis, iiſque Herculis (*m*) monumentis leguntur, robur, virtuſque Herculis ſignificatur. Invictus quam ſaepiſſime Hercules invenitur dictus (*n*); ut in utraque inſcriptione cuiuſdam cippi apud Boiſſardum (*o*), atque Gruterum (*p*); quo in cippo Hercules ſedens, clavaeque ſiniſtro brachio incumbens, quaſi defatigatus exprimitur, & contra eum

(*a*) Vid. Murator. in *Novo Theſauro Inſcript.* pag. 336. num. 5.
(*b*) *De Regionib: Urb. Reg. VIII.* In Theſauro Graevii Tom. III. pag. 43.
(*c*) *Saturnal.* lib. III. cap. 6. Vide Servium ad verſ. 363. lib. VIII. *Aeneid.* Virgilii.
(*d*) Plin. lib. XXXV. cap. 4.
(*e*) Idem lib. XXXIV. cap. 7.
(*f*) *Polyhiſtor.* cap. 1.
(*g*) *Saturnal.* lib. III. cap. 6.
(*h*) Ad verſ. 363. lib. VIII. *Aeneid.*
(*i*) Ad verſ. 203. & 363. lib. VIII. *Aeneid.*
(*k*) *Saturnal.* lib. III. cap. 6.
(*l*) Loco citato.
(*m*) Vid. Voſſ. *de Idololatr.* lib. I. cap. 22.
(*n*) Vide Gruter. pag. 46. num. 7. 8. 9. 10. 11. & 13., pag. 47. num. 1. 2. 3. 4. 5. 8. 9. 10. 11., pag. 48. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 11.
(*o*) *Antiquit. Rom.* Par. III. pag. 103.
(*p*) Pag. 48.

cum corona pro partis victoriis praemium. In Calendario quoque Amiternino IV. idus auguſti templum memoratur Herculi Invicto ſacrum his verbis : HERCVLI INVICTO AD CIRCVM MAXIMVM (*a*).

Iam vero ſymbola, quae in noſtra ara inſpiciuntur, Invictum illum, atque Victorem oſtendunt : ſunt enim nodoſae clavae inſtrumenta eius victoriarum, & coronae ſunt ex ramuſculis querneis, quibus duces pro partis victoriis coronabantur (*b*). Faſciolae, vittae, taeniae, coronis nexae tum στλεγγίδες, ut ex epiſtola Hyppoloci apud Athenaeum (*c*) colligitur, tum λημνίσκοι a Graecis appellabantur, quo poſtremo vocabulo ſaepius Latini utuntur. *Lemniſci*, ait Feſtus (*d*), *id eſt faſciolae dependentes ex coronis*. Sic autem inſtrui coronas, victoribus ex ludo, atque ex praelio traditas, conſueviſſe, ex innumeris vetuſtis monumentis perſpicuum eſt. Ac victoria quidem, quam Iuppiter Olympicus, Elide a Phidia inſculptus, manu tenebat, corona cum iſtiuſmodi faſcia, Pauſania teſte (*e*), ornabatur. Lemniſcatas fuiſſe tradit Auſonius (*f*) etiam coronas Poëtarum, quas Servius (*g*) *Agonales*, *ideſt lemniſcatas* dixit. Quin etiam ad Herculis apotheoſin congruere quernae coronae poſſunt. Nam & monente quercu ſacrae ſilvae Sellorum, ut ſcribit Sophocles (*h*), Hercules novit quamcito futurum ſuorum laborum finem ; & ex lignis quernis rogus apotheoſis Herculis inſtructus fuit, ut conſtat ex eodem Sophocle (*i*), & ex Callimacho (*k*), quod Seneca (*l*) quoque indicat.

Sequitur vas ſertis ſubiectum, quod Herculis ſcyphus, ſeu crater dicitur. Huiuſmodi cum ſcypho ille, uti magnus vini potator, ſaepe in marmoreis monumentis, atque in nummis exprimitur. Iam vero ut ait Athenaeus (*m*) : μήποτε μεγάλοις ἔχαιρε ποτηρίοις ὁ ἥρως, διὰ τὸ μέγεθος παίζοντες οἱ ποιηταὶ καὶ συγγραφεῖς πλεῖν αὐτὸν ἐν ποτηρίῳ ἐμυθολόγησαν. *Poculis fortaſſe, quia heros amplis gaudebat, per iocum ſcriptores, ac poëtae eum in poculo navigaſſe fabulati ſunt*. Praeterea Macrobius (*n*) : *Scyphus Herculis poculum eſt*, inquit, *ita ut Liberi Patris cantharus. Herculem vero fictores veteres non ſine cauſſa cum poculo fecerunt, & nonnumquam caſabundum, & ebrium, non ſolum quod is heros bibax fuiſſe perhibetur, ſed etiam quod antiqua hiſtoria eſt Herculem poculo, tamquam navigio, ventis immenſa maria tranſiſſe*. Sed prudentiſſimus is auctor cenſet, *non poculo Herculem maria tranſvectum*, *ſed navigio, cui ſcypho nomen fuit*. Poſt apotheoſim quoque Herculem bibacem Callimachus (*o*) commentus eſt. Itaque in praeclaro monumento Farneſiano, quod eamdem apotheoſim exhibet, Hercules ſuper pellem leonis cum Satyris iucunde verſatur, tenetque ſiniſtra manu vas, in quod Faunus immittit caput, ut vinum bibat, uti alio loco adnotavimus. Illud vas ſine anſis, ollaeque ſimile ; contra vero noſtrum utrimque an-

(*a*) Vide Appendicem ad Calendarium Praeneſtinum typis Romae nuper editum.
(*b*) Vid. Paſchal. *de Coronis* lib. VII. cap. 14.
(*c*) *Deipnoſoph.* lib. IV. cap. 1. pag. 128.
(*d*) *De verbor. ſignific.* lib. X. ad vocabulum *Lemniſci*.
(*e*) *Eliac. prior.* lib. V. cap. 11.
(*f*) *Ad Paullin.* ep. 20. verſ. 5.
(*g*) Ad verſ. 772. lib. VI. *Aeneid.*
(*h*) *Trachin.* verſ. 1180.
(*i*) Ibi verſ. 1211.
(*k*) *Hymn. in Dian.* verſ. 159.
(*l*) *Hercul. Oetaeus* verſ. 1481.
(*m*) *Deipnoſoph.* lib. XI. cap. 5. pag. 469.
(*n*) *Saturnal.* lib. V. cap. 21.
(*o*) *Hymn. in Dian.* verſ. 160.

ſatum, quemadmodum ſcyphi Herculei, auctore Athenaeo (*a*); ornaturque, ut initio diximus, palmitibus, racemiſque uvarum, quo Anacreon (*b*) modo argenteum ſcyphum a Vulcano ſibi caelari cupit.

Caetera, quae in noſtra ara repraeſentantur, ſingulari aenea tabula, qua tamquam zophoro hunc commentariolum ornavimus, inciſa ſunt. Ac primo ſiniſtrorſum occurrit Hercules nudus cum clava, qui Cerberum canem, terrificum cuſtodem inferorum, ovans ac prope triumphans deducere videtur. Deinde arcus, & pharetra telis referta; quibus ille armis fugientes perſequi, vincereque ſolebat; propter eaquod, ut Diogenes apud Dionem Chryſoſtomum animadvertit (*c*), interdum non aequa ac illi corporis celeritate valeret. Poſtremo aper, quem auctor Indicis Capitolini dixit vittatum ſuem. Quidni aper potius in Erymantho monte ab Hercule interfectus? Neque vero haec temere expreſſa fuiſſe putandum eſt, ſed conſulto; ut Hercules nimirum & in inferis, & in caelo, ſive in aëre, & in terra victor demonſtraretur: quorum primum ex Cerbero, aliud ex pharetra, teliſque, quibus Stymphalidas occidit, tertium ex apro ſatis explorate perceptum cuique eſſe poteſt.

Iamvero Caius Ulpius Fronto, qui noſtram aram Herculi dedicavit III. idus iulias, L. Vettio Paullo, & T. Iunio Conſulibus, ideſt anno aerae Chriſtianae 165. Marci Aurelii, & Lucii Veri ſeptimo, VIATOR Q. appellatur. Nota Q. a Muratorio (*d*) explicatur *Quaeſtorius*. Porro vocem *Viator* proprium nonnullorum miniſtrorum publicorum nomen fuiſſe concedo; at aliquem ex iis, qui eiuſmodi haud praeclaro munere fungebantur, aras duas, eaſque praeſtantiſſimas dedicaſſe, nunquam concedam. Nonne dici *Viator* Caius Ulpius Fronto poſſet, quod ei felicia, atque fauſta itinera eveniſſent? Fortaſſis ob eam cauſſam Herculi Victori haſce aras dedicavit. Notam autem Q. interpreror *Qui*, ut in nonnullis inſcriptionibus veterum monumentorum plane legitur. Teſte Grutero (*e*) noſter C. VLPIVS FRONTO apud Pighium in ms. dicebatur C. CORNELIVS FRONTO; quod fortaſſe Pighius Cornelium illum Frontonem clariſſimum oratorem, praeceptoremque M. Aurelii, & L. Veri Caeſarum, a quibus Conſul dictus, aliiſque dignitatibus ornatus fuit, aras dedicaſſe exiſtimarit. Poſtremo animadvertere placet, domus Ulpiorum Herculem fuiſſe tutelarem Deum, ut ex inſcriptione in Aventino colle prope S. Priſcae aedem non longe a Circo Maximo reperta, & a Panvinio (*f*), ac Sponio (*g*) edita colligitur, quae eſt huiuſmodi:

HERCVLI
CONSERVATORI
DOMVS . VLPIORVM
SACRVM
M. VLPIVS . AVG. N
VERECVNDVS

(*a*) *Deipnoſoph.* lib. XI. cap. 14. pag. 500.
(*b*) Od. XVII. verſ. 12.
(*c*) Oratio IX. pag. 141. editionis Friderici Morelli.
(*d*) *Nov. theſaur. Inſcript.* pag. 336. n. 4.
(*e*) Vid. Gruter. *Inſcription.* pag. 40. n. 3.
(*f*) *Deſcript. Urbis Romae.* In Theſauro Graevii Tom. III. pag. 310.
(*g*) *Miſcellan. erud. antiq.* ſect. III. num. 61. pag. 100. Vide Sebaſtiani Donati *Theſ. noviſſimum Inſcript.* pag. 38. num. 3.



EXPLICATIO
TAB. LXII.

VAriae ſunt, interque ſe diſſidentes de locis Elyſiis Poëtarum, atque Mythologorum opiniones. Plerique cenſent, ea fuiſſe in inſulis, medio in Oceano, ſita. Quamobrem minime mirandum eſt, Choros marinos multis in urnis ſepulcralibus (*a*), veluti in hac, de qua agimus, exhiberi. Ac praeſtat haec quidem cum artificio, tum integritate; quam iamdiu a Sancte Bartolo (*b*) vulgatam, atque a Bellorio explicatam verſibus hexametris octo, plane perelegantibus, docti homines norunt.

En Venus duobus Cupidinibus, nonnulliſque Nereidibus comitata, dorſoque invecta maritimae caprae exprimitur. Nereides maritimis Tritonibus natantibus inſidentes; alii vero Cupidines aut Delphinis invecti, aut inter Nereidas medii. Venerem iucunde in aquis egiſſe veteres putarunt, quod ex mari nata magnam in mari auctoritatem, Phornuto teſte (*c*) haberet. Itaque Muſaeus in carmine de amoribus Eronis, & Leandri (*d*) ſic loquitur:

Ἀγνώσσεις ὅτι Κύπρις ἀπόσπορός ἐστι θαλάσσης
Καὶ κρατέει πόντοιο;
Ignoraſne, genus Cypris quod duxit ab undis,
Et pelagus ditione tenet?

Eidem prope mare, inque portubus templa, atque ſimulacra conſecrata fuiſſe ex Pauſania (*e*) imprimis compertum eſt. Is enim καὶ Ἀφροδίτης, inquit, δὲ πρὸς τῷ λιμένει ἐστί τε τέμενος καὶ ἄγαλμα, ᾧ λίθου μὲν πρόσωπον καὶ ἄκραι χεῖρες, καὶ πόδες, ξύλου δὲ τὰ λοιπὰ εἴργασται. *In portu autem* [Pratae

(*a*) Vid. *Pinacothec. Iuſtinian.* Tom.I. Tab.88. 92. 132. 134. 136. 138., Maff. *Muſ. Veronenſ.* pag. 137., Cauſ. *Muſ. Rom.* Tom.I. pag.114., Gori *Inſcript. antiq.* Par.III. pag.88. & 138.

(*b*) *Admiranda Roman. antiquit.* Tab. XXXI., & XXXII. Vid. Montfaucon. *Antiquit. expliq.* Tom.I. Par.I. Tab.100. pag.166.

(*c*) *De nat. Deor.* cap.24.

(*d*) Verſ. 249.

(*e*) *Achaic.* lib.VII. cap.21.

tae urbis] *eſt aedes* [Veneris], *& ſtatua*, *cuius os*, *manus*, *& imi pedes e marmore*, *reliquae partes e ligno ſunt*. Igitur apud Antipatrum (*a*) Venus ait:

Ἱλάσκευ τὴν Κύπριν· ἐγὼ δέ σοι ἢ ἐν ἔρωτι
Οὔριος, ἢ χαροπῷ πνεύσομαι ἐν πελάγει.
Heic cole me Venerem, *tibi ſic in amore favebo*
Proſpera, *& aequoreo mitis ero pelago*.

Et praeclarum Anytae (*b*) carmen:

Κύπριδος οὗτος ὁ χῶρος, ἐπεὶ φίλον ἔπλετο τήνᾳ
Αἰὲν ἀπ' ἠπείρου λαμπρὸν ὁρᾷν πέλαγος,
Ὄφρα φίλον ναύτῃσι τελῇ πλόον, ἀμφὶ δὲ πόντος
Δειμαίνῃ λαμπρὸν δερκόμενος ξόανον.
Hic locus eſt Veneri ſacer : *huic nam ſumma voluptas*
Proſpicere e terra caerula in alta maris,
Mitiget ut nautis undas; *ſilet illico pontus*
Anxius Idaliae cum ſimulacra videt.

Ex quo factum eſt, ut Venus Marina nominaretur, atque a nautis praeſertim coleretur. Hinc apud Muſaeum (*c*) Leander, cum vires eum ad natandum diutius deficerent:

Πολλάκι μὲν λιτάνευσε θαλασσαίην Ἀφροδίτην·
Saepe quidem precabatur Venerem Marinam,

ut eſſe ſibi ſubſidio vellet. Scribit vero Pauſanias (*d*) exſtaſſe Hermionae Veneri Ποντίᾳ, καὶ Λιμενίᾳ *marinae*, *& portuum Cuſtodi* dedicatum templum: eamque & Horatius (*e*) Marinam appellat. Quare *Pelagia* nominatur in vetere inſcriptione a Reineſio (*f*) vulgata. Sed is auctor Venerem Pelagiam cum Venere Anadyomene, ideſt *e mari emergente* confundit. Hanc tamen aliam fuiſſe ab illa liquet; quod *Pelagia* in quiete viſa, ut Artemidorus (*g*) prodidit, quidquam bonum, fortunatumque portenderet, *Anadyomene* vero procellas, & naufragia.

Tali modo Venus nedum in noſtro, ſed etiam in aliis nonnullis ſarcophagis ſupralaudatis, inque vetuſtis gemmis, atque lapillis repraeſentatur. In his cernitur aut natanti maritimo Tritoni inſidens, aut Delphino vecta, aut huius ſuper tergum ſtans, aut in concha, tamquam in lecto, decumbens. Animadverſum a Cauſaeo (*h*) eſt, ethnicos in iſtiuſmodi ſculpturis effingendis ſequutos fuiſſe Thaletem Mileſium auctorem, qui aquam dixit eſſe initium rerum, reſque omnes in aquam reſolvi. Igitur conſulto illos ſibi finxiſſe Venerem maris potiri, ibique cum Tritonibus, Nymphiſque maritimis verſari, quod nata a mari cauſſa omnium eſſet generationis rerum. *Caeterum*, ait Phornutus (*i*), *conſentaneum quoque eſt*, *Venerem nullam ob aliam cauſſam e mari natam perhiberi*, *quam quod ad omnium generationis cauſſam motu*, *& humiditate opus ſit*, *quae utraque in mari abundant*.

In

(*a*) *Antholog.* lib. I. cap.38. pag.301. edit. Megiſeri.
(*b*) Ibid.
(*c*) *De Erone*, *& Leandro* verſ. 320.
(*d*) *Corinthiac.* lib.II. cap.34.
(*e*) *Carm.* lib.III. od.26. v.5., l.IV. od.11. v.15.
(*f*) Claſ. I. num.XCIII.
(*g*) *Oneirocrit.* lib. II. cap.42.
(*h*) *Muſ. Rom.* Tom.II. pag.114.
(*i*) *De nat. Deor.* cap.24.

In Iuſtinianei quoque Muſei ſarcophago Venus caprae inſidet; quo etiam modo a Scopa Graeco clariſſimo ſculptore in aere expreſſa, Elide in templo Veneris, teſte Pauſania (*a*), colebatur, qui ἄγαλμα, inquit, Ἀφροδίτης χαλκοῦν ἐπὶ τράγῳ κάθηται χαλκῷ· Σκόπα τοῦτο ἔργον. Ἀφροδίτην δὲ πάνδημον ὀνομάζουσι. *Simulacrum Veneris aereum capro inſidet pariter aereo, Scopae opus. Hanc autem Venerem popularem nominant. Popularem*, inquam, quod generationi praeeſſet. Quamobrem eidem attributa, atque immolata a ſcortis pro nanciſcendis amaſiis capra fuit, prae ceteris laſciva pecus. Hinc apud Lucianum (*b*) mater Muſarii ſcorti ſic loquitur: Ἂν ἔτι τοιοῦτον ἐραστὴν εὕρωμεν, ὦ Μουσάριον, οἷος ὁ Χαιρέας ἐστὶ, θῦσαι μὲν τῇ Πανδήμῳ δεήσει λευκὴν μηκάδα. *Si talem adhuc unum amatorem inveniamus, Muſarium, qualis eſt Chaereas, immolare oportebit Populari Veneri albam capellam*. Verum aptius ad rem noſtram dicendum eſſe videtur, a nautis capram Veneri, veluti Deae ſibi propitiae, & navigationum tutelari immolari conſueviſſe. Narrat enim Plutarchus (*c*), Theſeum in Cretam inſulam navigaturum, cum ei conſulenti Apollo Delphicus praecepiſset, ut Venerem ſibi itineris ducem ſumeret, huic capram in littore immolaſse; cumque capra in caprum, dum ſacrificium perficeretur, commutata fuiſset, Epitragiam nominari Venerem coepiſse. Non me latet, unam ex Nymphis, non autem Venerem, a Claudiano chorum marinum deſcribente, capro, ſive arieti inſidentem induci. Ait enim (*d*):

Hanc timor Aegaei rupturus fronte carinas
Trux aries;

at in veteribus monumentis marmoreis, gemmiſque ipſa Venus exprimitur; ut in gemma ex intimo cubiculo Regis Chriſtianiſſimi a Marietto (*e*) edita; & in lapillo caeruleo, apud Paullum Alexandrum Maffaeum (*f*), cum Cupidine, qui capram flagro agitat.

Iam Nymphae illae tres dici fortaſſe tres Gratiae etiam poſſunt, quod hae eſſent Veneris comites, *Veneremque inter Gratias, & Cupidines*, ut ait Plinius (*g*), Nicearchus pinxit. Sunt autem maxima corporis parte nudae, ut exhiberi Nymphae aquaticae ſolent, utque Nereidae, teſte Luciano (*h*), comites Iovis in Taurum converſi abripientis Europam fuerunt, ἡμίγυμνοι αἱ πολλαὶ, *ſeminudae multae*. Singulae ſingulis Tritonibus inſident, ut in ſarcophagis ſupralaudatis, multiſque gemmis. Tritones enim, ut ethnici commenti ſunt, capti amore Nympharum maritimarum, in illarum choros immigrare, eaſque ſecum deducere, ociandi, recreandique animi cauſſa, ſolebant. Quamobrem finxit Apuleius (*i*), Tritones ſimul cum Nereidis Venerem per Oceanum commeantem ſequutos fuiſſe. Scopa vero, ut a Plinio (*k*) memoriae proditum eſt, in templo Neptuni a Cn. Domitio in Circo

(*a*) *Eliacor. poſter.* lib. vi. cap. 25.
(*b*) *Dialog. meretr.* num. 7. Tom. iiI. Oper. pag. 295.
(*c*) In vita Theſei pag. 15. edit. Auguſtini Bryani.
(*d*) *De nupt. Honor., & Mar.* carm. 10. v. 162.
(*e*) *Recueil des pierres gravées du Cabinet du Roi* Tom. iI. num. xxiii.
(*f*) *Gemme antiche figurate &c.* To. iiI. Tab. vi.
(*g*) Lib. xxxv. cap. 11.
(*h*) *Dial. marin.* num. 15. §. 3. Tom. I. Oper. pag. 327.
(*i*) *Metamorph.* lib. iv. pag. 135. edit. ad uſum Delphini.
(*k*) Lib. xxxvi. cap. 5.

co Flaminio aedificato, inſculpſit Tritones, aliaque maritima monſtra, *ſupraque Delphinos*, *&* *Cete*, *&* *Hippocampos ſedentes* Nereides. At noſtri anaglyphi Sculptor plerorumque morem fingendi Nereides Tritonibus vectas ſequutus eſt: etſi etiam alia marina monſtra effinxit, quibus Scopa eaſdem Nymphas inſidentes expreſſerat; ac primum Tritonem tenentem froenum equi marini, quem Latini, ut Plinius, & Nonius (*a*) tradunt, ex Graeco vocabulo *hippocampum* dixerunt. Is autem, quem poſtremo loco nominavi, *Hippocampi*, inquit „*equi marini a flexu caudarum*, *quae piſcoſae ſunt*.

De forma Tritonum paucis. Nam ſatis explorate ex Scriptoribus cum Graecis, tum Latinis cognovimus, eos ſemihomines, ac ſemipiſces fuiſſe; utque de Tritone ait Virgilius (*b*):

. . . . cui laterum tenus hiſpida nanti
Frons hominem praeſert, *in priſtim deſinit alvus*.

Pedes habent ſimiles partim pedibus equi, partim caudis piſcium. Atque, ut ſcribit Pauſanias (*c*), Tritones ὑπὸ δὲ στέρνον καὶ τὴν γαστέρα οὐρά σφισιν ἀντὶ ποδῶν, οἷα περ τοῖς δελφῖσίν ἐστι. *Sub pectore*, *&* *ventre cauda ipſis eſt pro pedibus*, *uti Delphinis*. De iiſdem praeclari ſunt Sidonii Apollinaris verſus (*d*):

Squameus huc Triton duplicis confinia dorſi
Qua coëunt, *ſupra ſinuanima tortilis alvei*
Inter aquas calido portabat corde Dionem.

Praeterea adiunctas coxendicibus alas habent conſimiles alis piſcium, quibus undas findant: quemadmodum in aliis monumentis repraeſentantur, & qualis ille Triton, qui Argonautarum navim trahebat, ab Apollonio Rhodio (*e*) deſcribitur, utrimque ſub lumbos quaſi cauda ceti inſtructus, qua κόπτε ἄκρον ὕδωρ; *findebat ſummam aquam*.

Primus, ut diximus, Triton ſiniſtra manu equum marinum froeno retinet, dextera geſtat baculum; converſiſque oculis invectam Nympham comprimentem dextera manu dorſum inſpicit. Galatea quoque, ut ait Sidonius (*f*), Tritonis dorſum

. . . . pollice fixo
Vellit, *&* *occulto ſpondet connubia tactu*.

Suſtinet alius Triton dextera manu alatum Cupidinem humeris inſidentem, ſiniſtra anchoram, Nymphamque lyram ſiniſtra tenentem vehit, cui etiam lyrae alius Cupido innititur, quaſi indicet amoris carmina ad lyram cani oportere. Praeclara in Muſeo Regis Boruſſorum gemma ſervatur triumphum Veneris repraeſentans. Antecedit in ea currum, quem leones duo agunt, pulſans lyram Cupido, quem eſſe Hymenaeum Begerus (*g*) putat. In alia quoque gemma, apud Dominicum de Rubeis (*h*), Cupido leone invectus lyram

(*a*) *De honeſt.*, *&* *nov. veter. Dict.* in v. *Hippocampi*.
(*b*) *Aeneid.* lib. x. verſ. 210.
(*c*) *Boeotic.* lib. IX. cap. 21.
(*d*) *Epithalam. Ruric.*, *&* *Iber.* carm. XI. v. 34.
(*e*) *Argonaut.* lib. IV. verſ. 1613.
(*f*) *Epithalam. Ruric.*, *&* *Iber.* carm. XI. v. 38.
(*g*) *Theſ. Brandemburg.* Tom I. pag. 170.
(*h*) *Gemme antiche figurate &c.* To. III. Tab. XII.

lyram pulſat. Praeterea Epidauri in rotundo aedificio ex marmore albo, prope templum Aeſculapii, Cupidinem a Pauſia pictum cum lyra Pauſanias (*a*) ſe vidiſſe teſtatur. Ἐν δὲ αὐτῷ, inquit, Παυσίου γράψαντος, βέλη μὲν καὶ τόξον ἐστὶν ἀφεικὼς ἔρως, λύραν δὲ ἀντ᾽ αὐτῶν ἀράμενος φέρει. *In eo Pauſiae pictoris opus, Cupido, abiecto arcu, & ſagittis, lyram tenens.*

Tertius Triton ore ligato taurum marinum fraenat. Claudianus (*b*) Nymphas Veneris comites deſcribens, quae vecta a Tritone ad Honorii nuptias properabat, inquit:

. . . haec viridem trahitur complexa iuvencum.

Inſidens autem huic Tritoni Nympha pannum per aëra volitantem, quaſi velum, ſiniſtra continet, & roſea corona decoratur. Ac Veneri quidem roſas dicatas fuiſſe legimus, quod illa naſcente roſis terra effloruit, ut Anacreon cecinit (*c*); aut quod roſae ex interfecti Adonidis ſanguine enatae ſunt, ut Bion (*d*) ſcripſit. Sed eas venuſtatis cauſſa cum Veneri, tum Nymphis illius comitibus dedicatas fuiſſe ex Pauſania (*e*) colligimus, qui Elei templi Gratiarum ornatus recitans ait: Ἔστι δὲ καὶ Χάρισιν ἱερὸν, καὶ ξόανα ἐπίχρυσα τὰ ἐς ἐσθῆτα, πρόσωπα δὲ καὶ χεῖρες καὶ πόδες λίθου λευκοῦ· ἔχουσι δὲ ἡ μὲν αὐτῶν ῥόδον, ἀστράγαλον δὲ ἡ μέση, καὶ ἡ τρίτη κλῶνα οὐ μέγαν μυρσίνης· ἔχειν δὲ αὐτὰς ἐπὶ τοιῷδε εἰκάζοι τις ἂν τὰ εἰρημένα· ῥόδον μὲν καὶ μυρσίνην Ἀφροδίτης τε ἱερὰ εἶναι καὶ οἰκεῖα τῷ ἐς κάλλος λόγῳ· Χάριτας δὲ Ἀφροδίτῃ μάλιστα εἶναι θεῶν. *Suum habent & Gratiae templum: ſimulacra lignea ſunt, veſte inaurata: facies, manus, & pedes e candido marmore: earum una roſam, talum altera, myrti frondem exiguam tertia praefert. Quae ſit inſignium ratio facile coniiciat, qui attenderit roſam, & item myrtum Veneri ſacram, quod ſtirps utraque eximiam habeat pulchritudinis ſpeciem: Gratiae vero Veneri prae ceteris Diis attributae ſunt.* At Fulgentius (*f*) Veneri *roſas in tutelam* addictas fuiſſe docet ob hanc myſticam cauſſam: *Roſae enim*, inquit, *& rubent, & pungunt, ut etiam libido. Rubet verecundiae opprobrio, pungit etiam peccati aculeo: & ſicut roſa delectat quidem, ſed celeri motu temporis tollitur, ita & libido libet momentaliter, & fugit perenniter.*

Nonnulli Cupidines, apte diſtributeque inter figuras interiecti, anaglypticum hunc marinum chorum perficiunt. Illorum duo prope Venerem, alter volitans [quem ipſum Cupidinem dicere poſſumus] faculam accenſam, alter delphinum tenet. Reliqui quatuor delphinis vecti. Multos Veneri maritimum iter habenti Cupidines adfuiſſe Claudianus (*g*) quoque commentus eſt, eoſque natantibus monſtris vectos Sidonius Apollinaris finxit (*h*). Iſto modo, tamquam obſequentibus eorum voluntati Delphinis vecti, Delphinoſque manibus retinentes alati Cupidines ſaepe in aliis etiam vetuſtis monumentis conſpiciuntur. Sed propius ad veritatem Pallas Poëta (*i*) acce-


(*a*) *Corinthiac.* lib. II. cap. 27.
(*b*) *Epithalam. Honor., & Mar.* carm. x. v. 164.
(*c*) Od. 53. verſ. 873.
(*d*) Idyll. I. verſ. 56.
(*e*) *Eliac. poſter.* lib. VI. cap. 24.
(*f*) *Mytholog.* lib. II. cap. 4.
(*g*) *Epithalam. Honor., & Mar.* carm. x. v. 127.
(*h*) *Epithalam. Ruric., & Iber.* carm. XI. v. 42.
(*i*) *Antholog.* lib. IV. cap. 12. pag. 379. edit. Megiſeri.

dere videtur , qui Cupidines manibus retinere cum Delphinos , tum flores cenſet , quod Cupido terrae , mariſque imperium obtineat . Qua de re en eiuſdem Poëtae verſus :

Γυμνὸς Ἔρως διὰ τοῦτο γελᾷ καὶ μείλιχός ἐστιν·
Οὐ γὰρ ἔχει τόξον καὶ πυρόεντα βέλη·
Οὐδὲ μάτην παλάμαις κατέχει δελφῖνα καὶ ἄνθος·
Τῇ μὲν γὰρ γαῖαν, τῇ δὲ θάλατταν ἔχει.

Nudus Amor blandis idcirco arridet ocellis ,
Non arcus , aut non ignea tela gerit .
Nec temere manibus florem , delphinaque tractat :
Sic etenim terris , ſic valet ipſe mari .

EXPLI-



Carolus Antonini del. et sculp.

EXPLICATIO
TAB. LXIII.

IPſo huiuſce lucubratiunculae initio monendus eſt mihi lector, multa eſſe in hoc marmore, quod quidem admodum elegans eſt, non ſatis accurate a delineatore expreſſa, quae ſuo loco adnotabimus: ſingula enim non ſemel admotis parieti ſcalis nos diligenter ac propius inſpeximus, quod ille neglexerat.

Bacchus egregiae formae adoleſcens, ac vere θηλύμορφος, ut Philocorus apud Euſebium (*a*) eum appellat, hic prodit corymbis caput ornatus, longa veſte corpus indutus, & thyrſo manum munitus. Toto oris habitu pulcherrimum fuiſſe Bacchum Semeles filium, qui Indos ſubegit, una omnium conſentiens vox fuit, Diodoro Siculo teſte (*b*): φασὶ τῷ σώματι γενέσθαι τρυφερὸν, καὶ παντελῶς ἁπαλὸν, εὐπρεπείᾳ δὲ πολὺ τῶν ἄλλων διενεγκεῖν, *tenero, ac plane delicato fuiſſe corpore, formaeque venuſtate aliis inſigniorem affirmant*. Idem comarum ornatu inſignis fuit, quas vel hederae corymbis, vel uvae racemis intertextas habuit, unde κορυμβοφόρος *corymbifer*, & βοτρυόεις vel βοτρυοχαίτης *racemifer*, & *botrorum ſertis redimitus*, ſaepe etiam τανυπλόκαμος *longa caeſarie ornatus* dictus eſt. Quamquam vero ἡ πλείστοις τῶν πλασμάτων γυμνότης, quae ſunt verba Phornuti (*c*) τὸν παρὰ τοὺς πότους γινόμενον ἀπαμφιασμὸν τοῦ τρόπου δηλοῖ, *ſimulacra Bacchi pleraque nuda ſiſtantur, quod ex vini potu hominum ingenia detegantur*; longa tamen tunica hic indutus, ac puellarum more zona alte praecinctus conſpicitur, ut tanto Numini & magna bella gerere, & barbaras nationes de-

(*a*) In *Chronico pag*.29.
(*b*) *Biblioth*. lib. IV. cap.4. pag.249.
(*c*) *De nat. Deor*. cap.30.

bellare, leve prorſus, ac pene ludicrum fuiſſe intelligatur. Ac Bacchus quidem hoc modo

> Γυναικείην φορέων ψευδήμονα μορφὴν,
> *Muliebrem ferens fallacem formam*,

& παρθενίῳ ζωστῆρι *virginali faſcia* circumligatus concelebratur a Nonno (*a*). Sed tunicam, qua amictus cernitur, eſſe nebridem, hoc eſt pellium aſſutarum indumentum, quod Baccho eiuſque famulis ſolemne fuit, facit ut credam praeter Nonnum, qui (*b*) Bacchum in Indiam proficiſcentem nebride coopertum inducit, ipſa faſcia tunicam conſtringens, quae in capreoli caput deſinens hinnuleas exuvias aperte demonſtrat.

Dextra thyrſum ſuſtollit, de quo plura alibi dicta ſunt, ſiniſtra vero habenas tenens geminas leaenas currui iunctas ſuaviter regit, ac moderatur, ut eum plane decet, quem ſaepe appellat Nonnus (*c*)

> Παρδαλίων ἐλατῆρα, καὶ ἡνιοχῆα λεόντων
> *Pantherarum agitatorem*, *&* *aurigatorem leonum*;

& cuius potentiam, ut ſuperius declaratum eſt, huiuſmodi belluarum feritas delinita mirifice manifeſtat. Hinc Baccho pro ferreis habenis ad eas regendas continendaſque taeniolae molles fluenteſque in manu datae, quae leaenarum collo circumvolutae uſque ad Panem praeeuntem protenduntur. Hinc gemini pueri tamquam aliud agentes ferarum dorſo inſident ſecuri: hinc alter puer leonis prope adſtantis iubas impavidus tractat.

Porro triumphantium more rectus in curru inſiſtit

> Ἡδὺς ὁ δινεύων κεχαλασμένα βόστρυχα χαίτης
> Ἡδὺς ὁ Βασσαρίδων ἐρόεις πρόμος . . . .
> *Suaviter agitans cincinnos capillorum*,
> *Dulcis Baſſaridum amabilis Dux* (*d*)

ac forma quidem currus ea eſt, quam ſaepe exhibent nummi triumphorum notis inſignes, ut videre eſt apud Spanhemium (*e*). Triumphalis enim currus inſtar turris rotundus aſſurgebat, quemadmodum hic viſitur, a carpento, a rheda, a plauſtro, & a thenſa omnino diverſus. Quamquam autem poſt Indos debellatos primus omnium elephantos iugo ſubmiſiſſe dicatur Bacchus, quod Diodorus (*f*) teſtatur his verbis, καταγαγεῖν πρῶτον τῶν ἁπάντων θρίαμβον ἐπ' ἐλέφαντος Ἰνδικοῦ, *primus omnium ſuper elephante Indico triumphum egit*; attamen leaenae Baccho victori aeque conveniunt, a quibus deductus Indos ipſos devicit. Sed hic inter leaenas ſe exerit hirci, ut videtur, caput, quod opinor temonis extrema pars eſt, ἀκρορρύμιον a Graecis, Polluce teſte (*g*), dicta, quae ut plurimum in alicuius animalis caput deſinebat. Id apertum magis erit ſi alium currum Bacchi a Centauris deductum conſulas apud Bartolum (*h*). In ſuperiori

(*a*) *Dionyſ.* lib. xiv. verſ. 159.
(*b*) Ibid. verſ. 239.
(*c*) Lib. vii. verſ. 324.
(*d*) *Dionyſ.* lib. xvii. verſ. 187.
(*e*) *De praeſt. numiſm.* Tom. ii. pag. 215.
(*f*) Lib. iv. cap. 3. pag. 248.
(*g*) Lib. I. ſegm. 146.
(*h*) *Admirand. Roman. antiq.* Tab. xliv.

riori autem currus noſtri parte, ſive tabulato, quae pars a Polluce (*a*) ὑπερτερία dicitur, inſculptus eſt Pan cum lata barba manu tenens pedum, & Faunus cum nebride, & Baccha εὐάζουσα *inſaniens*; haec tamen omnia vix adumbrata ſunt a calcographo.

Quinetiam ſub pedibus prioris leaenae nonnulla item minus diſtincte ille expreſſit, quae in marmore perſpicua ſunt. Multum enim eleganter exſculptum ſe exerit Panis caput, cui hiſpidum totum eſt os, longe aures protenſae, & cornua e vertice late aſſurgentia. Quod autem a mento in gyrum ad oculos deflectit, nihil hic plane ſignificat, ſed vere eſt pedum, quod fuit Panis inſigne: ac ne dubium eſſe poſſet alicui, quid hoc rei eſſet, ſculptor in imo marmoris pariete etiam fiſtulam, quae propria Panis fuit, adiecit. Sed de iis omnibus mox dicemus. Nunc autem quid ſibi velit hoc ipſum Panis humi deiectum caput obſervandum eſt. Equidem credo ad extollendam Bacchi potentiam eſſe appoſitum: quamquam enim Arcades eum τὸν τῆς ὕλης κύριον *non ſylvarum dominum, ſed univerſae ſubſtantiae materialis dominatorem*, ut ait Macrobius (*b*), eſſe crederent, & appellarent; loci tamen humilitas hic declarat tantum etiam Numen longe inferius eſſe Baccho. Ac Pan revera tamquam aſſecla, & pediſſequus habitus eſt Bacchi, quod deinceps erit demonſtrandum. Sed forte non magnus Pan, Deus Arcadiae, ſed e minoribus unus deſignatur; plures enim creditum olim fuiſſe Panes, quos *Paniſcos*, & *Aegipanes* dixerunt veteres, ut omnes undique ad inſerviendum Baccho huc conveniſſe intelligatur. Quod quidem Nonnus (*c*) confirmat dicens:

Πᾶνες ἐθωρήχθησαν ὁμήλυδες, ὧν ἐπὶ μορφῇ,
Ἀνδρομέῃ κεκέραστο δασύτριχος αἰγὸς ὀπωπή·
Καὶ νόθον εἶδος ἔχοντες εὐκραίροιο καρήνου
Δώδεκα Πᾶνες ἔσαν κεραελκέες· ἀρχεγόνου δὲ
Πανὸς ἑνὸς γεγάασιν ὀρειαύλοιο τοκῆος.
Panes armabantur comites, quorum in forma
Humana miſcebatur hirſutae caprae ſpecies.
Et adulterinam formam habentes bene cornuti capitis
Duodecim Panes erant cornua trahentes: ex primigeno autem
Pane uno erant omnes in montibus habitante patre.

Hinc etiam Philoſtratus (*d*) ait cum Baccho Panes navigaſſe καὶ Πᾶνας αὐτῷ συμπλεῖν. Tandem ad Panicos terrores ſignificandos, quibus ſaepe conſternabantur exercitus, quoſque in Indico bello excitaſſe Bacchum credibile eſt, hoc Panis adiectum eſſe caput dicere poſſimus; rite enim & recte, quae a Pane τὰ πανικὰ dicebantur, ad furorem, & inſaniam animos concitantia conveniebant Baccho, cuius Numini nihil magis acceptum, quam quod per thyaſum, & enthuſiaſmum perageretur.

Poſt caput Paniſci neſcio quid tortuoſum, & inflexum in hac tabula apparet, ſed in marmore manifeſtus eſt anguis. Quid autem ſit anguis cum Baccho, docet Euripides (*e*) dicens, quod eum natum Iuppiter

Στεφα-

(*a*) Ibid. ſegm. 142.
(*b*) *Sat.* lib. I. cap. 22.
(*c*) Lib. XIV. verſ. 69.
(*d*) *Icon.* lib. I. cap. 19.
(*e*) *Bacch.* verſ. 101.

Στεφάνωσέντε δρακόντων
Στεφάνοις.
Coronavit draconum
Coronis.

Profecto ſerpentes erant in ſymbolis Bacchi, nunc humi repentes, nunc autem erecti ὄφεις ὀρθοὶ, ut placet Philoſtrato (*a*); quibus etiam Bacchae ipſae ſaepe ſe coronabant, incingebantque, ut ait Catullus (*b*),

Pars ſe ſe tortis ſerpentibus incingebant.

Baccho adſtant feminae ac viri eius virtuti & Numini plaudentes: Κατὰ μὲν τὰς στρατείας γυναικῶν πλῆθος συνάγεσθαι καθωπλισμένων λόγχαις τεθυρσωμέναις, *in eius quidem exercitu*, ut narrat Diodorus (*c*), *frequens erat mulierum agmen haſtis thyrſo involutis inſtructum*. Has autem eſſe Baſſaridas, quas in Indica expeditione cum Baccho pugnaſſe ſaepe declarat Nonnus, non eſt dubitandum. Quatuor hic ſunt omnes numero, quae tamen viris mixtae, & ex intervallo diſpoſitae magnam earum multitudinem demonſtrant. Quae dextrorſum eſt, quaſi de victore Baccho gaudens, levi corporis motione, atque geſtu thyrſum elevat: quae autem ſiniſtrorſum ſtat, ſi comarum comptum ſpectes, Baſſaridum plane una eſt, nam ſerpentini in vertice aſſurgentes capilli nonniſi Baccho eiuſque famulis conveniunt. Nonnus quidem ſexcentis in locis Bacchum ipſum ἐχιδνόκομον angues *in comis habentem* vocat, & Baſſaridas, Bacchaſque anguibus coronatas, & incinctas exhibet (*d*). Ac de Baccho quidem ita canit (*e*):

. . . . . ἐπ' ἀνθοκόμῳ δὲ καρήνῳ
Εὐκεράων σκολιῇσιν ὑπὸ σπείρῃσι δρακόντων
Ταυροφυῆ Διόνυσον ἐμίτρωσαντο κεράσται.
. . . . . *in floricomo autem capite Horae*
Bene cornutorum obliquis ſub circulis draconum
Tauro-genitum Bacchum coronarunt ceraſtae.

Haec autem Euripides (*f*), & Demoſthenes (*g*) Aeſchinem deridens confirmant, ſed pluribus explanat & illuſtrat Bonarrotius (*h*). At vero ſi reliquum corporis ornatum in hac ſpectes figura, & alas humeris appoſitas, & plumam inſertam digitis conſideres, profecto Clium Muſarum maximam potius, quam Baſſaridem, aut Baccham eſſe dicas. Clio hiſtoriae parens, & inventrix habita eſt, & apte hic locum obtinere potuit, nempe ad conſcribendas, concelebrandaſque Bacchi laudes. Ac Diodorus quidem (*i*) teſtatur, Muſas peregrinationum comites eſſe datas Baccho, quod Strabo (*k*) confirmat. Itaque ſi Clium eſſe decernimus, Muſis etiam Bacchum comitantibus Baccharum ornatum dari ſolitum fuiſſe dicemus, ut omnia eſſent genio Numinis accommodata. Quae autem tertio loco ſpectanda venit Baccha ὑποκνωμέναις ταῖς γνάθοις *inflatis buccis* tibia canit. Frequenter in Bacchanalibus occurrunt tibicinae, tympaniſtriae, crota-

(*a*) *Icon.* lib. I. cap. 18.
(*b*) *De nupt. Pelei* carm. LXIV. verſ. 258.
(*c*) Lib. IV. cap. 4. pag. 249.
(*d*) Vid. *Dionyſ.* lib. IX. verſ. 129. & 256., lib. XXII. v. 29., lib. XXIV. v. 134., lib. XXV. v. 219., lib. XXVII. v. 241., & lib. XLVIII. verſ. 56.
(*e*) Lib. IX. verſ. 14.
(*f*) Loc. cit.
(*g*) *De corona* pag. 516.
(*h*) *Medaglioni antichi* pag. 450.
(*i*) Loc. cit. pag. 249.
(*k*) *Geograph.* lib. X. pag. 717.

croталiſtriae, pſaltriae, atque aliae huiuſmodi feminae Baccho fauſta omnia accinentes, & ut eſt in Catullo (*a*):

Euoe bacchantes, Euoe capita inflectentes;

quod multo magis erat in eius triumpho uſurpandum. Sed genus tibiae potius obſervatu dignum eſt: raro enim occurrit huiuſmodi tibias videre cum foraminibus exſtantibus, atque prominentibus, de quibus nonnulla iamdiu attigit Falconerius (*b*). Videſis quoque Bonarrotium (*c*), Ficoronium (*d*), Blanchinium (*e*), ac Winckelmannium (*f*). Ea foramina Falconerius eſſe putavit parva cornua, vel pinnas, vel palmulas [quo enim potius nomine, quae vulgo *biſcheri*, & *taſti* ab Italis dicuntur, compellem neſcio] quorum ope in muſicis quibuſdam inſtrumentis chordarum vis, & ſonus vel extenuatur, vel acuitur. Nec diſcordat ab hac opinione Winckelmannius, qui recte quidem ex Polluce (*g*) coniecit βόμβυκας foramina ſic exſtantia a Graecis fuiſſe nuncupata; quamquam non a βόμβος *ſonitus*, quod illi placet, ſed fortaſſe ab ipſa foraminum forma ea vox commode derivari poſſit, quaſi vermiculorum, qui bombyces dicuntur, haberent figuram. Ceterum, ut ego ſentio, nec cornibus vel pinnis hic locus eſt, nec huiuſmodi foramina, ad continendum, vel intendendum ſpiritum in huius generis tibiis fuerunt adhibita, ſed omnino ad ſonitus vim augendam erant ſemper aperta, ut concitatius, ac vehementius per late patentes portas ipſe ſpiritus prodiret, & gravis quidem, intenſus, ac pene immanis ederetur ſonus: haec enim tibia non erat, ut verbis Horatii (*h*) utar,

. . . *tenuis ſimplexque, foramine parvo;*

ſed altum clangens, *tubaeque aemula*, eiuſque ſimilis, unde Catullus (*i*) de ea cecinit,

Barbaraque horribili ſtridebat tibia cantu.

Id autem ita eſſe mihi ſuadet laudatus Pollux (*k*) dicens, τὸ δὲ τῶν βομβύκων ἔνθεον καὶ μανικὸν τὸ αὔλημα, πρέπον ὀργίοις, *fanaticus, ac furens ex bombycibus editus ſonus tibiarum orgiis conveniens eſt*: atque hunc eſſe verborum Pollucis ſenſum facile intelligitur; ut iam non ſit dubitandum, male quoſdam doctos viros in hoc textu pro ὀργίοις legiſſe ὀρθίοις, interpretationemque ibi appoſitam omnino eſſe reſpuendam. Itaque tibia *bombycibus*, vel patulis ac prominentibus foraminibus inſtructa, quam Baccha inflat, talis eſt, qualem praeſens occaſio poſtulabat: & idipſum Faunus etiam apud Bartolum (*l*) huiuſmodi tibiarum genus magna ſpiritus vi, & contentione inflans apertius declarat. Quarta demum mulier cymbaliſtria eſt,

Κύμβαλα δινεύουσα περίκροτα δίζυγι χαλκῷ,

Cymbala pulſans late reſonantia duplici aere,

ut eſt apud Nonnum (*m*). Sponius (*n*) varias ſaltatriculas exhibet utraque manu leviter collidentes cymbala, quae recte omnia rotundam, non oblongam, quem-

(*a*) Loc. cit. verſ. 255.
(*b*) *De pyram. C. Ceſtii* pag. 1469. in Theſ. Graev. Tom. IV.
(*c*) Ibid. pag. 368.
(*d*) *Maſchere ſcen.* pag. 169.
(*e*) *De vet. inſtrum. muſicae* pag. 10.
(*f*) *Monum. antichi* pag. 56.
(*g*) Lib. IV. cap. 9. ſegm. 70.
(*h*) *De arte Poet.* verſ. 202.
(*i*) Loc. cit. verſ. 264.
(*k*) Ibid. ſegm. 82.
(*l*) *Adm. Rom. antiq.* Tab. 45.
(*m*) Lib. IX. verſ. 118.
(*n*) *Miſcell. erud. antiq.* pag. 21.

quemadmodum iſta ex errore Calcographi videntur habere, figuram praeferunt. Sed hic Baccha magno impetu ea quatit, ut gravius percuſſa gravius ſonent; bene autem Nonnus (*a*) βαρύβρομα *alte reboantia* dixit; erant enim ex aere, & quo vehementior erat ſupernae in infernam partem appulſus, maior edebatur ſtrepitus: quod eleganter expreſſit Ovidius (*b*):

Aeraque tinnitus aere repulſa dabunt.

Viri in comitatu Bacchi feminis mixti ſunt Corybantes, vel Satyri, quorum ope Bacchus ipſe Indos ſubegit. Qui conſcenſo curru poſt Bacchum ſtat ex Corybantum ducibus unus forſan eſt, comes, & cuſtos Baccho datus a magna matre Rhea, ut ſuperius dictum eſt. Qui hinnulum brachio, manu vero palmitem ſuſtinet, quae Bacchi comitum inſignia eſſe ſolent, dexteramque ex eminenti, quem tenet, loco attollit, acclamationibus victorem Bacchum videtur proſequi, quas ex Demoſthene (*c*) huiuſmodi fuiſſe intelligimus, Ἐυοῖ, Σαβοῖ, Ἐλελεῦ, & alia ſimilia cum additis Bacchi denominationibus variis, quas in Deorum feſtis recenſere ſolemne erat, ut Orphei hymni, & illud Ovidii (*d*) declarant:

Thuraque dant, Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyaeumque,
Ignigenamque, ſatumque iterum, ſolumque Bimatrem.
Additur his Nyſeus, indetonſuſque Thyoneus,
Et cum Lenaeo genialis conſitor uvae,
Nyctheliuſque, Eleleuſque parens, & Iacchus, & Evan:
Et quae praeterea per Graias plurima gentes
Nomina Liber habet.

Tertius inter Bacchum, & Panem poſitus, ac nebridem ex humero ſiniſtro pendentem ſuſtinens, Bacchum triumphantem ſuſpicit ac demiratur, ut eius Numini ſe devotum fateatur, quamquam Panis, cuius inſignia pedum, & fiſtulam gerit, videatur eſſe famulus, & miniſter.

At Pan, qui Bacchi currum deducit, dextra quidem leaenas ſponte ſequentes trahit, ſiniſtra vero pro pedo ferulam geſtat, ut pluribus argumentis in Bacchi ſervitio ſe eſſe demonſtret. Ac ferula quidem eſt in marmore, quae, ut hic minus accurate exprimitur, in manu Panis clava videtur eſſe: curvatur enim inferne, neque in eam, quam oſtentat, rotunditatem aſſurgit, ſed aeque in inferiore, atque in ſuperiore parte turgeſcit, *geniculatis*, ut Plinius ait ferulam deſcribens, *nodata ſcapis*, hoc eſt internodiis, articuliſque paſſim diſtincta, ut clavam ſe videre quicumque cenſere poſſit. Sed de ferula, quae Baccho fuit ſacra, multa alibi dicta ſunt: nunc de Pane agendum eſt. Eum in Indica expeditione adſtitiſſe Baccho, & cum Paniſcis pro eo pugnaſſe teſtatur Nonnus (*e*):

Αἰγείοις δὲ πόδεσσιν ἐμάρνατο μειλίχιος Πὰν.
Caprinis pedibus pugnabat ſuavis Pan.

Quam forti autem coniunctionis vinculo adhaereret Baccho, ac quantum eo inferior nihilo tamen minus haberetur Deus, praeter hoc marmor, in quo eum Baccho famulari cernimus, ipſe Pan declarat inter Satyros, & Bacchas ſal-

(*a*) Lib. xiv. verſ. 402.
(*b*) *Faſtor.* lib. iv. verſ. 156.
(*c*) Loc. cit.
(*d*) *Metamorph.* lib. iv. verſ. 11.
(*e*) Lib. xxix. verſ. 313.

ſaltans apud Bartolum (*a*), & apud Maffeium (*b*) ſimili modo ac forma Bacchum hirco ſubvectum deducens, & manu ferulam praeferens, quam Montfauconius (*c*) clavam eſſe dixit. Ceterum quae de Pane enarrantur, vulgata ſunt; & cum paſtorum ac venatorum Deus, atque univerſae ruſticanae vitae praeſes crederetur, idcirco hoc habitu fingi ſolebat, quem eleganter deſcribit Silius Italicus (*d*). Hinc pedum, & fiſtulam illum ferre videmus, quae paſtorem Deum potiſſimum deſignant: hinc νόμιος *paſtorius*, ἐρημόνομος *in deſertis paſcens*, αἰγίβοτος *caprarius*, αἰγιμελὴς *ovium cuſtos*, κρημνοβάτης, & πετροβάτης *rupes, & ſaxa conſcendens* apud auctores paſſim nominatur. Ac pedum quidem erat paſtorale baculum, recurvum, quo pecudes aguntur, ea de cauſſa *agolum* quondam, Feſto auctore, nuncupatum. Fiſtula vero erat proprium Panis inſtrumentum, in quod Syringam Nympham ab eo adamatam ferunt eſſe converſam; quam fabulam ſcite admodum enarrat Achilles Tatius (*e*). Hinc ipſa fiſtula *Panica* ſaepe a Nonno appellatur (*f*); & idem Pan ὑμνοπόλος, & μουσοπόλος dictus eſt. Cornua alte elata, ut aiunt, in radiorum Solis, & cornuum Lunae ſimilitudinem in fronte gerit, ut vere κερόεις, δικέρως, εὔκραιρος, & ὑψίκερος dici poſſit. Toto ore ſimus eſt, utpote qui cum Faunis, & Satyris facie caprina fingeretur. Aures immanes quidem, non ut aſſolet, arrectas, ſed demiſſas habet, ut ſuum, opinor, in Bacchum obſequium teſtetur: caput enim, humeri, manus, genua, & quodvis membrum demiſſum humilitatem oſtendit, quod potiſſimum in iumentis obſervavit Plinius (*g*). Barbam late protenſam oſtentat, ut eſt apud Nonnum (*h*):

Στήθος ὅλον σκιόεντα φέρων πώγωνα κομήτου,

Totum pectus obumbrantem ferens hirſutam barbam,

vel ut legitur in Silio Italico (*i*), *imoque cadit barba hiſpida mento*. Ad ilia praecingitur nebride, quae multum affabre, & longe ſecus, atque hic exhibetur, exſculpta eſt in marmore. Ad talos uſque totus caprinae formae eſt, ut ſemper occurrit, γράφουσι γὰρ, ait Herodotus (*k*), καὶ γλύφουσι τοῦ Πανὸς τὤγαλμα αἰγοπρόσωπον καὶ τραγοσκελέα, *pingunt, & ſcalpunt Panis ſimulacrum caprina facie, & hircinis cruribus*: quae omnia ad poteſtatem, quam in rebus ruſticis ei tribuebant veteres, ſignificandam conficta ſunt.

Ad pedes Panis eſt ciſta myſtica, quae expreſſius, & diſtinctius micat in marmore: ſed nec de ciſta, nec de angue ex ea prorepente quidquam dicendum modo eſt; ſatis enim alibi.

Poſt tergum vero ipſius Panis lato dorſo elephas aſſurgit, ſupra quem duo captivi inſident. Saepe elephantes in Bacchi pompis, tamquam Indici triumphi indices & teſtes occurrunt. Indi enim, apud quos hae belluae immanes gignuntur, eis potiſſimum uſi ſunt in bello contra Bacchum, unde a Nonno (*l*) vocantur

Ἐλατῆρες ἀμετροβίων ἐλεφάντων

Agitatores immenſe viventium elephantum.

 Ac

(*a*) *Admirand. Rom. antiq.* Tab. XLV.
(*b*) Tom. III. Tab. LII.
(*c*) *Antiq. expliq.* Tom. I. pag. 277.
(*d*) *Punicor.* lib. XIII. verſ. 326.
(*e*) *De amor.* lib. VIII. pag. 475.
(*f*) Lib. XXIX. verſ. 287.
(*g*) Lib. II. cap. 37.
(*h*) Lib. XIV. verſ. 301.
(*i*) Loc. cit. verſ. 333.
(*k*) Lib. II. cap. 46.
(*l*) Lib. XXVII. verſ. 381.

Ac profecto ſexcentis in locis idem Poëta elephantes memorat, & poëtica quadam licentia etiam deſcribit (*a*), ſubditque Bacchum *μετὰ φύλοπιν Ἰνδῶν* *poſt Indos devictos* has belluas egiſſe contra Amazones; pugnabat enim

Ἠλιβάτων λοφίησιν ἐφεδρήσσων ἐλεφάντων

Sublimium dorſis inſidens elephantum.

Hinc elephantes ipſi Baccho dicati fuere, ut nummi & gemmae declarant. At viros, obverſis ſibi invicem tergis, elephantis dorſo impoſitos coniicio eſſe quoſdam Indorum Regulos captivos, ut ſatis eorum forma, & ſtatus demonſtrat. Etenim obvium eſt in veteribus monumentis videre hoc habitu devictos Reges, ſagis, bracciſque indutos, & brachiis retortis, catenatiſque in ſervitii notam traductos; unde illud Horatii (*b*) de pompis triumphalibus:

Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.

Ac vulgares quidem ſunt nummi, in quibus provinciae a Romanis debellatae manibus hoc modo religatis tamquam captivae viſuntur. Et ne de multis marmoribus hoc ipſum captivitatis ſtatum exprimentibus loquar, quae hanc aeternam urbem exornant, ſatis fuerit ſtatuas, quae in atrio Capitolii dextrorſum ſunt, memorare. Hoc ipſum autem, quod dicimus, quodque ab artifice hic exſculptum cernimus, iam antea verſibus expreſſerat Nonnus (*c*) dicens:

. . . . φιλεύιος ἑσμὸς ἀλήτης
Χεῖρας ὀπισθοτόνους ἀλύτῳ σφηκώσατο δεσμῷ,
Καὶ λοφιῆς ἐπέβησεν ἀκαμπτοπόδων ἐλεφάντων.

. . . . *Evium amans turba errans*
Indorum manus retro extenſas inſolubili conſtrinxit vinculo,
Et dorſo impoſuit inflexos pedes habentium elephantum.

Eſſe autem Indicos Reges, qui traducuntur captivi, mihi ſuadent eorum criſpati, & diademate cincti capilli: hunc enim fuiſſe Regum barbarorum comptum, & ornatum evincunt Arſacidarum numiſmata a Vaillantio edita.

Sub elephante reſupinum eſt quoddam animal, de cuius figura, & ſignificatione mihi facile non fuiſſet ſtatim divinare, niſi ex marmore perſpicuum factum eſſet, lyncem vel pantheram eſſe, quae exſultim ludens anteriores pedes attollit, ut demiſſam elephantis propoſcidem arripiat, quaſi elephantem ipſum ſibi ludum faciat: quae omnia nedum Bacchi, ſed rerum etiam ad Bacchum pertinentium praeſtantiam manifeſtant. At ſupra elephantem duo procera ſe exerunt colla camelorum, quae ſane manu recenti una cum adverſa arbore refecta ſunt: ſed recte tamen camelis hic locus eſt datus, quia magno uſui fuerunt in bello tum Indis, cum Arabibus; at, ſi fides Alexandro ab Alexandro (*d*), hoc erat inter Indos, Arabeſque diſcriminis, quod Bactriani feminis camelis tantum in expeditionibus utebantur. Verum ſi in hiſce camelis non Indiam, ſed Arabiam ſolum, quae horum animalium ſemper fuit feraciſſima, quis velit deſignari, facile concedam ex eo, quod Euripide (*e*), & Nonno teſtibus (*f*); una ſimul cum Indis Arabes, Aſiamque univerſam Bacchus ſubegerit. Quemadmodum autem elephantes non ad belli, ſed ad victoriae argumentum hic exſcalpti ſunt [nam captivos ferunt dorſo] ita etiam came-

(*a*) Lib. xxvi. verſ. 297.
(*b*) *Epiſt.* lib. II. epiſt. I. verſ. 191.
(*c*) Lib. xv. verſ. 146.
(*d*) *Gen. dier.* lib. vi. cap. 22.
(*e*) *Bacch.* verſ. 16.
(*f*) Lib. xxi.

camelos ad praedam, opeſque, & ſarcinas ex multis devictis regionibus collectas alio comportandas eſſe adhibitos non dubito. Quippe in more fuit apud omnes gentes, ne Romanis quidem exceptis, ut exercitus impedimenta camelorum dorſo congeſta transferrentur: unde inter militares dignitates fuit officium *camelarii*, qui graece καμηλιλάτης.

Hactenus, quae ad Indicam expeditionem ſpectant, marmor exhibuit. Quae ſequuntur ad Bacchi, ut opinor, potentiam, maieſtatemque amplificandam ex aliis eius praeclare geſtis petita ſunt argumenta. Senex, qui baculo innixus lento paſſu ut caecus graditur, & erecto vultu aures ad aucupandum vocum ſonum intendit, Tireſias eſt, Thebanus vates, cui Iuppiter, teſte Ovidio (*a*),

. . . . pro lumine adempto
Scire futura dedit, poenamque levavit honore.

Hic Pentheo Thebarum Regi, qui Bacchi orgiis adverſabatur, luctum, calamitateſque extremas praedixit, ut apud eumdem Poëtam legitur (*b*): & latius enarrant Euripides (*c*), & Nonnus (*d*). Itaque recte hic appoſitus eſt Tireſias, tamquam Bacchi famulus & miniſter, qui auctor fuit, ut Thebis eius ſacra reciperentur, & Cadmo contra Pentheum filium comes factus orgia celebrari curavit, ut tradit Nonnus (*e*). Et ſane ut eſſe Tireſiam credam, praeter pallium, & baculum, & propexam barbam, ut virum longaevum decet, qualis Tireſias fuit, praeſertim facit ad pedes eiuſdem vatis in interiori huius marmoris pariete apri excalptum caput, quod in Tabula non apparet: conſtat enim Agavem furore correptam filium Pentheum dilaceraſſe, qui Euripide, & Nonno auctoribus, leo, &, Ovidio teſte, ei viſus eſt aper eſſe. Dignus autem erat Tireſias poſt Corybantes, Bacchas, & Aegipanes, qui Semidei habebantur, hoc loco venire, cui ut infero certe Numini ſacra peculiariter facta eſſe colligitur ex Homero (*f*), eumque cum filia Manto ex hominibus duos divos factos innuit ex Euripide Clemens Alexandrinus (*g*).

Tireſiam praecedit Hercules dextra craterem inclinatum tenens, & ſiniſtram nebride involutam in virginem, quae contra eſt, extendens. Faunus, nebride admodum eleganter indutus femora, Herculem quaſi vino titubantem videtur ſuſtinere. Hinc inde gemini ſunt pueri, quorum alter clavam Herculis geſtat dorſo, alter pomum a virgine oblatum accipit: quae omnia opinor ad vim Bacchi ſupra Herculis vires extollendam videntur appoſita. Nam primum Faunus Herculem tenens ac fulciens a Baccho eum eſſe domitum ac ſuperatum innuit. Hercules vero pro clava craterem ferens manu in Bacchi poteſtatem ceſſiſſe, eoque ſe minorem vi ac potentia fatetur eſſe. Pueri utrimque ſtantes quaſi ludicrum ac ioculare eſſe totum id, quod de magnis Herculis laboribus ferebatur, & forma, & geſtu deſignant. Denique virgo, quam Heſperidum unam eſſe cenſeo, puero pomum praebens hoc ipſum confirmat, perinde ac ſi dicat, nullius negotii rem eſſe Baccho, quae magno conſtitit Herculi. Itaque ſi placet, quemadmodum in multis vetuſtis monumentis Hercules ſuccumbit Amori, ita hoc in marmore cedit Baccho. Ac ſaepe quidem

(*a*) *Metamorph.* lib. III. verſ. 337.
(*b*) Verſ. 522.
(*c*) *Bacch.* verſ. 338.
(*d*) Lib. XLIV. & XLV.
(*e*) Lib. XLV. verſ. 61.
(*f*) *Odyſſ.* lib. XX. & XXX.
(*g*) *Strom.* lib. I. pag. 439. edit. Potteri.

dem Hercules in gemmis occurrit cum cratere, quem ei donaſſe Bacchum ex India reducem, cum is Tyrum inviſeret, praeter ceteros ſcribit Nonnus (*a*):

Καὶ πόρεν Ἡρακλῆι, τὸν οὐρανίη κάμε τέχνη
Χρυσοφαῆ κρητῆρα σελασφόρον.
Et dedit Herculi caeleſti elaboratum arte
Aureum craterem fulgidiſſimum.

Propterea autem Hercules ingenti ſed vacuo cratere munitus hic eſſe videtur, ut ad magnos quoſcumque calices penitus exhauriendos factus dignoſcatur. Quo argumento confirmari poſſet id, quod Athenaeus (*b*) prodit, παρῆλθεν εἰς τοὺς ἀνθρώπους τὸ τῆς λοιβαίας κύλικος μηδὲν ὑπολείπεσθαι, *inolevit apud homines eius exemplo conſuetudo, ut libantes Herculi nihil in calice relinquerent.* Sed eum ultra quam par eſt vino indulſiſſe, & ebrii ſtatu non ſemel a veteribus fuiſſe repraeſentatum conſtat ex eo epigrammate (*c*), cui titulus εἰς Ἡρακλῆα μεθύοντα *in Herculem ebrium*:

Οὗτος ὁ πανδαμάτωρ, ὁ παρ' ἀνδράσι δωδεκάεθλος
Μελπόμενος, κρατερῆς εἵνεκεν ἠνορέης,
Οἰνοβαρὴς μετὰ δαῖτα μεθύσφαλες ἴχνος ἑλίσσει,
Νικηθεὶς ἁπαλῷ λυσιμελεῖ Βρομίῳ.
Omnia qui domuit, qui bis certamina ſena
Vicit, qui ob vires clarus in orbe ſonat;
Ebrius en titubans dubius veſtigia ponit,
Perfuſus dulci eſt ille caput Bromio.

Poſtremo in ſuperiore marmoris parte Bacchus chlamyde indutus, vel ut apud Philoſtratum (*d*) ex pictura exprimitur, ἁλουργίδι στείλας ἑαυτὸν, καὶ τὴν κεφαλὴν ῥόδοις ἀνθίσας ἔρχεται παρὰ Ἀριάδνην, *purpura indutus, caputque roſis ornatus ad Ariadnem accedit*, eiuſque dexterae dexteram coniungens ſibi ſponſam declarat. Non enim in littore, ubi Ariadne a Theſeo relicta fuit, ſed in proximo monte, quem marmor indicat, Bacchi nuptiae celebratae ſunt, quippe, Diodoro Siculo teſte (*e*), cum timore perculſus ex inſula Naxo diſceſſiſſet Theſeus, Διόνυσος νυκτὸς ἀπήγαγε τὴν Ἀριάδνην εἰς τὸ ὄρος καλούμενον Δρίος, *noctu Bacchus Ariadnem in montem, quem Drium vocant, abduxit*: quod etiam caprea vel hinnulus in Ariadnae gremium leviter aſſultans manifeſtat. Sed de hiſce nuptiis plura apud Nonnum (*f*). Senex in ipſo monte in fluvii morem procumbens Naxi Genius eſt, loci fertilitatem cornucopiae ſymbolo demonſtrans: quamquam nulla alia re melius, quam vino celebris fuerit Naxus, cuius tamen ea fuit ſuavitas, ut id ſolum poſſet ex Diodoro (*g*) benevolentiam Bacchi erga inſulam manifeſtis indiciis teſtatam facere, μηνυὸν τὴν τοῦ θεοῦ πρὸς τὴν νῆσον οἰκειότητα.

In regio Florentino cimeliarchio inſignis adſervatur Sarcophagus, huic marmori quam ſimillimus, in quo Bacchum ore & habitu muliebri conſpicuum trahunt tigres, utrimque autem comitantur, & ſequuntur Centauri, Baſſarides, captivi.

(*a*) Lib. XL. verſ. 581.
(*b*) *Deipnoſ.* lib. XII. pag. 512.
(*c*) *Antholog.* lib. IV. cap. 8. pag. 342. edit. Megiſeri.
(*d*) *Icon.* lib. I. cap. 15.
(*e*) Lib. V. cap. 51. pag. 372.
(*f*) Lib. XLI. verſ. 430.
(*g*) Loc. cit. pag. 373.

EXPLI-



EXPLICATIO

TAB. LXIV. LXV. LXVI. ET LXVII.

IN praeclaris veterum monumentis, iuſſu Benedicti XIV. P. M. in Muſeum Capitolinum inlatis, ara quadrangula pario in marmore inſculpta, via Appia extra portam Capenam non longe ab aede S. Sebaſtiani anno 1745. reperta numeratur, quam aeneis Tabulis LXIV. LXV. LXVI. & LXVII. inciſam exhibemus. Primo in latere quernea corona taenia eleganter colligata circumornat inſcriptionem huiuſmodi :

I. O. M. SOLI . SARAPIDI
SCIPIO . ORFITVS . V. C
AVGVR
VOTI . COMPOS . REDDITVS

In aede Serapidis, quae erat in prima Regione portae Capenae, ut Sextus Rufus (*a*), & Publius Victor (*b*) ſcribunt, hanc aram collocatam fuiſſe, cum ex loco, ubi reperta, tum ex Numine, cui dicata fuit, colligitur. Enimvero haud conſtat, an intra urbis muros, an extra portam Capenam ſitus illius aedis fuerit; veri tamen eſſe ſimile videtur, aliquantum ab urbe diſtaſſe, quod nobiles viri, atque mulieres eo lectica adire, Catullo teſte (*c*), conſuerint. Varri enim amica apud hunc Poëtam :

Quaeſo, inquit mihi, mi Catulle, paulum
Iſtos : commodo nam volo ad Serapim
Deferri.

Prae-

(*a*) *De Region. urb.* Reg. I. in Theſ. Graevii Tom. III. pag. 27.

(*b*) Ibid. pag. 37.

(*c*) Carm. x. verſ. 25.

Praeterea idem Sextus Rufus (*a*) aedificia primae Regionis recenſens, Serapidis aedem prope abfuiſſe a S. Sebaſtiani indicat. Nam & Serapidis, & Iſidis aedem, aramque apud Almonem rivulum collocat, qui rivulus initium capit a via Latina, eaſque Regiones circumfluit; interfluit autem Aegeriam vallem, quae nunc *la Caſarella* appellatur, vergit in Appiam viam, propeque ab Oſtienſi, quam attingit, in Tiberim influit. Quo quidem in rivulo Almone Cybeli dicato, non longe ab eadem S. Sebaſtiani aede, Cybeles ſimulacrum quoque anno VI. kalendas (*b*), non autem ipſis kalendis aprilis, ut Roſino excidit (*c*), ablui a ſacerdotibus conſueviſſe, qui ignoret, eſſe arbitror neminem (*d*). Itaque cum certi ſimus extra Capenam Iſidis aedem ſitam fuiſſe, ibidem iure merito fuiſſe etiam Serapidis aedem coniicimus, alteram non longe ab altera [nam Rufus, & Victor utramque ſimul nominant] & quidem idipſum comprobat eodem in loco, quo reperta noſtra ara fuit, repertum quoque fuiſſe aliud monumentum marmoreum a L. Cornelio Scipione Orfito Cybeli conſecratum, exornatumque infabre ſcalptis in eo inſtrumentis, quibus ſacerdotes ad ſacrificia eidem Cybeli facienda utebantur, cum hac inſcriptione (*e*):

M. D. M. ET ATTIDI

L. CORNELIVS SCIPIO

ORFITVS V. C

AVGVR EX VOTO

TAVROBOLIO SIVE

CRIOBOLIO FACTO

Is etiam Orfitus Augur dicitur; quare ille idem fortaſſe eſt, qui aram Serapidi dedicavit. Nec obſtat, quod etſi Almo, agrique Almoni via Appia adiacentes in Cybeles tutela eſſent, nullus tamen veterum Scriptorum prodit fuiſſe etiam ibidem aliquam aedem Cybeles nomini dedicatam. Nam iudicare merito poſſumus, iſtiuſmodi monumentum una cum noſtra ara collocatum in aede Serapidis ex voto fuiſſe, aut in aede Iſidis: quod Iſis, ac Cybele unum atque idem Numen crederetur.

At ego haereo ſane, an uni tantum Numini, quod variis vocabulis exprimatur, noſtram aram conſecratam dicam, an Iovi, & Soli, quos unico Serapidis vocabulo Aegyptii colebant. Satis enim conſtat, Romanos, victoria aliqua parta, Iovi Capitolino, quem proprie Optimum Maximum nominabant, facere ſacrificia, ponereque monumenta conſueviſſe. Verum cum noſtra ara ad victoriam a Romanis ex Aegyptiis, ut videbimus, reportatam pertineat; veri eſt ſimile, Scipionem Orfitum pro felici eventu belli, voto Serapidi tutelari Aegypti nuncu-

(*a*) Loc. cit.
(*b*) Vid. Ammian. Marcellin. lib. XXIII., Vibium Sequeſtr. *de fluminibus*.
(*c*) *Antiq. Roman.* lib. IV. cap. 7.
(*d*) Ovid. *Faſt.* lib. IV. verſ. 337., Lucan. *Pharſal.* lib. I. verſ. 600. &c.
(*e*) Vid. Ficoron. *Monumenta vetera &c.* pag. 139.

nuncupato, tandem, ubi fuit voti compos factus, iſtiuſmodi monumentum & Serapidi, & Iovi victoriarum auctori dedicaſſe. Contra vero intelligo haec nomina: I. O. M. SOLI. . SARAPIDI in monumento inſculpta pertinere ad unum idemque Numen poſſe; propterea quod Iuppiter, Sol, ac Serapis nomine tantum inter ſe diſcrepent, ut copioſe Macrobius (*a*) oſtendit: cognoſcique ex alia veteri inſcriptione poteſt Serapidi poſita pro ſalute Septimii Severi, & Caracallae, quae habet eodem modo (*b*):

I. O. M. SARAPIDI

PRO SALVTE IMP. L. SEPT. SEVERI &C.

cuius plane ſimilis eſt haec Graeca apud Georgium Fabricium (*c*) inſcriptio:

ΔΙΙ . ΗΛΙΩι

ΜΕΓΑΛΩι

ΣΑΡΑΠΙΔΙ

ΚΑΙ . ΤΟΙΣ . CΥΝΝΑ

ΟΙC . ΘΕΟΙC

Atque haec quidem explicatio aptior religioni videtur Romanorum. Hi enim cum obſidione premere aliquod oppidum conſtituiſſent, certis quibuſdam precationibus illius obteſtari tutelares Deos, iiſque cultum, templa, ſolemnia vovere ſolebant; ut deſertis hoſtibus eſſe ſibi praeſidio vellent. De huiuſmodi caeremonia, quae *Deorum tutelarium evocatio* proprio vocabulo ab iiſdem dicta fuit, toto capite decimonono libri tertii Saturnaliorum Macrobius agit: providentiſſimeque Romanos ait eas precationes maxima diligentia occuluiſſe, curaſſeque, ne quiſquam noſceret Romanorum tutelarem Deum, aut Deam, ac ne priſcum quidem Urbis nomen, veritos ne hoſtes pari ratione pugnarent. Vetuſtiſſima erat earumdem precationum formula, quam in libro cuiuſdam Furii Macrobius teſtatur expreſſam fuiſſe his verbis: SI DEVS, SI DEA EST, CUI POPULUS, CIVITASQUE KARTHAGINIENSIS EST IN TUTELA, TEQUE MAXIME ILLE, QUI URBIS HUIUS POPOLIQUE TUTELAM RECEPISTI, PRECOR, VENERORQUE, VENIAMQUE A VOBIS PETO, UT VOS POPOLUM, CIVITATEMQUE KARTHAGINIENSEM DESERATIS, LOCA, TEMPLA, SACRA, URBEMQUE EORUM RELINQUATIS, ABSQUE HIS ABEATIS, EIQUE, POPOLO, CIVITATIQUE METUM, FORMIDINEM, OBLIVIONEM INIICIATIS, PRODITIQUE ROMAM AD ME, MEOSQUE VENIATIS, NOSTRAQUE VOBIS LOCA, TEMPLA, SACRA, URBS ACCEPTIOR, PROBATIORQUE SIT, MIHIQUE, POPOLOQUE ROMANO, MILITIBUSQUE MEIS PRAEPOSITI SITIS, UT SCIAMUS, INTELLIGAMUSQUE, SI ITA FECERITIS, VOVEO VOBIS TEMPLA, LUDOSQUE FACTURUM. Qua religione Caeſarem Auguſtum obſtrictum fuiſſe cenſeo, ubi victis Aegy-

(*a*) *Saturnal.* lib. I. cap. 23.
(*b*) Lipſ. *Auctar. vet. Inſcription.* pag. 147. num. 21., Panelius *de Ciſtophor.* pag. 35.
(*c*) *Deſcriptio urb. Romae* cap. 9.

Aegyptiis monumentum Soli dedicavit in Campo Martio cum hac inſcriptione:

IMPERATOR
CAESAR DIVI F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS IMP
XII. COS. XI. TRIB. POT
XIV. AEGYPTO IN POTESTATEM
POPVLI
ROMANI REDACTA
SOLI DONVM DEDIT

Iam vero Scipio Orfitus ob generis nobilitatem *vir clariſſimus* appellatur. Iam inde enim ab anno Chriſtianorum aerae 51. Sergius Cornelius Orfitus (*a*) Conſulatum geſſit cum Claudio Caeſare Conſule quintum. *Ti. Claudio*, inquit Tacitus (*b*), *quintum*, *Ser. Cornelio Orfito Coſs. virilis toga Neroni maturata*, *quo capeſſendae Reip. habilis videretur*. Multi deinde alii Orfitorum genere prognati illuſtres variis honorum, atque dignitatum gradibus, imprimiſque Conſulatu (*c*), Praefecturaque Urbis (*d*) poſterioribus Romani Imperii temporibus fuerunt. Eos omnes Orfitos, qui in quibuſque inſcriptionibus, ac legibus, aut a quibuſque Scriptoribus memorantur, ad ſtirpem Corneliam pertinuiſſe, propdereaquod unuſquiſque Cornelii Scipionis praenomine utatur, Onuphrius Panvinius exiſtimavit (*e*). Contra vero ſenſit Cardinalis Noriſius (*f*), cui aſſentior; Orfiti enim non ſolum Cornelii, ſed etiam Vetii (*g*), Gavii (*h*), Salvidieni (*i*), Furiique nominantur. Anno Chr. 270. cum Aureliano Imperatore Conſulatum geſſit Furius Orfitus, ut in Faſtis legitur. Itaque propter multitudinem Orfitorum difficile eſt iudicare quis nam Orfitus Serapidi aram, de qua agimus, dedicavit. At vero conſideranti mihi ſculptas in aliis arae lateribus imagines cognoſci certo poſſe videtur, fuiſſe Scipionem illum Orfitum, qui Antonino Pio Imp. an Chr. 149. cum Q. Nonio Priſco (*k*) Conſul fuit; de quo etiam loqui Iulium Capitolinum (*l*) puto, ubi de Antonino Pio haec ſcribit: *ſucceſſorem viventi bono iudici nulli dedit*, *niſi Orfito Praefecto Urbi*, *ſed petenti*. Praeterea non alium Orfitum a noſtro fuiſſe illum Scipionem Proconſulem Charthaginienſem Wovverius (*m*) arbitratur, ad quem ſermo-

(*a*) Vid. Reineſ. claſ.II. num.77. pag.293., Gruter. pag.CCC. n.1. pag.MLXV. n.11., Fabret. *Inſcript.* cap.VI. n.22. pag 472., Blanchin. *Demonſtrat. hiſt. eccl.* pag. 128.
(*b*) *Annal.* lib.XII. p.183. edit. Pariſien. 1608.
(*c*) Vid. Gruter. pag.MLXXXIII. n.7. p.MXXXII. n.6., DCCLI. n.3., CXXVI. n.2., CCCCXIX. n.5., MXIV. n.1., & MLXXII. num.3., Spon. *Miſcellan.* pag.172., Lamprid. in Commodo cap.4. & 8., Reineſ. pag.443., Malvaſia pag.253. &c.
(*d*) Gruter. p.CCCII. n.2., & CCCCXXXVIII. n.1.
(*e*) *Faſt. Conſ.* ad an. Urb. 918.
(*f*) *Epiſt. Conſ.* ad an. Urb. 902., & 932.
(*g*) Gruter. pag.CCCII. n.2.
(*h*) Id. pag. MXXXII. n.2.
(*i*) Sveton. in vita Neron. cap.37., & Domitian. cap.10.
(*k*) Gruter. pag.XXXII. num.9., XLVIII. n.1., & CCCXI. n.4., Spon. *Miſcellan.* p.85., Boiſſard. Par. V. Tab. CIII., Fabret. *Inſcript.* cap.VI. n.23. pag.473., & *de colum. Traian.* pag.248.
(*l*) In vita Antonini, inter Scriptor. hiſtor. Aug. pag.20. edit. in fol.
(*m*) In princip. vit. Apuleii.

ſermonem quemdam ſuum Apuleius miſit (*a*). Quod ſi ita ſit, eidem tribuenda inſcriptio videtur Arcus triumphalis a Scipione Orfito Procoſ. poſiti Tripoli in Africa (*b*) Imperatoribus M. Aurelio, & L. Vero an. Chr. 164., ut intelligitur ex eo quod illi Armeniaci appellantur. Sed hunc Orfitum perperam cum alio Wovverius (*c*) confundit, quem Iulius Capitolinus (*d*) varios honorum gradus M. Aurelio Imp. fuiſſe aſſequutum ſcribit. Veri ſimilius eſt, hoc aliud Iulii Capitolini teſtimonium ad Gavium illum Orfitum ſpectare, qui M. Aurelio Imp. an. Chr. 165. Conſul fuit cum Arrio Pudente, ut in inſcriptionibus (*e*), inque Faſtis legitur (*f*).

Porro noſter Orfitus Augur erat, ut ex inſcriptione patet; & eo fungens munere felicem belli exitum fortaſſe praenunciavit, & idcirco victoria parta Serapidi ex voto monumentum poſuit. Hanc autem victoriam, ut ex imaginibus in eadem inſculptis colligi poſſe videtur, illam fuiſſe arbitror, quam de Aegyptiis, qui a Romanis defecerant (*g*), Antoninus Pius reportavit.

Itaque in ſecundo latere Tab. LXV. repraeſentatur ſacrificium euchariſticum, quod fieri habendarum gratiarum cauſſa, ubi voti compos quiſquam reddebatur, ſolebat, proque parta victoria factum ἐπινίκιον peculiari vocabulo appellabatur. Qua de re perſpicua ſunt veterum Graecorum, atque Latinorum Scriptorum teſtimonia. Iuppiter ſe eſſe Amphitruonem ex Teleboico bello victorem apud Plautum (*h*) fingens Alcmenam ſic alloquitur:

Iube vero vaſa pura adornari mihi,
Ut quae apud legionem vota vovi, ſi domum
Rediſſem ſalvus, ea ego exſolvam omnia (*i*).

Videto nunc taurum hoc in latere ſapienter ab artifice inſculptum. Immolari enim pro partis victoriis taurus albus Iovi Opt. Max., ſeu Capitolino, ſeu Tarpeio ſolebat, ut animadverſum a Servio fuit (*k*): *Triumphantes*, ait is auctor, *de albis tauris ſacrificabant*. Hi tauri albi, quibus Romani in huius generis ſacrificiis utebantur, a Mevania Umbrorum oppido ad Clitumnum fluvium, cuius aquis illos albeſcere creditum eſt, afferebantur. Quare Virgilius ſcripſit (*l*):

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, ſaepe tuo perfuſi flumine ſacro
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos;

& Claudianus de Honorii ſexto Conſulatu (*m*):

Quin, & Clitumni ſacras victoribus undas,
Candida quae Latiis praebent armenta triumphis,
Viſere cura fuit;

& alibi (*n*) diſtinctius:

Non tales, Clitumne, lavas in gurgite tauros
Tarpeio referunt, quos pia vota Iovi.

(*a*) *Florid.* n. 17. pag. 807. edit. ad uſ. Delph.
(*b*) Spon. *Miſcellan.* pag. 269.
(*c*) Loc. cit.
(*d*) In vita M. Aurelii circa fin.
(*e*) Vid. Gruter. p. MLII. n. 6., & p. DCCLI. n. 3.
(*f*) Vid. Stampa *Continuat. Faſt.* inter Oper. Sigonii Tom. I. pag. 702.
(*g*) Vid. Iul. Capitolin. in vita Antonini in edit. ſup. cit. pag. 10.
(*h*) *Amphitr.* Act. III. ſc. 2. verſ. 65.
(*i*) Vid. Dionyſ. Halicarn. *Antiq. Rom.* lib. III. cap. 21. pag. 152. &c., & lib. VIII. cap. 67. a pag. 514. ad 535., cap. 17. p. 472. ad 492. &c.
(*k*) Ad verſ. 146. *Georg.* Virgil.
(*l*) Lib. II. verſ. 146.
(*m*) Verſ. 506. carm. 28.
(*n*) Epigram. IV. verſ. 4.

Victimarius taurum retinet, atque ſacrificulus extenta dextera e patera vinum ſuper tauri frontem fundit : quo ſane modo explorat, an apta ſit ea victima ad ſacrificium, ut Servius in hos Virgilii verſus (*a*) :

Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccae media inter cornua fundit,

adnotavit ſcribens : *non eſt ſacrificium, ſed hoſtiae exploratio, utrum apta ſit*; inque alios (*b*) :

Quatuor hic primum nigrantes terga iuvencos
Conſtituit, frontique invergit vina ſacerdos.

inquiens : *Haec autem pertinent ad victimarum explorationem, ut ſi non ſtupuerint, aptae probentur*. Quo de more Ovidius (*c*) :

Admoti quoties templis, dum vota ſacerdos
Concipit, & fundit purum inter cornua vinum;

& Iuvenalis (*d*) :

Quippe ferox vitulus templis maturus, & aris,
Spargenduſque mero.

Animadvertendum tamen eſt, iſtiuſmodi explorationem, ne dum vino, ſed etiam farre aſſo, ac ſale fieri conſueviſſe, quam rerum commixtionem *molam ſalſam* Latini, Graeci autem οὐλὰς, & οὐλόχυτα appellabant. De eadem en Senecae Tragici verſum (*e*) :

Et ſparge ſalſa cornua taurorum mola;

cui Ovidius conſonat (*f*) :

Imponique ſuae videt inter cornua fronti,
Quas coluit, fruges.

Neque ſilentio praetereundum eſt, eam caeremoniam inſpergendi victimis mactandis molam ſalſam proprio vocabulo *immolare* dictam fuiſſe; etſi hoc verbo minus appoſite ipſum etiam ſacrificium quandoque ſignificabatur. Quamobrem etymologiarum acutiſſimus inveſtigator Varro (*g*) ſcribit, victimas dici immolatas, ubi mola ſalſa tanguntur. *Mactare verbum eſt ſacrorum* κατ' εὐφημισμὸν *dictum, quaſi magis augere, aut adolere. Unde & magmentum, quaſi maius augmentum : nam hoſtiae tanguntur mola ſalſa, & tum immolatae dicuntur, cum vero ictae ſunt, & aliquid ex illis in aram datum eſt, mactatae dicuntur per laudationem, itemque boni ominis ſignificationem : & cum illis mola ſalſa imponitur, dicitur : MACTE ESTO*. Idipſum Feſtus, ac Servius tradunt, quorum ille (*h*), *immolare*, ait, *eſt mola, ideſt farre molito, & ſale hoſtiam perſperſam ſacrare*. Servius (*i*) vero ſic habet : *Sane immolari dicuntur hoſtiae non cum caeduntur, ſed cum accipiunt molam ſalſam. Cato in Originibus ait, boves immolatos, priuſquam caederentur, profugiſſe in Siciliam.*

Sacrificulus veſte caput tegit duabus praeſertim de cauſſis, ut Plutarchus (*k*) prodit, primum cultus, atque venerationis erga Deos, deinde ne

(*a*) *Aeneid.* lib. IV. verſ. 60.
(*b*) *Aeneid.* lib. VI. verſ. 243.
(*c*) *Metamorph.* lib. VII. verſ. 593.
(*d*) Satyr. 12. verſ. 7.
(*e*) *Oedip.* act. II. ſc. 2. verſ. 335.
(*f*) *Metamorph.* lib. XV. verſ. 133.
(*g*) In fragm. pag. 63.
(*h*) *De verborum ſignific.* lib. IX. v. *Immolare*.
(*i*) Ad verſ. 541. lib. X. *Aeneid.*
(*k*) *Quaeſt. Rom.* Tom. II. Oper. pag. 266.

ne tempore ſacrificii alio diſtrahatur, malis fortaſſe ominibus illorum, qui circumſtant aram. Colligi ex his Virgilii verſibus idipſum poteſt (*a*):

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.

Demum neque malleum, neque ſecurim, neque aliud quodcumque inſtrumentum, quo victima iuguletur, aut percutiatur, Victimarius habet; propterea quod hoc in latere caeremonia praevertens ſacrificium, non autem ipſum ſacrificium repraeſentatur. Quamobrem neque ara, neque ullum vas, neque utenſilia ulla ad rem divinam faciendam neceſſaria in eodem inſculpta fuerunt. Sed vitta, ſeu faſcia tauri corpus cingitur; qua ornari victimas mactandas conſueviſſe, ex antiquis monumentis conſtat.

Tertio in latere Tab. LXVI. conſideranda occurrunt altis moenibus, pinniſque munitum oppidum, exque pinnis dependens ſertum ex lauri, ut videtur, foliis contextum: in oppidi porta mulier coronata ſedens, extentoque panniculo contentos omnis generis fructus oſtentans: mulieris lateri puer aſſidens: tauro currente vectus triumphans Imperator, lauro coronatus, ac thorace indutus, dextera manu frumenti ſpicas, ſiniſtra cornucopiae tenens. At temporum iniquitate, aut hominum incuria, quibus potius quam tempori tribuenda interdum eſt everſio veterum monumentorum, factum fuit, ut, confracto vultu Imperatoris, cognoſci quiſnam ille ſit, non poſſit. Nam vultus refectus a ſculptore, atque expreſſus deinde a noſtro delineatore fuit, ut ipſis libuit. Convertere igitur animum oportet ad ſymbola, quibus hae imagines exornantur; & hinc ſtatuo, mulierem ſedentem repraeſentare aut Aegyptum, aut aliquam Aegypti urbem: Imperatorem vero illum eſſe Antoninum Pium, qui Aegyptum in provinciam Populi Romani denuo redegit. Ac in nummo quidem Aegyptio Antonini Pii ſedens mulier cum fructibus omnis generis, ut hoc in latere, conſpicitur, cum inſcriptione ΕΥΘΗΝΙΑ, ac L. H.; quam mulierem Aegyptum repraeſentare Morellus (*b*), qui primus omnium huiuſmodi nummum, in Muſeo Regis Chriſtianiſſimi ſervatum, vulgavit, atque Spanhemius (*c*) volunt, indicarique in ea frugum maximam copiam, quam ex Aegypto in urbem aſportandam Antoninus curavit. Simili ratione praeclarum numiſma ex aere flavo olim in Muſeo Albano, modo in Vaticano ſervatum, Rodulfinus Venutus (*d*) explicavit; quo in numiſmate inſculptum cernitur Antonini caput cum inſcriptione: ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. COS. IIII., & in poſtica parte mulier capiti impoſitum modium geſtans, atque ad iacentem taurum ſeſe reclinans, ac ſiniſtra manu cornucopiae tenens, quam pueri circumſtant ludentes quatuor, extremamque coronam numiſmati circumpoſitam tenentes. Iſtiuſmodi monumenta iterum incidenda, huiuſque explicationis initio collocanda curavimus; quod ex illis colligi planius, confirmarique noſtra opinio poteſt. Animadvertit autem Venutus (*e*), taurum eſſe Aegypti ſymbolum, quod ibidem Se-

(*a*) *Aeneid.* lib. III. verſ. 405.
(*b*) *Specimen rei numm.* Tom.I. Tab.XI.
(*c*) *De praeſt. & uſu numiſm. antiq.* diſſert.XIII. §.3. Tom. II. pag.537.
(*d*) *Antiq. numiſm. max. mod. ex Muſeo Card. Albani* Tom. I. Tab. XIII. num.2.
(*e*) Loc. cit.

rapis ſub tauri praeſertim forma coleretur; quae coniectura praepoſtere mihi quidem videtur inducta. Ceterum exploratiſſimum eſt, taurum fuiſſe inſigne provinciae Aegypti; ex quo ſatis patet huius arae artificis ſolertia, quod Antoninum Pium, Aegypti imperio potitum, tauro vectum expreſſerit. Quod ſi cum ara noſtra diligentius eadem duo numiſmata conferantur, cognoſci facile etiam poſſe arbitror, quo tempore, quamque ob cauſſam ara ipſa poſita fuerit.

Graeca vox ΕΥΘΗΝΙΑ inſculpta in nummo laudato Regis Chriſtianiſſimi, nil aliud latine ſignificat, ut vult cl. Spanhemius (*a*), niſi *abundantiam*. Aſt ego, cum ob debellatos Aegyptios Antonino Pio fuiſſe dicatum laudatum nummum, atque numiſma Muſei Vaticani, aramque hanc noſtram Capitolinam poſitam putem; aſſerere non dubito, quin ΕΥΘΗΝΙΑ verti debeat latine *res feliciter geſta*, vel ut in aliis Caeſarum nummis legitur: BONAE FORTVNAE. Et ſane annus in nummo indicatus litteris L. H., & quartus Antonini Conſulatus expreſſus in Vaticano numiſmate apte cadunt in annum Chriſti 146. Antoninus enim quartum Conſulatum cepit an. 145., retinuitque quamdiu vixit. Porro hoc ipſo circiter tempore noſtram quoque aram dicatam fuiſſe ex inſcriptione colligitur; quia in ea neque Conſulatus Scipionis Orfiti mentio, quem hic an. 149. geſſit, neque Praefecturae Urbis ab Antonino poſteriori anno (*b*) eidem Scipioni traditae. Neque vero huiuſmodi argumenta reiicienda ſunt, quod in annum Chr. 138., Antonini imperii primum, reportatam ex Aegyptiis victoriam, aliaſque res bellicas praeclare, fortiterque ab eo geſtas Tillemontius (*c*) referat. Is enim cl. auctor nullam in medium profert huius ſententiae ſuae rationem: contra vero allata a nobis tria monumenta, eam victoriam reportatam anno fere 146. fuiſſe oſtendunt. Praeterea poſt Iudaicam victoriam Iulius Capitolinus (*d*) Aegyptiam memorat; quo fit, ut quamvis de anno, in quo Aegyptiaca victoria contigit, explorate non conſtet, conſtat tamen contingere anno 138. non potuiſſe. Nam poſt oblatam Antonino Pio a S. Iuſtino Martyre primam Apologiam pro Chriſtianis, Iudaeos ſub Antonino rebellaſſe ex eadem Apologia in compendium ab Euſebio (*e*) redacta plane compertum eſt; propterea quod Iuſtinus Barcochebae defectionem, bellumque Iudaicum, quo tempore Hadrianus imperii ſummam obtinebat, ibidem memoret, poſteriorem vero Iudaeorum defectionem, Antonino Imperatore, non memoret. Itaque cum ea Apologia Iuſtini oblata Antonino Pio fuerit anno Chr. 139., ut Pagius (*f*) oſtendit, poſt eum annum Iudaeos iterum rebellaſſe exiſtimandum eſt. Cum autem ad Iudaeorum primum, deinde ad Aegyptiorum impetum comprimendum aliquot annorum intervallo opus fuiſſe ſtatui iure poſſe videatur; colligendum eſt, Antoninum Pium poſt aliquot imperii ſui annos, non autem initio, potitum fuiſſe victoria Aegyptiorum. Quae quidem omnia, ſi rite perpendantur, mirifice videntur cadere in annum Chriſti fere 146.

Aegy-

(*a*) Loc. cit.
(*b*) Vid. Corſinium *Series Praefectt. Urb.* ad annum 150.
(*c*) *Hiſtoire des Empereurs* Tom. II. pag. 311.
(*d*) Loc. cit.
(*e*) *Hiſt. Eccl.* lib. IV. cap. 8. Vid. Pag. *Crit. in Annal. Card. Baron.* ad an. Chr. 139. To. I. p. 137.
(*f*) Loc. cit. ad an. 148. Tom. I. pag. 148.

Aegyptum referens mulier in ara noſtra inſculpta copiam frugum in gremio tantum retinet, quam feſtive exhibet Imperatori; mulier vero nummi, de quo agit Spanhemius, non ſolum fruges gremio, ſed etiam dextera manu ſpicas duas, & cornucopiae ſiniſtra. Numiſmatis quoque Vaticani mulier cornucopiae geſtat. Ut libuit cuique artifici mulieris imagine expreſſa fuit Aegypti ubertas; ſed diſtinctius, atque explicatius quidem in noſtra ara. Nam Imperator tauro vehitur indicandae relatae ex Aegyptiis victoriae cauſſa, ſpicaſque frumenti tenet dextera manu duas; quod iam ſit uberrimae eiuſdem provinciae opibus, imperioque potitus. Quamobrem in nummis in honorem Imperatorum, atque Auguſtarum cuſis, ſpicarum frumenti (*a*), non autem aliarum frugum ſymbolum exprimere Aegyptii ſolebant. In laudato nummo prope ſedentem mulierem exſtat Sphinx, ut in aliis nummis Aegyptiis; erat enim illa Aegyptiorum illuſtrius, propriumque inſigne (*b*): in noſtra autem ara prope mulierem puer ſignificandi autumni cauſſa, qua anni tempeſtate maior ſane, quam in ceteris, eſt copia frugum. In Vaticano numiſmate quatuor anni tempeſtates mulierem circumſtant: quare mulieris noſtrae icon propius ad illius ſimilitudinem accedit.

Laureo autem illo ſerto circumpoſito in moenibus oppidi, quo Imperator properat, civitatum Aegyptiarum laetitia fortaſſe indicatur, ex eo concepta, quod Antoninus, ſuperatis rebellibus, quos maior pars Aegyptiorum parere imperio Romanorum aſſueta timebat potius, ut facile eſt iudicare, quam colebat, eam provinciam in priorem ſtatum, poteſtatemque Senatus, Populique Romani reſtituiſſet.

Quartum arae latus Tab. LXVII. exhibet. Exſtat tropaeum in medio, dextrorſum Victoria, ſiniſtrorſum ſedens miles. Tropaea, quae, ut ait Cicero (*c*), *bellicae laudis, victoriaeque omnes gentes inſignia, & monumenta eſſe voluerunt*, in finibus hoſtium erigi ſolebant eo loci, quo hoſtes in fugam ſe converterant. In hac ara arboris trunco aptata armatura videtur, ut inſtitui apud veteres nationes, imprimiſque Graecos tropaea ſolebant; qui, teſte Diodoro Siculo (*d*), ob eam cauſſam ſic illa conficiebant, ne diu monumenta diſſidiorum permanerent. Praeclara ſunt, planeque apta ad illuſtrandum huius arae tropaeum, quae de tropaeo ab Aenea Marti ob victum, profligatumque Mezentium conſtituto Virgilius ſcribit (*e*). Habet autem hoc modo:

Ingentem quercum deciſis undique ramis
Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenzi Ducis exuvias, tibi, magne, tropaeum,
Bellipotens: aptat rotantes ſanguine criſtas,
Telaque trunca viri, & bis ſex thoraca petitum,
Perfoſſumque locis: clypeumque ex aere ſiniſtrae
Subligat, atque enſem collo ſuſpendit eburneum.

Poſte-

(*a*) Spanhem. *de praeſt. &c.* Diſſert. IV. §.11. Tom.I. pag.223., & Diſſert.VI. §.8. pag.365.
(*b*) Ibid. Diſſert.V. §.2. Tom.I. pag.240.
(*c*) *Orat. in L. Piſon.* §.91. Tom.III. Orat. pag.254. edit. ad uſum Delph.
(*d*) *Bibl. hiſt.* lib. XIII. §. 24. Tom.I. Oper. pag. 560.
(*e*) *Aeneid.* lib.XI. verſ. 5.

Poſterioribus temporibus ex firmis etiam proceriſque trabibus, nec non ex lapidibus confici tropaea coeperunt ſimilia veteribus, hoſtiumque exuviis onerabantur, & hae, ut a Servio animadverſum fuit (*a*), ſelectae dicebantur, quod iis caeſis hoſtibus detrahebantur, qui praeſtantioris erant gradus. Victoriae motio, atque geſtus indicat erectum ab ipſa ornatumque tropaeum fuiſſe. Similes Victorias in multis Conſulum, atque Imperatorum nummis expreſſas videmus: quas in nonnullis, ut in noſtro anaglypho, milites circumſtant, aut captivi, aut feminae, victarum urbium, ſeu provinciarum indices.

(*a*) Ad verſ. 542. lib. x. *Aeneid.*



EXPLI-



EXPLICATIO

TAB. LXVIII.

PRaeſtantiſſima duo Homeri poëmata, quae mirum in modum ſapientes, doctique homines ubique gentium numquam non ſuſpexerunt, maximiſque laudibus extulerunt, tanto in pretio habita ſunt a veteribus quoque pictoribus, ſculptoribus, ſtatuariis, ceteriſque opificibus, ut inde ii, tamquam e probatiſſimis fontibus, plerumque haurire ſuorum operum argumenta conſueverint. Videbant enim in Homero omnium capita cum humanarum, tum divinarum rerum: religionem, cultumque Deorum: varios atque diſcrepantes gentium mores: artes ad uſus vitae neceſſarias: atque optimorum Philoſophiae praeceptorum cognitionem. Iam vero etiam praeclari huius anaglyphi ſculptori eamdem fuiſſe ſententiam ex inſcriptione, quam litteris eminentioribus inſculpſit, perſpicuum eſt. Hac enim ille ad contemplandas res ab Homero traditas, & ex eis omnium diſciplinarum ſcientiam percipiendam intuentes anaglyphum hortatur. Diſticho, cuius initium una cum ſiniſtra ſculpturae parte periit, ea inſcriptio contenta ſic habet:

. . . . ΩΡΗΟΝ ΜΑΘΕ ΤΑΞΙΝ ΟΜΗΡΟΥ

ΟΦΡΑ ΔΑΕΙΣ ΠΑΣΗΣ ΜΕΤΡΟΝ ΕΧΗΣ ΣΟΦΙΑΣ

Ordinem diſce Homeri, ut inde inſtructus omnis ſapientiae modum aſſequaris. Plaſtici operis eſt hoc anaglyphum, eiuſque materies admodum ſolida, eademque levis, fortaſſe ad eam commixtionis ſpeciem pertinet, quam Vitruvius (*a*) ſe a Graecis accepiſſe ſcribit. Exemplo, quod aere inciſum in hac Tabula LXVIII. ob oculos poſui, longitudine, ac latitudine aequale illud eſt: craſſitudine vero fere dimidiae Romani pedis unciae. In eo res ab Homero in Iliade verſibus expreſſae ita repraeſentantur, ut ſinguli libri ſingulis faſciis diſtri-

(*a*) Lib. VII. cap. 3.

diſtributae contineantur, totque ſint faſciae, quot libri. Praeterea exſtat in medio figuris expreſſum Ilii excidium, ut a Steſichoro, Arctino, & Leſche Graecis Poëtis fuit monumentis mandatum litterarum. Anaglyphum omne columnae duae dividebant in partes tres; quibus in columnis res anaglyptice in faſciis exculptae minutiſſimis litteris breviter, ſtrictimque deſcribebantur. Attamen ſiniſtra columna, ac pone eam poſitae faſciae perierunt. Quamobrem hanc partem, quae deerat, adiecimus; ut quae anaglyphi proportio eſſet, quiſque cognoſceret: ſolummodo in priori faſcia, quae Iliadis principia, ut eſt maxime veriſimile, continebat, quin ullam figuram, aut inſcriptionem fingere auderemus, titulum hunc appoſuimus totum anaglyphi argumentum complectentem: *Tabula Iliadem Homeri effingens, & Ilii excidium ex Steſichoro, Arctino, & Leſche.*

Iam vero hoc anaglyphum, quod olim ab Archangelo Spagna Romano veterum monumentorum ſtudioſiſſimo maxima diligentia ſervatum fuiſſe ſcimus, cum in Muſeum Roccium inlatum eſſet, heredes Rocciorum Clementi XIII. P. M. dono dederunt, cuius iuſſu in Muſeo Capitolino collocatum fuit. Copioſe autem de eodem ſcripſerunt Raphaël Fabrettus primum (*a*), tum Begerus (*b*), qui illud aere inciſum vulgarunt: ſed is, quem proxime nominavi, figuras maiori forma, quam eſſe in ipſo monumento videmus, ac ſeparatim delineandas curavit. Montfauconius quoque eiuſdem exemplum, ut exſtat apud Fabrettum, in Tomum IV. Operis inſcripti: *Antiquités expliquées* (*c*) retulit, indicatis tantum figurarum nominibus, quae figuris ipſis Graece inſculpta ſubiiciuntur; ſed cum ſimilis anaglyphi fragmentum in Muſeo Veronenſi nunc adſervatum, quo Blanchinius eo tempore potiebatur, eſſe noſtri anaglyphi partem, falſo tamen, exiſtimaſſet, hoc quoque in ſupplemento eiuſdem Tomi IV. (*d*) aere inciſum edidit. Nos iſtiuſmodi Capitolinum anaglyphum, quod in praeſtantioribus, doctiſſimorum virorum iudicio, numeratur, diligenter delineandum, incidendumque curavimus; & in eodem explicando libenter Fabretto imprimis adhaeſimus, ita tamen, ut aliquando a cl. viri ſententia receſſerimus, ſi quid praetermiſſum, aut minus recte, ſeu nimis ieiune declaratum animadvertimus.

Via Appia in agro Principum Columnenſium, qui *Frattocchie* vulgo dicitur, hoc anaglyphum fortuito repertum, defoſſumque e ruderibus veteris ſacrae aedis fuit: quo non longe ab agro, decem fere mille paſſus ab urbe Bovillas fuiſſe ex nonnullis indiciis, veſtigiiſque colligimus. Eodem fere loco iampridem inventum fuerat & Apotheoſis Homeri inſigne marmoreum monumentum, quod Romae in aedibus Columnenſium ſervatur: & ſimulacrum ex marmore pene coloſſeum alis aquilae impoſitum, Claudii Caeſaris apotheoſis ſymbolum, quod nunc in Hiſpania eſt. Quamobrem veri eſt admodum ſimile, eo loci Iuliae gentis ſepulcra, ſacrariumque fuiſſe, quod ſub auſpiciis Tiberii, Germanico Caeſare Conſule ſecundum anno U.C. 770., Tacitus (*e*) dicatum Iuliis apud Bovillas prodit. Ex quo factum fuiſſe videtur, ut Decuriones Coloniarum, atque Municipiorum, qui Nola Romam via Appia Augu-

(*a*) *De columm. Traian.* pag. 315.
(*b*) *Bell.*, *&* *excid. Troian.* Berolini 1669. in 4.
(*c*) Par. II. in fin.
(*d*) Tab. XXXVIII. pag. 84.
(*e*) *Annal.* lib. II.

Auguſti corpus efferebant, illud *Bovillas uſque deportaverint*, tum a *Bovillis equeſter ordo ſuſcepit*, *urbique intulerit*. A Nerone, qui divinos honores Claudio tribuit, eidem apud Bovillas templum exaedificatum fuiſſe, Fabrettus opinatur. Verum cum nulla praeſto ſit huius opinionis ratio, ſic exiſtimo: Tiberium in ſacrario gentis Iuliae Auguſto ſimulacrum dedicaſſe, deinde Neronem in eodem ſimulacrum quoque ſupralaudatum Claudii collocaſſe, hiſtoriiſque Homericis anaglyptice inſculptis abſidem ornaſſe, ut Claudii, qui maiorem in modum Homericis ſeſe verſibus oblectabat, ingenio honorem haberet, ſtudiiſque indulgeret ſuis. Nero enim ipſos calices, quibus in menſa utebatur (*a*), huiuſmodi hiſtoriis caelatos habuit, atque de excidio Troiae, ut Servius (*b*), ac veteres Iuvenalis, Perſiique Scholiaſtae (*c*) tradunt, poëma ſcripſit, cuius fragmentum nonnullos eſſe verſus a vetere Scholiaſta Lucani laudatos, Voſſius (*d*) arbitratur. Si quis tamen cum Ioſepho Blanchinio malit (*e*) ſacrarium gentis Iuliae iis ſculpturis exornatum ab ipſo Tiberio fuiſſe, ut gentem Iuliam Troia Romam demigraſſe oſtenderet, exhiberetque mythologicam hiſtoriam, cuius ille *uſque ad ineptias*, *atque deriſum*, Svetonio teſte (*f*), inveſtigator fuit, non repugno. Virgilius quoque ad oſtentandam gentis Iuliae remotiſſimam antiquitatem hunc in templo in honorem Auguſti dicando ornatum meditatus eſt (*g*):

Stabunt & Parii lapidis ſpirantia ſigna
Aſſaraci proles, *demiſſaeque ab Iove gentis*
Nomina, *Troſque parens*, *& Troiae Cinthius auctor*.

Principio Iliadis Homerus inducit Chryſem Apollinis Sminthei ſacerdotem querentem Agamemnoni de rapta filia Aſtynome: huiuſque redimendae cauſſa (*h*) allata ab eo dona recenſet. Id in Veronenſi fragmento a nobis in fine huius commentarioli veterum monumentorum ſtudioſis obſequendi, ornatuſque gratia edito expreſſum cernimus. Chryſes in eo ſeſe Agamemnoni, ducibuſque Graecis ad pedes proiicit, ſuppliciterque loquens filiam petit, eoſque, ut allata dona excipiant, obteſtatur. Idipſum initio prioris faſciae in noſtro anaglypho inſculptum fuiſſe dicendum eſt. Currus etiam ab equo tractus in eodem fragmento conſpicitur, fortaſſe onuſtus allatis a Chryſe donis, quod haec Graeci duces reiecerint, retrahitur. In noſtro autem anaglypho neque currus, neque equus, ſed bos tantum apparet. Quare cum extrema eius faſciae pars deſit, me latet, an ille bos currum traxerit, an vero ſit victima, quam Chryſes Apollini Smintheo immolavit, ut a Graecis pro tam inſigni ſibi facta iniuria poenas repeteret (*i*). Hoc ſane ſacrificium indicatur num.1. & 2. En ante aram ſacerdos Chryſes, en templum columnis ornatum, atque inſcriptio: ΙΕΡΟΝ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ ΣΜΙΝΘΕΩΣ · ΧΡΙΣΗΣ. *Templum Apollinis Sminthei*. *Chryſes*. Apollo, ne miſeram Chryſis fortunam pateretur inultam, in exercitum Graecorum ſagitta immiſſa *peſtem* ΛΟΙΜΟΣ

(*a*) Sveton. in vita Neron. cap.47.
(*b*) Lib. III. *Georg. Virgil.* verſ.36.
(*c*) Ad verſ.220. ſat.8. Iuven., & ad v.135. ſat.1. Perſ.
(*d*) *De vet. Poetar. temporib.* lib. II. cap. 3. pag. 244.
(*e*) *Demonſtr. hiſt. eccl. &c.* cap. 5. Tom.I. Par. I. pag.305.
(*f*) Cap. 70.
(*g*) Verſ.34. lib. III. *Georg.*
(*h*) *Iliad.* lib. I. verſ.13.
(*i*) Ibid. verſ. 33.

num.3. excitavit, qua illico magna hominum, atque animantium multitudo interempta eſt (*a*). Itaque cum plena eſſent omnia timoris, & luctus, Graeci duces *Chalchantem* ΧΑΛΧΑΣ num. 4. vatem conſulunt. Is iratum ipſis eſſe Apollinem reſpondet, atque raptum Aſtynomis eſſe cauſſam peſtis (*b*). Igitur praecipit, ut illam patri Chryſi reddant, ſi placare Numen, propulſareque peſtem velint. Septem quae ſequuntur figurae Graecos duces conventum agentes exhibent. Conſidunt in conventu *Agamemnon*, & *Neſtor* num. 5. & 6. ΑΓΑΜΕΜΝΩΝ, ΝΕΣΤΩΡ, ille gladium diſtringens, hic illum placans: cum enim reddere Chryſeidem oportere iudicatum eſſet, Agamemnon ſibi ablaturum eſſe ab Achille Briſeidem minatus eſt (*c*); quod Achilles ſtatim ac audivit exardens ira diſtricto gladio Agamemnoni inſurrexit (*d*); ſed hunc placare Neſtor ſtuduit; Achillem vero num.7. ΑΧΙΛΛΕΥΣ, eius arrepta coma, Minerva num.8. ΑΘΗΝΑ diſtinuit (*e*). Ulyſſes num. 9. ΟΔΥΣΣΕΥΣ ΤΗΝ ΕΚΑΤΟΜΒΗΝ ΤΩ ΘΕΩ ΑΓΩΝ Apollinis templum adit, eidem hecatombem, ideſt centum boves num. 10. immolandi cauſſa (*f*): *Chryſeidemque* num.11. ΧΡΙΣΗΙΣ parenti ſuo reſtituit, qui n.12. filiam ante aram, templumque Apollinis num.13. amanter complectitur (*g*). Poſtremo Thetis num. 14. ſuppliciter a Iove petit, ut pro erepta filio ſuo Achilli Briſeide, Graecos ulciſcatur. Homerus ſibi fingit (*h*), Iovem primo reſponſum nullum Theti dediſſe, mox aſſenſum fuiſſe, opemque Troianis ferre decreviſſe, donec Graeci facerent Achilli pro iniuria ſatis. In anaglypho Thetis cernitur genibus flexis coram Iove conſidente in throno, ſuperiore corporis parte nuda, qualem in aliis antiquis monumentis repraeſentatum videmus: quod in caelis agentibus divinitas cognita ſit, in terris autem obſcura, atque abſcondita. Sed alio loco de rationibus diximus, quibus permoti veteres Iovem hoc modo exprimere ſolebant.

Quum ſiniſtra huius monumenti pars deſit, ut diximus, interrupto ordine ſerieque rerum, quae reliquis duodecim libris Iliadis continentur, deſcendimus ad extremam dexterae partis faſciam notatam littera N. Res enim in libro decimotertio ab Homero traditas complectitur. Inde vero ad ſuperiores faſcias Graecis numeralibus litteris ordinatim notatas, in quibus ceteri omnes Iliados libri uſque ad xxiv. repraeſentantur, progrediemur. Igitur in faſcia N exhibentur viri gladiis dimicantes duo num.15., victor, ac victus ΜΗΡΙΟΝΗΣ, ΑΚΑΜΑΣ, *Meriones*, *Acamas*. Verum poſterioris nomen perperam ſane hic appoſuit ſculptor. Meriones enim Idomenei Regis Cretenſium fratris filius, & qui eodem Idomeneo ductore atque magiſtro rei militari ſtuduit, libro xiii (*i*) Deiphobum Priami filium incaſſum appetit, Acamantem vero Antenoris filium libro xvi. percutit (*k*). Sequitur num.16. *Idomeneus* interficiens *Othrioneum* (*l*) ΙΔΟΜΕΝΕΥΣ, ΟΘΡΙΟΝΕΥΣ. Hunc ille deinde εἷλκε κατὰ κρατερὴν ὑσμίνην *traxit per validam pugnam*, & quidem

curru,

(*a*) *Iliad.* lib. I. verſ. 43.
(*b*) Ibid. verſ. 92.
(*c*) Verſ. 184. ibid.
(*d*) Verſ. 194.
(*e*) Ibid. verſ. 197.
(*f*) Ibid. verſ. 438.
(*g*) Ibid. verſ. 440.
(*h*) Ibid. verſ. 512.
(*i*) Verſ. 159.
(*k*) Ibid. verſ. 342.
(*l*) Lib. xiii. verſ. 363.

curru, ut Homerus ſcribit: ſed hic nullum apparet currus veſtigium. *Aſius* ΑΣΙΟΣ num. 17. princeps Arisbae (*a*), quae urbs, teſte Arriano, non longe ab Ilio diſtabat, cum necis Othrionei ultor advenïſſet (*b*), interficitur. *Aeneas*, atque *Aphareus* ΑΙΝΗΑΣ, ΑΦΑΡΕΥΣ num. 18. repraeſentantur, quorum primus alterum interimit (*c*). Aphareus Caletoris filius in ducibus Graeci exercitus non numeratur; illum tamen generis, virtutiſque laude praeſtitiſſe aequum eſt dicere, tum quod armis cum Aenea conflixit, tum quod eius imago prae ceteris bellatoribus, quos Homerus in Iliade memorat, hoc loco exhibetur.

Proxime in faſcia Ξ res decimoquarto libro comprehenſae exprimuntur. Ac primo quidem num. 19. *Archelocus*, & *Aiax Locrenſis* ΑΡΧΕΛΟΧΟΣ, ΑΙΑΣ ΛΟΧΡΟΣ. Archelochum, quem eſſe Polydamantem Panthoedem putat, Aiax occidit. Is Aiax non ille Locrenſis, ut ſculptor ſcripſit, Oilei filius fuit, ſed Aiax Telamonis filius, ut apud Homerum legimus. Anonyma, quae inter Aiacem, & Archelochum inſculpta eſt icon Polydamantem Panthoedem exhibet, qui ab Aiace petitus, cum prudentiſſimus eſſet, ita ut

. . . . οἶος ὅρα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω,

. . . . *ſolus videret antrorſum, & retrorſum,*

ut ait Homerus (*d*):

. . . . δ' αὐτὸς μὲν ἀλέυατο κῆρα μέλαιναν·
Λικριφὶς ἀΐξας· κόμισεν δ' Ἀντήνορος ὑιὸς
Ἀρχέλοχος.

. . . . *ipſe quidem vitavit mortem nigram*
Oblique declinando; excepit autem Antenoris filius
Archelochus (*e*).

Poſt haec praepoſtere ſculptor Neptunum exprimit, qui ubi Graecos, impetum in eos acriter facientibus Troianis, animis concidiſſe comperiit, hortatus eſt, ut iterum aciem inſtruerent (*f*), praeliumque pararent: ipſorum ſe futurum ducem (*g*) promittens. En ΑΙΑΣ, en ΠΟΣΙΔΩΝ num. 20. *Aiax* in hoſtes irruens, *Neptunus* vero eum ducens ſine propriis inſignibus; propterea quod hoc loco Neptunus praeſetulit Chalchantis figuram, ut a Begero animadverſum fuit (*h*). Deinde occurrunt num. 21. *Hector*, & *Apollo* ΕΚΤΩΡ, ΑΠΟΛΛΩΝ. Hic iuſſu Iovis Hectori fert opem, eique deperditas ob ictum pectus lapide iacto ab Aiace vires reſtituit (*i*): quod etſi libro XV. Homerus memorat, hoc tamen loco a ſculptore expreſſum conſulto fuiſſe videtur, ne in ſuperiore faſcia O repraeſentandae acerrimae Graecorum, atque Troianorum pugnae ad naves ſpatium deeſſet. Nam Graeci ſubductas in littus naves foſſa, valloque cinxerunt, ſive ut aeſtus maris vitarent, ſive ut erepta ſpe renavigandi audaciores cum hoſte confligerent, atque ſeſe paratos mori potius oſtentarent, quam ab obſidione deſiſtere.

(*a*) *Iliad.* lib. II. verſ. 835.
(*b*) Lib. XIII. verſ. 384.
(*c*) Ibid. verſ. 541.
(*d*) Id. lib. XVIII. verſ. 250.
(*e*) Lib. XIV. verſ. 462.
(*f*) Ib. verſ. 364.
(*g*) Ib. verſ. 384.
(*h*) *Bellum, & excid. Troian.* num. 18.
(*i*) *Iliad.* lib. XV. verſ. 221. & 232.

Qua in faſcia O occurrunt num. 22. AINHAΣ , num. 23. ΠAPIΣ, num. 24. EΛENOΣ, *Aeneas*, *Paris*, *Helenus*. Arcum tendens Helenus telum iacit; ſed eum nullatenus Homerus adſcribit numero fortium virorum, qui ad naves Graecorum pugnarunt. Nominat autem Aeneam, Paridem, atque Politem Heleni fratrem; quorum primus Medonta, Iaſumque (*a*) diſpoliavit: Paris Deiochum medium transiecit (*b*): Polites vero Echium interfecit (*c*). Itaque nomen ΠOΛITHΣ, non autem EΛENOΣ inſculpendum erat. Navis num. 25. exhibetur cum hac inſcriptione EΠI NAYΣI MAXH, *ad naves pugna*. Haec navis craſſis funibus cannabinis, aut trabibus liguriiſque circummunita, non autem remis videtur inſtructa; propterea quod navibus, quas in terram ſubductas diximus, caſtelliſque ligneis quaſi oppidum Graeci in littore inaedificarant, & muro, foſſaque circumvallarant. Una Aiacis Telamonii navis, propter faſciae anguſtiam, exprimitur ceteris notabilior, quod omnium prima impetum hoſtium ſuſtinuit. Deſuper Aiax num. 27. ſcutatus diſtricto gladio navim ab hoſte defendit. Aiax, inquam, etſi illius deeſt inſculptum nomen; propterea quod Aiacis Telamonii navim EKTΩP num. 26. *Hector*, ut Homerus ſcribit (*d*), primum aggreditur; atque ab Aiace KAΛHTΩP num. 28. *Caletor* interfectus ſub ipſa nave iacet, cadente e manu torre, quo eam incendere navim (*e*) adnitebatur. Praeterea KΛITOΣ num. 29. *Clitus*, quem Homerus tradit (*f*) a Teucro ſpurio Telamonis filio occiſum fuiſſe, corruit. Fortaſſe Teucer ille eſt, qui ſub ſcuto Aiacis arcum intendit; Teucer enim, Homero teſte (*g*), latitare pone fratris ſui ſcutum ſolebat. Dicere autem Lycophronem famulum Aiacis poſſumus eum, qui in navi Aiacem ſubſequitur: nam (*h*)

. . . . . . ὁ δ᾽ ὕπτιος ἐν κονίῃσι
Νηὸς ἀπὸ πρύμνης χαμάδις πέσε,
. . . . . . *hic ſupinus in pulvere*
Navis a puppi humi cecidit

confixus ſagitta, quam in Aiacem Hector coniecerat. Sed hoc loco ſculptor minus apte ad id quod narrat Homerus, Hectorem, eiuſque comites pedibus praeliantes exprimit. Nam Apollo, ut ille ſcribit (*i*), Hectori iuſſit, ut ſuis cum equitibus naves adoriretur; idque Hector praeſtitit.

Iam liber XVI. Iliadis faſcia Π indicatur. ΠATPOKΛOΣ num. 30. *Patroclus* arma induit *Achillis*, qui AXIΛΛEYΣ num. 31. perſtans in ſententia, ut a bello abſtineret, cum educatore ſuo *Phoenice*, atque cum *Diomede* ſedens colloquitur, ut ſubiecta figuris indicant nomina ΦOINIΞ, ΔIOMHΔHΣ; etſi Homerus dicere videtur (*k*), tunc Diomedem graviter vulneratum alibi egiſſe. Phoenicem, atque Diomedem eo adveniſſe poſt Patroclum Begerus putat (*l*). Quoniam vero quatuor praeter Patroclum, & Achillem icones hic videntur inſculptae; duabus ex illis exhiberi exiſtimarem Automedontem, atque Alci-

(*a*) *Iliad.* lib. XV. verſ. 332.
(*b*) Ibid. verſ. 341.
(*c*) Verſ. 339.
(*d*) Ibid. verſ. 415.
(*e*) Verſ. 419.
(*f*) Verſ. 445.
(*g*) Id. lib. VIII. verſ. 266.
(*h*) Lib. XV. verſ. 434.
(*i*) Verſ. 250.
(*k*) Lib. XVI. verſ. 23.
(*l*) Loc. cit. num. 25.

Alcimum aſſiduos fidoſque Achillis comites, quorum unus Patroclo adſit, eiuſque brachio aptet Achillis ſcutum. Totidem icones ſequuntur eodem ſub nomine ΠΑΤΡΟΚΛΟΣ num. 32. *Patroclus*. Is ab Euphorbo haſta percuſſus corruit (*a*), nitenſque ſeſe erigere num. 34. ab Hectore exanimatur. Scutatus ille num. 33. fortaſſe idem eſt Hector ſtricto gladio inſequutus Automedontem, qui curru vectus in fuga ſibi ſubſidium poſuit. Duos tantum currui Achillis num. 35. equos iunctos vides Xanthum, & Balium (*b*); quod tertium Pedaſum eidem currui adiunctum Sarpedo interfeciſſet (*c*).

Patroclo occiſo factum eſt, ut acrius redintegraretur praelium. Troiani cum Achillem fuiſſe interfectum crederent, illius cadavere potiri conabantur: contra Graeci illud ſibi ſervare omnino ſtudebant ad militare, honeſtumque funus. Hoc praelium libro XVII. Homerus, ſculptor autem faſcia P ſine ulla inſcriptione expreſſit. Num. 36. dux ille elatus animo, curru vectus fortaſſe eſt Hector, qui diſpoliato Patroclo (*d*),

Ἐς δίφρον δ' ἀνόρουσε· δίδου δ' ὅγε τεύχεα καλὰ
Τρωσὶ φέρειν προτὶ ἄστυ, μέγα κλέος ἔμμεναι αὐτῷ.
In currum inſiliit, dedit vero arma pulchra
Troianis ferenda in urbem, magna gloria ut eſſent ipſi.

Contra Hectorem ſtat num. 37. ſcutatus, ni fallor, Aiax, qui (*e*)

. . . . ἀμφὶ Μενοιτιάδῃ σάκος εὐρὺ καλύψας
Εἱστήκει, ὥς τίς τε λέων περὶ σοῖσι τέκεσσιν,
. . . . *circum Menoetiadem ſcutum latum obtendens*
Stetit, ſicut aliquis leo circa ſuos catulos.

Ac pone Aiacem quidem Patrocli cadaver a Menelao, ut puto, illius mortem miſerante num. 38. manibus retentum. Ait enim Homerus (*f*):

Ἀτρείδης δ' ἑτέρωθεν ἀρηΐφιλος Μενέλαος
Εἱστήκει μέγα πένθος ἐνὶ στήθεσσιν ἀέξων.
Atrides autem ex altera parte bellicoſus Menelaus
Stabat magnum luctum in pectoribus augens.

Poſtremo eductum e caſtris iuſſu Aiacis Telamonii cadaver currui a Menelao, & Merione infertur, quo ad naves importetur (*g*) num. 39. Parvae Iliadis Latinae auctor illud elatum ab adoleſcente Neſtoris filio fuiſſe ſcribit (*h*). Homerus de exportato cadavere a Menelao, & Merione uſque ad naves tradit quidem (*i*); de curru autem non item. De minore illa, quam prope equos vides, figura Fabrettus nihil. Aeneas fortaſſe eſt, cum Hectore ad idem praelium profectus (*k*), ut planius cognoſci ex gemma edita a Winckelmannio poteſt (*l*).

In

(*a*) *Iliad.* lib. XVI. verſ. 816.
(*b*) Ibid. verſ. 864.
(*c*) Verſ. 467.
(*d*) Id. lib. XVII. v. 130.
(*e*) Ibid. verſ. 132.
(*f*) Ibid. verſ. 138.
(*g*) Verſ. 715.
(*h*) Poſt Iliad. Homeri Baſileae edit. a Iohan. Spondano pag. 440.
(*i*) *Iliad.* lib. XVII. verſ. 722. & 735.
(*k*) Ibid. verſ. 323.
(*l*) *Monumenti antichi &c.* num. 128.

In faſcia Σ, quo loco legitur ΠΑΤΡΟΚΛΟΣ, ΑΧΙΛΛΕΥΣ *Patroclus*, *Achilles*, icones inſpicito priores quinque. Graviſſimus Achillis, ubi exanimatum amicum ſuum num. 40. vidit, maeror, ac luctus exprimitur. Cenſet Fabrettus ad dexteram Achillis ſedentem ſenem eſſe Phoenicem; ſtantes vero ad ſiniſtram mulieres duas eſſe Diomedam Lesbiam Phorbantis filiam, poſt amiſſam Briſeidem, Achillis amicam, & Iphim Scyriam ipſius amicam Patrocli (*a*); quod utraque, Homero auctore (*b*), ſimul cum Achille illius funeri interfuit. Non aſſentitur autem Fabretto Begerus (*c*). Animadvertit enim, non exhiberi hoc loco Patrocli funus, ſed Achillis luctum, ut primum exanimatum illius corpus conſpexit: deinceps vero, teſte Homero, Achillis iuſſu lotum, atque unctum fuiſſe (*d*). Itaque ſenem illum eſſe pollinctorem potius, quam Phoenicem; qui pollinctor, protenta manu, panno corpus contegat, ſive, ut ego, cum pannus in anaglypho non compareat, exiſtimo, illud ungat. Totidem inde ſequuntur inter ſe connexae icones. ΘΕΤΙΣ num. 41. *Thetis*, quae a *Vulcano* num. 42. ΗΦΑΙΣΟΣ petit, ut Achilli nova arma conficiat. *Conſtructio armorum* ΟΠΛΟΠΟΙΑ num. 43. a tribus Cyclopibus ſcutum incudi ſuperpoſitum num. 44. fabricantibus, repraeſentatur. Haec aptius ad ea, quae ſcribit Virgilius, quam ad ea, quae narrat Homerus in noſtro monumento exprimi intelligo. Scribit enim Virgilius (*e*), Vulcanum, Cyclopibus adminiſtris, Liparae, qua ille in inſula officinam ferrariam inſtituerat, arma Aeneae, petente Venere, fabricaſſe; Homerus autem (*f*) Vulcanum ſuis manibus arma Achillis in Olympo confeciſſe. Itaque exacte ad id, quod Homerus narrat, inſculptas fuiſſe eiuſmodi gemmas exiſtimo, in quibus caſſidem fabricans Vulcanus cernitur: atque etiam Thyatirenorum numiſma a Triſtano (*g*) vulgatum, in quo Pallade adſtante, non autem Thetide, idem Vulcanus ſuis manibus galeam excudit.

Patrocli necem Achillem miſerantem vidimus; nunc faſcia Τ libro XIX. idem Achilles, neglecta, quam ab Agamemnone acceperat, iniuria, inſurgit ulturus Patroclo inlatam mortem, totuſque & mente & animo in bellum inſiſtit. Principio *Thetis* num. 45. ΘΕΤΙΣ arma a Vulcano perfecta Achilli tradit. Pone Thetim Minerva, ut credo, quae (*h*)

> Νέκταρ ἐνὶ στήθεσι καὶ ἀμβροσίην ἐρατεινὴν
> Στάξ',
>
> *Nectar in pectora, & ambroſiam ſuavem*
> *Inſtillavit.*

Etſi Homerus (*i*) narrat, Achillem vocatis in concionem Graecis ducibus, eique reddita Briſeide, galeam, atque reliqua arma induiſſe; hic tamen anaglyptice num. 47. ΑΧΙΛΛΕΥΣ *Achilles* coram Thetide, atque Minerva, iam galea ornatus, ſeque reliquis armis induens exprimitur. Fortaſse, ut quo

(*a*) *Iliad.* lib. IX. verſ. 660.
(*b*) Id. lib. XVIII. verſ. 28.
(*c*) Loc. cit. num. 30.
(*d*) *Iliad.* lib. XVIII. verſ. 343.
(*e*) Lib. VIII. *Aeneid.* verſ. 443.
(*f*) *Iliad.* lib. XVIII. verſ. 370.
(*g*) Inter numiſmata Commodi num. 20.
(*h*) *Iliad.* lib. XIX. verſ. 353.
(*i*) Ibid. verſ. 368.

quo deſiderio ſeſe exornandi praeclariſſimis iis armis arderet Achilles, oſtenderet id auſus eſt ſculptor. Etenim ille, ut Homerus ait (*a*),

Τέρπετο δ᾽ ἐν χείρεσσιν ἔχων θεοῦ ἀγλαὰ δῶρα.
Oblectabatur autem in manibus tenens Dei ſplendida dona.

Ad pedes Achillis thorax, ac reliquorum fortaſſe acervus armorum iacet; ſed ei *clypeus* ΑΣΠΙΣ num. 46. a muliere, ni fallor, traditur. Hanc mihi Minervam potius, quam Diomedam nominare fas eſto. Neque vero mirandum eſt, non in ſuperiore tantum faſcia, ſed etiam in hac clypeum praecipue repraeſentari. Nam ſummis ipſum effert Homerus laudibus (*b*), diligenterque res in eo a Vulcano caelatas recenſet; quibus de rebus copioſe quidem doctiſſimi viri ſcripſerunt, ut quam inde praeclarae, atque ſublimes imagines perciperentur, quantaque is plane divinus Poëta in quibuſque rebus explicandis, illuſtrandiſque virtute valeret, omnes cognoſcerent. Prope adeſt *Phoenix* ΦΟΙΝΙΞ, qui galeam, ut ſcribit Fabrettus, manu tenet. Sed Begerus (*c*) cum Achilles iam galea ornatus appareat, veri eſſe ſimilius exiſtimat, Phoenicem aut adloqui Achillem, ut quid eum probe moneat, aut ei cibos ad vires, priuſquam ad caſtra contendat, reficiendas tradere. Contra bigam, in quam num. 49. ΑΧΙΛΛΕΥΣ *Achilles* praeceps, ac pene furens inſilit, ſtans num. 48. eſt Iuno, ut Begerus arbitratur; cuius Iunonis iuſſu, ubi ille in currum conſcendit, Xanthus equus loquutus eſt (*d*). Automedon vero num. 50. ſcutica equos agitat: inquit enim Homerus (*e*):

. . . . . . μάστιγα φαεινὴν
Χειρὶ λαβὼν ἀραρυῖαν ἐφ᾽ ἵπποιϊν ἀνόρουσεν.

. . . . . . ſcuticam fulgentem
In manu prehendens habilem in equos inſiliit.

Omnium Troianorum primum Achilles obviam habet Aeneam. Sed hunc, ut a periculo liberet *Neptunus* num. 51. ΠΟΣΙΔΩΝ apprehenſa manu, longius ſubmovet (*f*). Id praeclare quidem ipſe Neptunus memorat apud Virgilium inquiens (*g*):

. . . . . Pelidae tunc ego forti
Congreſſum Aeneam nec Dîs, nec viribus aequis
Nube cava eripui, cuperem cum vertere ab imo
Structa meis manibus periurae moenia Troiae.

Deinde in eadem faſcia Υ, qua xx. liber Iliadis continetur, *Achilles* num. 52. ΑΧΙΛΛΕΥΣ ſive Iphitionem, ſive Demoleontem Antenoris filium num. 53. impetum in eum facientem (*h*) gladio percutit: mox Hippodamantem num. 54., atque Polydorum Priami filium num. 55. fugientes (*i*) concidit; poſtre-

(*a*) *Iliad.* lib. xix. verſ. 18.
(*b*) Id. lib. xviii. verſ. 478.
(*c*) Loc. cit. num. 33.
(*d*) *Iliad.* lib. xix. verſ. 404.
(*e*) Ibid. verſ. 395.
(*f*) Lib. xx. verſ. 325.
(*g*) *Aeneid.* lib. v. verſ. 808.
(*h*) *Iliad.* lib. xx. verſ. 386. & 395.
(*i*) Ibid. verſ. 402. & 414.

poſtremo adoriri conatur num. 56. Hectorem paratiſſimo ad dimicandum animo advenientem (*a*) :

. . . . ὡς ἐνόησε κασίγνητον Πολύδωρον
Ἔντερα χέρσιν ἔχοντα λιαζόμενον ποτὶ γαίῃ,
. . . . *poſtquam animadvertit fratrem Polydorum*
Viſcera manibus tenentem advolutum terrae .

Sed neutri confligere fas fuit cum altero : quod nebula contectum Hectorem Apollo ſubmoverit. Quam rem milites duo num.57. ſibi invicem obviantes, quin unus alterum cognoſcat, repraeſentant.

Libro XXI. faſcia Φ *Scamander* fluvius num. 58. ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΣ, Achilli iratus, quod ſuum alveum cadaveribus oppleſſet, horum reiectione (*b*), magnaque aquarum copia illum iactare opprimereque conatur. Itaque *Achilles* num.59. ΑΧΙΛΛΕΥΣ fere corruens, cum Iovis imploret opem (*c*), a *Neptuno* num.60. ΠΟΣΙΔΩΝ attollitur, priſtinaque illico recuperata virtute (*d*) ad dimicandum animo confirmatur. Quamobrem *Phryges* ΦΡΥΓΕΣ, ſeu Troiani cum Achilli acerrime inſequenti obſiſtere ſe non poſſe perſpicerent, in urbem, cuius portas opportune Rex Priamus referari iuſſerat, profugerunt (*e*).

Priamo haec prima fuit in referandis urbis portis cura, Hectorem in ea excipere; is tamen ſive quod tardius quam debuerat, eo perveniſſet, ſive quod virtute ſua confiſus recuſaſſet, quominus ſeſe in oppidum reciperet, foris extra portam Scaeam conſtitit, ut initio libri XXII. Iliadis legimus (*f*), repraeſentatumque num.61. faſciae Χ videmus. Ter in hac faſcia inſculptum exſtat nomen ΑΧΙΛΛΕΥΣ *Achilles*, bis autem ΕΚΤΩΡ *Hector*. Ac primum quidem num.62. Achilles interficit Hectorem num 63. (*g*): deinde num.64. diſpoliat armis (*h*), detrahitque ei galeam ; poſtremo num. 66. perforatis eius pedibus num.65., vinctiſque ad currum (*i*), atque immortalibus equis agitatis, qui οὐκ ἄκοντε πετέσθην *non inviti volabant* (*k*), cadaver a caſtris ad naves raptat. Automedon ille eſſe videtur, qui pedes num. 67. ſubſequitur : neque enim praeter aurigantem Achillem, atque Hectoris cadaver, currus continere neminem poterat. Caput Hectoris dumtaxat raptari per pulverem Achilles ſivit ; ut ſculptor Homerum ſequutus (*l*) expreſſit. Fingit autem Virgilius (*m*) ter circum moenia Troiae Hectorem ab Achille raptatum fuiſſe, ſecus ac Homerus tradit (*n*). Is enim a loco caedis ad naves illius cadaver quamcelerrime aſportatum fuiſſe ſcribit. Sculptori eadem mens fuiſſe videtur, cum in hoc ſuo opere nullum urbis ſignaverit veſtigium.

Nunc ad XXIII. librum Iliadis, communi conſenſu doctiſſimorum hominum ceteris omnibus praeſtantiorem. Complectitur enim is liber cum praeclariſſimas de ritibus funebribus quaeſtiones, tum ludorum athleticorum diſtributionem ſingularem. Nam de iuſtis Patrocli, deque ludis in illius honorem, Achillis iuſſu, celebratis Homerus agit. Itaque in faſcia Υ pyrae impoſitum

(*a*) *Iliad.* lib. XX. verſ. 419.
(*b*) Id. lib. XXI. verſ. 234.
(*c*) Ibid. verſ. 241. & 273.
(*d*) Verſ. 286.
(*e*) Verſ. 528. & 539.
(*f*) Verſ. 5. lib. XXII.
(*g*) Ibid. verſ. 326.
(*h*) Verſ. 368.
(*i*) Verſ. 395.
(*k*) Verſ. 400.
(*l*) Ibid. verſ. 398. & 402.
(*m*) *Aeneid.* lib. I. verſ. 487.
(*n*) Ibid. verſ. 391.

ſitum Patrocli num. 68. cadaver cernitur, ac prope pyram Achilles, qui dextera extenta comam

Τὴν ῥα Σπερχειῷ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν (*a*)
. . . . . ἐν χερσὶ ἑταίροιο φίλοιο
Θῆκεν (*b*).
Quam Sperchio fluvio nutriebat floreſcentem
. . . . . *in manibus cari ſocii*
Poſuit.

Morem fuiſſe Graecorum, aliarumque nationum, ut capillos tonderent, cadaveribuſque ſuorum amicorum imponerent, multis exemplis a Feithio (*c*) demonſtratum eſt. Sed Homeri laudum adverſarius, & obtrectator Philoſtratus (*d*), evocatis ab inferis Achillis Manibus, illum numquam ſe totondiſſe comam, ſed Sperchio Theſſaliae fluvio, quem prope praedia, bonaque omnia Achillis erant, integram ſervaſſe, aſſerentem inducit. Poſt Achillem exhibetur fortaſſe Agamemnon, qui, teſte Homero (*e*), iuſtis funeris Patrocli interfuit; deinde caminus cum igne, atque olla, ut calida aqua pollinctor cadaver lavet. Illum eſſe pollinctorem puto, qui extremae pyrae proximus curare cadaver videtur. Legitur ſubter ΑΧΙΛΛΕΥΣ, ΚΑΥΣΙΣ ΠΑΤΡΟΚΛΟΥ *Achilles*, *crematio Patrocli*. Hinc colligendum eſſe exiſtimo, non exprimi hoc loco pyram illam vulgarem, ſupra quam primo poſitus Patroclus fuit, quoad alia pyra centum undique pedum (*f*) exſtrueretur. In hac poſteriore crematus eſt.

Praeter iuſta funeris, ſive ſacrum, ut ita dicam, Ethnicorum in funere ritum, ludos quoque editos fuiſſe in honorem Patrocli narrat Homerus. Id repraeſentatur num. 69. ſubiecta figuris inſcriptione: ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ ΑΓων, ideſt *funebre certamen*. Bigae curſu ita certant (*g*), ut ex hoc quoque monumento cognoſcere plane poſſis, agitatas a dextera ad ſiniſtram eas fuiſſe, ut alio loco animadvertimus. Hoc in certamine Eumelus Admeti filius num. 70. humi iacet ab irata Minerva (*h*)

Ἐκ δίφροιο παρὰ τρόχον ἐξεκυλίσθη,
Ex curru iuxta rotam excuſſus.

Qui haſta innititur num. 71. Phoenix eſt, quem Achilles (*i*)

. . . . . . παρὰ δὲ σκόπον εἷσεν
Ὡς μεμνέῳτο δρόμου, καὶ ἀληθείην ἀποείποι,
. . . . . . *iuxtaque ſpeculatorem collocavit,*
Ut conſideraret curſum, & veritatem referret;

& ſi quod eſſet admiſſum facinus, ſi de curſu controverſia eſſet, prudens decerneret. Romae quoque, atque in Graecia iudices, atque ſpeculatores ludis intererant. Ac in Graecia quidem, teſte Pauſania (*k*), in ludis Olympicis τρισὶ μὲν δὴ ἐπετετράπτο ἐξ αὐτῶν ὁ δρόμος τῶν ἵππων· τοσούτοις δὲ ἑτέροις ἐπόπταις εἶναι τοῦ πεντάθλου· τοῖς δὲ ὑπολοίποις τὰ λοιπὰ ἔμελε τῶν ἀγωνισμάτων,

 eorum

(*a*) *Iliad.* lib. XXIII. verſ. 142.
(*b*) Ibid. verſ. 152.
(*c*) *Antiquit. Homeric.* lib. I. cap. 13.
(*d*) In vita Apollon. lib. IV. cap. 5.
(*e*) *Iliad.* lib. XXIII. verſ. 155.
(*f*) Ibid. verſ. 164.
(*g*) Ibid. verſ. 362.
(*h*) Ibid. verſ. 394.
(*i*) Ibid. verſ. 359.
(*k*) *Eliac. prior.* lib. V. cap. 9.

eorum tres de equorum curſu , *totidem de quinquertio* , *de ceteris reliqui certaminibus cognoſcebant* . Apud Romanos eiuſmodi munere perfuncti , ut ſcribit Fabrettus , appellabantur *cognitores* , ſive a *cognitionibus* : & ſic in vetere inſcriptione Libertus quidam Auguſti a *cognitionibus* nominatur .

Vigeſimoquarto Ω , poſtremoque Iliadis libro de ſumma , qua Priamus afficiebatur , ſollicitudine redimendi corporis filii ſui Hectoris , Homerus agit . Quamobrem poſtremae faſciae noſtri anaglyphi inſcriptio eſt huiuſmodi : ΕΚΤΩΡ , ΚΑΙ ΛΥΤΡΑ ΕΚΤΩΡΟΣ , *Hector* , *& redemptio Hectoris* ; ſed alia ratione , ac reliquarum faſciarum , icones repraeſentantur ; nam a dextera initium capiunt . En ΕΡΜΗΣ *Mercurius* num. 72. , quem Iuppiter ad Priamum (*a*) , ut ei dux in itinere ad Graecos foret , & comes , miſit . Homerus ait (*b*) , Mercurium , antequam Priamus e curru deſcenderet , in Olympum aſcendiſſe . *Priamus* ΠΡΙΑΜΟΣ num. 73. ſenex ille eſt (*c*)

. . . . προπάροιθε ποδῶν Ἀχιλῆος ἐλυσθεὶς
. . . . *ante Achillis pedes proiectus* .

Et quoniam humi ſedens in faſcia exprimitur , non autem genibus flexis , ut in aliis monumentis , dici coniiciendo poſſet , ſeſe Achillis iuſſu erexiſſe , atque ſediſſe more maerentium humi , quo ſua commodius poſtulata proferret . Sane , Plutarcho teſte (*d*) , καὶ γὰρ Ἀθήνησι νηστεύουσιν αἱ γυναῖκες ἐν Θεσμοφορίοις χαμαὶ καθήμεναι *Athenis in Theſmophoriis* [in honorem Cereris celebrari ſolitis] *humi ſedentes mulieres ieiunabant* , ut maerorem , luctumque tempori accommodatum oſtenderent . *Achilles* ΑΧΙΛΛΕΥΣ num. 74. ſedens Priamum audit . Automedon , & Alcimedon , ſive Alcimus num. 75. , qui in intimis Achillis erant , & qui (*e*)

. . . . ἐϋξέστου δ' ἀπ' ἀπήνης
Ἥρεον Ἑκτορέης κεφαλῆς ἀπερείσι' ἄποινα ,

. . . . *bene polito a vehiculo portarunt*
Hectorei capitis infinita dona ,

allata a Priamo , ſtupentes illa diſpiciunt . Ex iis duo tantum , propter anguſtum faſciae ſpatium , apparere video , galeam , & lebetem : quod lebetes praeſertim quatuor ob eam cauſſam a Priamo ex regia gaza exportatas fuiſſe Homerus memorat (*f*) . Poſtremo Achilles num. 76. , eiuſque , quos nominavimus , amici cadaver Hectoris currui apte imponunt (*g*) . Etſi cadaver nudum , planius indicandae fortaſſe rei funebris cauſſa , repraeſentetur ; tamen pulchro pallio , tunicaque obtectum fuit , quae duo inter oblata ſibi a Priamo dona Achilles cum vidiſſet , modeſte recuſavit (*h*) ,

Ὄφρα νέκυν πυκάσας δοίη οἶκόνδε φέρεσθαι
Ut cadaver tectum daret domum ferendum .

Iam

(*a*) *Iliad.* lib. XXIV. verſ. 334.
(*b*) Ibid. verſ. 468.
(*c*) Verſ. 510.
(*d*) *De Iſid.* , *& Oſirid. &c.* pag. 378.
(*e*) *Iliad.* lib. XXIV. verſ. 578.
(*f*) Ibid. verſ. 233.
(*g*) Verſ. 589.
(*h*) Verſ. 581.

Iam vero praeclariſſimae huiuſce tabulae artifex, aut qui in opere exſequendo conſilio eidem adfuit, non ſolum Homericam omnem Iliadem figuris, uti hactenus declaravimus, expreſſam exhibuit; verum Graecis maiuſculis litteris argumenta quoque eximii illius poëmatis in binis columellis inſculpſit: quibus anaglyptico operi elegantior ineſſet ordo, atque ornamentum accederet. Ea porro argumenta ita ſunt inter ſe diſpoſita, atque coniuncta, ut perpetuam orationem, praecipuarumque omnium geſtarum rerum, quae in Iliade continentur, numquam interruptum veluti compendium efficiant. In hoc igitur incredibili quidem induſtria elaborato opere pene renovatum non immerito dixeris celeberrimum illud miraculum de ipſa Iliade a Plinio (*a*) memoriae proditum poſterorum: quae minutis adeo litteris ſcripta in membrana fuerat, ut nuce tota concluderetur. At dolendum ſane eſt, quod una cum ſiniſtra anaglyphi parte ſex priorum librorum argumenta omnino perierint, quae columna, quam in tabula aere inciſa ſupplevimus, complectebatur. Sed & ea, quae in dextera columna adhuc ſuperſtite deſcribuntur, vim iniuriamque temporis paſſa adeo ſunt, ut aliquae litterae, & integra verba pluribus in locis aliorum corporum colliſione non parum detritae, imo alicubi deletae penitus videantur. In his exſcribendis argumentis non mediocrem adhibuit operam Fabrettus, & diligentiam: reſque profecto feliciter eidem ceſſit; profeſſus tamen is eſt, adeo praeclarum monumentum poſtulare adhuc, ut ab aliquo maturius, & accuratius expenderetur, qui ea reſtitueret, quae temporis iniuria deeſſent: quod iam in epochis Arundellianis Seldenus non ſine maxima ingenii, eruditioniſque laude praeſtiterat. Itaque, ut noſtra haec argumenta, quantum in nobis erat, pleniora in lucem prodirent, ſemel, atque iterum, & ſaepius monumentum ipſum cum Fabretti editione ſtudioſe contulimus, & ex eo ſtudio fructum ſane non mediocrem percepimus. Facilioris autem uſus, perſpicuitatiſque gratia, eadem tribus in columnis conſcripſimus, quarum prior illa maiuſculis litteris eo plane modo exhibet, quo in monumento inſculpta conſpiciuntur: in altera vero columna argumenta ipſa vulgaribus Graecis characteribus repetita leges: in tertia demum Latinam eorumdem habes verſionem. Monitum praeterea lectorem volumus, in priori columna ea tantum fuiſſe vocabula a nobis addita, quae, licet Fabretti diligentiam effugerint, attentius tamen ipſi nos anaglyphum inſpicientes clare in eo, dilucideque exarata deprehendimus. At in altera eas quoque voces adiectas reperies, quarum ad inveſtigationem pauca hac illac ſparſa litterarum veſtigia ducere interpretem poterant, vel quae noſtra prorſus coniectura nituntur. Inſuper in hac ipſa columna diviſimus, adnotavimuſque ſingulos Iliados libros, ad quos unumquodque argumentum pertinet: quod in tertia quoque praeſtitimus. Animadvertendum poſtremo eſt, praetermiſſa ab auctore argumenta librorum fuiſſe quatuor, nimirum XIII. XIV. XV. & XX. eam fortaſſe ob cauſſam, quod ii in aliquibus tantum praeliis deſcribendis verſarentur.

(*a*) Lib. VII. cap. 21.

ΟΙ Δ ΑΧΑΙΟΙ ΤΙΧΟΣ ΤΕ ΚΑΙ
ΤΑΦΡΟΝ ΠΟΙΟΥΝΤΑΙ ΠΕ
ΡΙ ΤΑΣ ΝΑΥΣ ΑΜΦΟΤΕΡ
ΩΝ Δ ΑΥΤΩΝ ΕΞΟΠΛΙΣ
ΘΕΝΤΩΝ ΚΑΙ ΜΑΧΗΝ ΕΝ ΤΩ
ΠΕΔΙΩ ΣΥΝΑΨΑΝΤΩΝ ΟΙ
ΤΡΩΕΣ ΕΙΣ ΤΟ ΤΙΧΟΣ ΤΟΥΣ
ΑΧΑΙΟΥΣ ΚΑΤΑΔΙΩΚΟΥΣΙΝ
ΚΑΙ ΤΗΝ ΝΥΚΤ ΕΚΕΙΝΗΝ ΕΠΙ
ΤΑΙΣ ΝΑΥΣΙΝ ΠΟΙΟΥΝΤΑΙ ΤΗΝ
ΕΠΑΥΛΙΝ ΤΟΙΣ ΔΕ ΤΩΝ ΑΧΑΙ
ΩΝ ΑΡΙΣΤΕΥΣΙΝ ΔΟΚΕΙ ΒΟΥ
ΛΕΥΣΑΜΕΝΟΙΣ (a) .... (b) ΑΠΟΣ
ΤΕΙΛΑΙ ΠΡΟΣ ΑΧΙΛΛΕΑ Α
ΓΑΜΕΜΝΩΝ ΔΕ ΔΩΡΕΑΣ ΤΕ
ΠΟΛΛΑΣ ΔΙΔΩΣΙ ΚΑΙ ΤΗΝ
ΒΡΙΣΗΙΔΑ ΟΙ ΔΕ ΠΕΜΦΘΕΝ
ΤΕΣ ΠΡΟΣ ΑΥΤΟΝ ΟΔΥΣΣ
ΕΥΣ ΤΕ ΚΑΙ ΦΟΙΝΙΞ ΠΡΟΣ
ΔΕ ΤΟΥΤΟΙΣ ΑΙΑΣ ΑΠΑΓΓΕ
ΛΛΟΥΣΙΝ ΑΧΙΛΛΕΙ ΤΟΥΣ ΛΟ
ΓΟΥΣ ΤΟΥΣ ΛΟΓΟΥΣ ΠΑΡ ΑΓ
ΑΜΕΜΝΟΝΟΣ Ο Δ ΟΥΤΕ ΠΡΟ
ΣΔΕΧΕΤΑΙ ΤΑΣ ΔΩΡΕΑΣ ΟΥ
ΤΕ ΣΥΝΔΩΡΕΙ ΔΙΑΛΥΣΑΜ
ΕΝΟΣ ΑΥΤΟΙΣ ΒΟΗΘΕΙΝ
ΟΙ Δ ΑΡΙΣΤΕΙΣ ΤΑΥΤ ΑΚΟΥ
ΣΑΝΤΕΣ ΚΑΤΑΣΚΟΠΟΥΣ
ΠΕΜΠΟΥΣΙΝ ΟΔΥΣΣΕΑ ΚΑΙ
ΔΙΟΜΗΔΗΝ ΟΥΤΟΙ ΔΕ ΔΟΛΩ
ΝΙ ΣΥΝΑΝΤΗΣΑΝΤΕΣ ΥΦ ΕΚ
ΤΟΡΟΣ ΑΠΕΣΤΑΛΜΕΝΩ ΚΑΤΑ
ΣΚΟΠΩ ΠΥΘΟΜΕΝΟΙ ΠΑΡ ΑΥ
ΤΟΥ ΤΗΝ ΤΑΞΙΝ ΤΩΝ ΤΟ ΣΤΡΑΤ
ΟΠΕΔΟΝ ΦΥΛΑΣΣΟΝΤΩΝ ΑΥ
ΤΟΝ ΤΕ ΔΙΑΦΘΕΙΡΟΥΣΙΝ ΚΑΙ

Lib. VII.

Οἱ δ' Ἀχαῖοι τεῖχός τε, καὶ τάφρον ποιοῦνται περὶ τὰς ναῦς.

Lib. VIII.

Ἀμφοτέρων δ' αὐτῶν ἐξοπλισθέντων, καὶ μάχην ἐν τῷ πεδίῳ συναψάντων οἱ Τρῶες εἰς τὸ τεῖχος τοὺς Ἀχαιοὺς καταδιώκουσιν, καὶ τὴν νύκτ' ἐκείνην ἐπὶ ταῖς ναυσὶν ποιοῦνται τὴν ἔπαυλιν.

Lib. IX.

Τοῖς δὲ τῶν Ἀχαίων ἀριστεῦσιν δοκεῖ βουλευσαμένοις πρεσβεῖς ἀποστεῖλαι πρὸς Ἀχιλλέα. Ἀγαμέμνων δὲ δωρεάς τε πολλὰς δίδωσι καὶ τὴν Βρίσηιδα· οἱ δὲ πεμφθέντες πρὸς αὐτὸν Ὀδυσσεύς τε καὶ Φοίνιξ πρός δε τούτοις Αἴας ἀπαγγέλλουσιν Ἀχιλλεῖ τοὺς λόγους τοὺς λόγους πάρ' Ἀγαμέμνονος· ὁ δ' οὔτε προσδέχεται τὰς δωρεὰς, οὔτε συνδωρεῖ διαλυσάμενος αὐτοῖς βοηθεῖν.

Lib. X.

Οἱ δ' ἀριστεῖς τοῦτ' ἀκούσαντες κατασκόπους πέμπουσιν Ὀδυσσέα καὶ Διομήδην· οὗτοι δὲ Δόλωνι συναντήσαντες ὑφ' Ἕκτορος ἀπεσταλμένω κατασκόπῳ, πυθόμενοι παρ' αὐτοῦ τὴν τάξιν τῶν τὸ στρατόπεδον φυλασσόντων αὐτόν τε διαφθείρουσιν, καὶ Ῥῆσον

Achivi autem murum, & foſſam faciunt circa naves.

Utriſque autem eorum bene armatis, & pugnam in campo committentibus, Troiani uſque ad murum Achivos perſequuntur, & nocte illa ad naves faciunt caſtrametationem.

Sed Achivorum optimatibus ſimul congregatis videtur legationem mittere ad Achillem: Agamemnon autem dona multa dat, & Briſeidam; qui vero miſſi fuerant ad ipſum Ulyſſes, & Phoenix, & cum ipſis Aiax annunciant Achilli ſermones nomine Agamemnonis: ipſe autem neque recipit dona, neque viciſſim dat, renuens ipſis auxiliari.

Optimates autem haec audientes exploratores mittunt Ulyſſem, & Diomedem: iſti vero Doloni occurrentes ab Hectore miſſo exploratori, ſciſcitantes ab ipſo ordinem eorum, qui caſtra cuſtodiebant, eaque devaſtant, & Rheſum Thracum Regem, & cum ipſo etiam alios, & ſur-

ΡΗΣΟΝ

(a) Poſtremas tantum litteras huius vocis legit Fabrettus; ſed quae ſuperſunt adhuc in monumento eiuſdem veſtigia ſatis indicant legendum eſſe βουλευσαμένοις.

(b) Quae ſequitur vox omnino deeſt: ſupplendam tamen eſſe vocem πρεσβεῖς non dubitavimus, quod eadem vel ipſi Graeci Homeri Scholiaſtae in huius libri argumentis utantur.

ΡΗΣΟΝ ΤΟΝ ΘΡΑΚΩΝ ΜΕΤ Α
ΥΤΟΥ ΔΕ ΚΑΙ ΑΛΛΟΥΣ ΚΑΙ ΛΑΒΟΝ
ΤΕΣ ΤΑΣ ΙΠΠΟΥΣ ΕΠΙ ΤΑΣ ΝΑ
ΥΣ ΕΛΑΥΝΟΥΣΙΝ ΗΜΕΡΑΣ ΔΕ
ΓΕΝΟΜΕΝΗΣ ΜΑΧΗΝ ΣΥΝΑ
ΠΤΟΥΣΙ ΚΑΙ ΤΩΝ ΑΡΙΣΤΕ
ΩΝ ΤΑ ΟΝΟΜΑΤΑ ΑΓΑΜΕΜ
ΝΩΝ ΔΙΟΜΗΔΗΣ ΟΔΥΣΣΕΥΣ Μ
ΑΧΑΩΝ ΕΥΡΥΠΥΛΟΣ ΕΠΙ ΤΑ
Σ ΝΑΥΣ ΑΝΑΛΩΤΟΥΣ ΠΑΤΡΟ
ΚΛΟΣ ΔΕ ΠΕΜΦΘΕΙΣ ΠΑΡ ΑΧ
ΙΛΛΕΩΣ ΠΥΝΘΑΝΕΤΑΙ ΝΕΣ
ΤΟΡΟΣ ΤΑ ΕΠΙ ΤΗΝ (*a*) ......
ΕΚΤΩΡ ΔΕ .. ΗΞΑΣ (*b*) ΤΑΣ ....
ΤΟΝ (*c*) ΠΥΛΑΣ ΤΩ ΤΕΙΧΕΙ (*d*) ...
ΠΙΠΤΕΙ (*e*) ΤΩΝ ΕΛΛΗΝΩΝ ΚΑΙ
ΜΑΧΗΝ ΣΥΝΑΠΤΕΙ ΠΡΟ ΤΩΝ
ΝΑΩΝ ΤΗΣ ΔΕ ΜΑΧΗΣ ΓΕΝΟ
ΜΕΝΗΣ ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΠΑΡΑ ΤΟΥ
ΠΑΤΡΟΚΛΟΥ ΤΑ ΠΕΡΙ ΤΗΝ Μ
ΑΧΗΝ ΑΚΟΥΣΑΣ ΚΑΙ ΔΕΟ
ΜΕΝΟΣ ΒΟΗΘΕΙΝ ΑΥΤΟΝ
...... (*f*) ΠΕΜΨΑΙ ΤΟΙΣ ΕΛΛΗ
ΣΙΝ ΙΔΩΝ ΤΗΝ ΤΟΥ ΠΡΟΤΕ

τὸν Θρᾳκων, μετ' αὐτοῦ δὲ καὶ ἄλλους, καὶ λαβόντες τὰς ἵππους ἐπὶ τὰς ναῦς ἐλαύνουσιν.

Lib. XI.

Ἡμέρας δὲ γενομένης μάχην συνάπτουσι, καὶ τῶν Ἀριστέων τὰ ὀνόματα, Ἀγαμέμνων, Διομήδης, Ὀδυσσεὺς, Μαχάων, Εὐρύπυλος ἐπὶ τὰς ναῦς ἀναλώτους. Πάτροκλος δὲ πεμφθεὶς παρ' Ἀχιλλέως πυνθάνεται Νέστορος τὰ ἐπὶ τὴν μάχην.

Lib. XII.

Ἕκτωρ δὲ ῥήξας τὰς διὰ λίθον πύλας, τῷ τείχει ἐμπίπτει τῶν Ἑλλήνων, καὶ μάχην συνάπτει πρὸ τῶν ναῶν.

Lib. XVI.

Τῆς δὲ μάχης γενόμενης Ἀχιλλεὺς παρὰ τοῦ Πατρόκλου τὰ περὶ τὴν μάχην ἀκούσας, καὶ δεόμενος βοηθεῖν, αὐτόν τέ περ πέμψαι τοῖς Ἕλλησιν, ἰδὼν τὴν τοῦ Προτε-

ripientes equas ad naves impellunt.

Die autem facto pugnam conſerunt: & optimatum nomina ſunt Agamemnon, Diomedes, Vlyſſes, Machaon, Eurypylus ad naves invictas. Patroclus autem miſſus ab Achille certior fit a Neſtore de illius pugnae eventu.

At Hector confractis ſaxo portis vallum Graecorum aggreditur, pugnamque ad naves committit.

Cumque pugna fieret, Achilles ea, quae ad pugnam ſpectant, audiens a Patroclo, qui ut opem ferret Graecis eum precabatur, ipſumque ſaltem mitteret, cum Proteſilai navem uri conſpexiſ-

ΣΙΛΑΟΥ

(*a*) Huiuſce lineae verba exeſa in monumento adeo ſunt, ut praeter articulum τὴν, nihil Fabrettus legerit. Indubium tamen videtur, voces articulum in anaglypho praecedentes eſſe τὰ ἐπὶ; ex quo iam facile eſt, eamdem lineam, in cuius extremo nihil omnino apparet, voce μάχην concludere.

(*b*) Mutilum huius lineae verbum in Capitolina tabula eſt ηξας, non autem ησας, ut viſum eſt Fabretto. Quare plane liquet periiſſe unam litteram ῥ, legendumque eſſe ῥῆξας, uti apud Homerum legimus in lib. *Iliad.* xii. verſ. 459., ubi praeclarum hoc ipſum Hectoris factum deſcribitur.

(*c*) Narrationis natura, atque ordo poſtulat, ut ſuppleatur διὰ λίθον. Homerus enim in laudato Iliad. libro ait, hoſtilium vallorum portas ſaxo Hectorem confregiſſe, quod modo λᾶαν, modo λίθος ab eodem Poeta vocatur. Neque improbari haec noſtra lectio ex eo poteſt, quod τ pro θ ibi obſervetur; alia enim in hac ipſa inſcriptione non ſatis exacte ad orthographiae regulas exarata vocabula occurrunt.

(*d*) In monumento procul dubio legitur τῷ τείχει: quod omnino praetermiſit Fabrettus.

(*e*) Quae hoc loco inſculptae erant litterae penitus perierunt; ſed facile intelligitur, eas fuiſſe binas priores litteras, quibus conſtat verbum ἐμπίπτει.

(*f*) Hic, ubi tabula diffracta nunc eſt, appoſite, ni fallimur, ſupplevimus τέ περ. Id enim cum iis conſonat, quae apud Homerum *Iliad.* lib. xvi. verſ. 38. Patroclus ait, ubi Achillem orans inducitur, ut ipſe ſaltem in Graecorum auxilium ab eo mittatur: Ἀλλ' ἐμέ περ πρόες ὦχ᾽.

ΣΙΛΑΟΥ ΝΑΥΝ ΚΑΙΟΜΕΝΗΝ ΠΕΜ
ΠΕΙ ΜΕΤΑ ΤΩΝ ΜΥΡΜΥΔΟΝΩΝ
ΤΟΝ ΠΑΤΡΟΚΛΟΝ ΤΟΥΣ ΙΠΠ
ΟΥΣ ΑΥΤΩ ΔΟΥΣ ΚΑΙ ΤΟΙΣ Ο
ΠΛΟΙΣ ΤΟΙΣ ΑΥΤΟΥ ΚΑΘΟΠΛ
ΙΣΑΣ ΙΔΩΝΤΕΣ ΟΙ ΤΡΩΕΣ ΑΥΤ
ΟΥΣ ΑΠΑΝΤΕΣ ΦΕΥΓΟΥΣΙΝ
ΕΝ ΔΕ ΕΠΙΤΡΟΠΗ ΤΑΥΤΗ ΠΑΤ
ΡΟΚΛΟΣ ΑΛΛΟΥΣ ΤΕ ΠΟΛΛΟ
ΥΣ ΑΠΟΚΤΕΙΝΕΙ ΚΑΙ ΣΑΡΠΗΔΟ
ΝΑ ΤΟΝ ΔΙΟΣ ΤΟΥΣ ΔΕ ΛΟΙΠΟΥ
Σ ΕΣ ΤΟ ΤΙΧΟΣ ΚΑΤΑΔΙΩΚΕΙ
ΕΧΤΩΡ Δ ΑΥΤΟΝ ΠΑΤΑΞΑΣ Α
ΠΟΚΤΕΙΝΕΙ ΚΑΙ ΤΩΝ ΟΠΛΩΝ ΕΓ
ΚΡΑΤΗΣ ΓΕΙΝΕΤΑΙ ΜΑΧΗΣ Δ
Ε ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΝΕΚΡΟΥ ΓΕΝΟΜΕ
ΝΗΣ Α....... ΕΣ (*a*) ΑΠΑΓΓΕΛ
ΛΙΑΝ (*b*) ... ΕΙ (*c*) ... ΛΑ .. Φ ...(*d*)
ΕΩΣ Η ΘΕΤΙΣ ... ΕΡΧΕΤΑΙ (*e*) ΠΡ
ΟΣ ΗΦΑΙΣΤΟΝ ΑΙΤΗΣΟΥΣΑ
ΠΑΝΟΠΛΙΑΝ Ο Δ ΑΥΤΗΝ ΕΥ
ΘΥΜΩΣ ΠΟΙΕΙ ΟΙ Δ ΑΧΑΙΟΙ ΤΟ
ΣΩΜΑ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΚΛΟΥ ΕΠΙ ΤΑ
Σ ΝΑΥΣ ΔΙΑΚΟΜΙΖΟΥΣΙΝ ΤΩΝ
Δ ΟΠΛΩΝ ΥΠΟ ΤΗΣ ΘΕΤΙΔ
ΟΣ ΕΝΕΧΘΕΝΤΩΝ ΤΗΝ ΒΡΙ
ΣΗΙΔΑ ΑΓΑΜΕΜΝΩΝ ΑΧΙΛΛΕΙ
ΔΙΔΩΣΙΝ ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΤΡΩΑΣ (*f*)

σιλάου ναῦν καιομένην πέμπει μετὰ τῶν Μυρμυδόνων τὸν Πάτροκλον, τοὺς ἵππους αὐτῷ δοὺς καὶ τοῖς ὅπλοις τοῖς αὐτοῦ καθοπλίσας· ἰδόντες οἱ Τρῶες αὐτοὺς, ἅπαντες φεύγουσιν· ἐν δὲ ἐπιτροπῇ ταύτῃ, Πάτροκλος ἄλλους τε πολλοὺς ἀποκτείνει, καὶ Σαρπήδονα τὸν Διὸς, τοὺς δὲ λοιποὺς ἐς τὸ τεῖχος καταδιώκει· Ἕκτωρ δ' αὐτὸν πατάξας ἀποκτείνει, καὶ τῶν ὅπλων ἐγκράτης γίνεται.

Lib. XVII. & XVIII.

Μάχης δὲ περὶ τοῦ νεκροῦ γενομένης, ἄγοντες ἀπαγγελλίαν Ἀχιλλεῖ κλαίει φίλον, ἕως ἡ Θέτις ἀνέρχεται πρὸς Ἥφαιστον αἰτησοῦσα πανοπλίαν, ὁ δ' αὐτὴν εὐθύμως ποιεῖ· οἱ δ' Ἀχαίοι τὸ σῶμα τοῦ Πατρόκλου ἐπὶ τὰς ναῦς διακομίζουσιν.

Lib. XIX.

Τῶν δ' ὅπλων ὑπὸ τῆς Θέτιδος ἐνεχθέντων τὴν Βρισηΐδα Ἀγαμέμνων Ἀχιλλεῖ δίδωσιν.

ſet, mittit cum Myrmydonibus Patroclum, equos ipſi dans, & armis ſuis inſtruens. Viſis ipſis Troes omnes fugiunt; & in hac delegatione Patroclus & Sarpedonem Iovis filium occidit, alioſque multos: reliquos autem ad muros uſque perſequitur. At Hector ipſum percutiens interficit, & armorum compos evadit.

Pugna vero de cadavere facta nuncium ad Achillem mittunt, qui amare deflet amicum, donec Thetis eum ſolata ad Vulcanum adſcendit petitura integra arma, quae ipſe alacriter conficit. Interea Achivi corpus Patrocli ad naves transferunt.

Armis itaque a Thetide allatis Briſeidem Agamemnon Achilli dat.

ΕΙΣ

(*a*) Prima, poſtremaeque tantum duae huius vocis litterae in monumento conſpiciuntur; quo loco contextui inhaerentes ἄγοντες legi poſſe arbitramur. Illi namque dictioni ἄγειν ἀπαγγελλίαν, eam alii quoque Graeci ſcriptores vim tribuunt, ut mittere nuncium ſignificet.

(*b*) Priores tantum litteras duas legit Fabrettus; ſatis tamen ibi integra apparet vox ἀπαγγελλίαν, ac ne divinare quidem poſſumus, cur ipſe quatuor huius vocis poſtremas litteras in ſeptem commutarit, legeritque ΔΙ ΑΧΙΛΛ.

(*c*) Diphthongus dumtaxat ει in monumento, praecedentibus abraſis omnino litteris, ſupereſt. Orationis autem ſeries aperte indicat, inſcriptionem ibidem habuiſſe Ἀχιλλεῖ.

(*d*) Unam hic litteram φ Fabrettus vidit; nos vero ante illam praeterea λα perſpeximus, atque ideo reſtituimus. Hinc veri admodum ſimile hoc ſupplementum putamus κλαίει φίλον. Sane Homero teſte, ubi ab Antilocho Patrocli mors Achilli nunciata eſt, is amicum profuſis lacrimis flevit.

(*e*) Cum *Iliad.* lib. XVIII. v. 142., teſtetur Homerus, Thetidem, ut Vulcanum conveniret, Olympum conſcendiſſe; pronum iam eſt, proprium verbum ἀνέρχεται huic loco reddere.

(*f*) Allucinatus quidem eſt Fabrettus hic legens ΔΕ. Ad perſpicuitatem enim in anaglypho apparet vox Τρῶας.

ΕΙΣ (*a*) ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΝ ΚΑΤΑΔΙΩ
ΞΑΣ ΑΣΤΕΡΟΠΑΙΟΝ (*b*) ΑΠΟ
ΚΤΕΙΝΕΙ ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΔΕ ΤΩΝ ΕΝ
ΤΩ ΠΟΤΑΜΩ ΔΙΑΦΥΓΟΝ
ΤΩΝ ΑΥΤΟΝ ΕΚΤΟΡΑ ΜΟΝΟΜ
ΑΧΟΝ ΑΠΟΚΤΕΙΝΕΙ ΚΑΙ ΤΑ ΟΠΛΑ
ΛΑΜΒΑΝΕΙ ΚΑΙ ΤΟΝ ΝΕΚΡ
ΟΝ ΕΚΔΗΣΑΜΕΝΟΣ ΕΚ ΤΟΥ ΔΙ
ΦΡΟΥ ΔΙΑ ΤΟΥ ΠΕΔΙΟΥ ΕΛΚΕΙ
ΕΠΙ ΤΑΣ ΝΑΥΣ ΚΑΙ ΤΟΝ ΠΑΤ
ΡΟΚΛΟΝ ΘΑΨΑΣ ΤΙΘΗΣΙΝ (*c*)
ΕΠ ΑΥΤΟΥ(*d*) ....ΓΧΝΑ(*e*) ΤΩΝ ΑΓΙΣ
ΤΕΙΩΝ Ο ΔΕ ΠΡΙΑΜΟΣ ΕΠΙ ΤΗΣ
ΝΑΩΣ ΠΑΡΑΓΕΝΟΜΕΝΟΣ ΕΚ
ΤΟΡΑ ΛΥΤΡΟΥΤΑΙ ΠΑΡ ΑΧΙΛ
ΛΕΩΣ ΕΠΑΝΕΛΘΟΝΤΟΣ ΔΕ
ΤΟΥ ΠΡΙΑΜΟΥ ΠΑΛΙΝ ΕΙΣ
ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ ΘΑΠΤΟΥΣΙΝ
ΟΙ ΤΡΩΕΣ ΚΑΙ ΤΟΝ ΤΑΦΟ
Ν ΑΥΤΟΥ ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΖΟΥΣΙ

Lib. XXI.

Ἀχιλλεὺς Τρῶας εἰς Σκάμανδρον καταδιώξας Ἀστεροπαῖον ἀποκτείνει.

Lib. XXII.

Ἀχιλλεὺς δὲ τῶν ἐν τῷ ποτάμῳ διαφυγόντων αὐτὸν Ἕκτορα μονόμαχον ἀποκτείνει, καὶ τὰ ὅπλα λαμβάνει, καὶ τὸν νεκρὸν ἐκδησάμενος ἐκ τοῦ δίφρου διὰ τοῦ πεδίου ἕλκει ἐπὶ τὰς ναῦς.

Lib. XXIII.

Καὶ τὸν Πάτροκλον θάψας τίθησιν ἐπ' αὐτοῦ σπλάγχνα τῶν ἀγιστείων.

Lib. XXIV.

Ὁ δὲ Πρίαμος ἐπὶ τῆς ναὼς παραγενόμενος Ἕκτορα λυτροῦται παρ' Ἀχιλλέως· ἐπανελθόντος δὲ τοῦ Πριάμου πάλιν εἰς τὴν πόλιν θάπτουσιν οἱ Τρῶες καὶ τὸν τάφον αὐτοῦ κατασκευάζουσι.

Achilles Troas uſque ad Scamandrum perſequutus Aſteropaeum interficit.

Iis vero ad flumen fugientibus Achilles ipſum Hectorem ſingulari certamine occidit, & arma recipit, & cadaver ſuſpendens ex biga per campum trahit ad naves.

Deinde Patroclum ſepeliens, eiuſdem cadaver victimarum viſceribus contegit.

Priamus vero ſuper navem veniens Hectorem redimit ab Achille. Reverſo autem Priamo rurſus in civitatem illum Troes ſepeliunt, ipſiuſque ſepulcrum inſtruunt.

Home-

(*a*) Alter Fabretti error eſt, quod εἰς, non autem τὸν, ut par erat, legerit.

(*b*) Quamquam hic ſatis pateat Aſteropaei nomen Ἀστεροπαῖον, Fabrettus tamen minus recte legit οπλιον.

(*c*) Nil mirum, ſi hoc verbum fuerit a Fabretto praetermiſſum: cum modo illud in tabula vix percipiatur.

(*d*) Bina haec verba, quae ſculpturam ſequuti reſtituimus, in Fabretti editione deſiderantur.

(*e*) Vir cl., quem ſaepe nominavimus, integrum hoc verbum omiſit, cuius veſtigia ſolum quatuor poſteriorum litterarum remanent. Ex iis tamen haud aegre intelligimus, legendum hic eſſe σπλάγχνα. Ex Homeri namque lib. *Iliad.* XXIII. verſ. 168. liquido conſtat, Achillem, cum Patroclum ſepeliret, cadaveri plurium hoſtiarum viſcera ſuperimpoſuiſſe, quae in eiuſdem funere mactatae conciderant. Eſt autem Homeri teſtimonium huiuſmodi:

Ἐν δὲ πυρῇ ὑπάτῃ νεκρὸν θέσαν ἀχνύμενοι κῆρ
Πολλὰ δὲ ἴφια μῆλα, καὶ εἰλίποδας ἕλικας βοῦς
Πρόσθε πυρῆς ἔδερόν τε καὶ ἄμφεπον· ἐκ δ' ἄρα πάντων
Δημὸν ἑλὼν ἐκάλυψε νέκυν μεγάθυμος Ἀχιλλεὺς
Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς.

Inque pyra ſuprema cadaver poſuerunt triſtes corde.
Multas autem pingues oves, & flexipedes tortuoſa cornua habentes boves
Ante pyram excoriarunt, & diſpoſuerunt, exque omnibus
Adipem accipiens obtexit cadaver magnanimus Achilles
Ad pedes a capite.

Homerus, cum Iliadem ſcribere non tam hiſtorico, quam poëtico genere inſtituiſſet, proponere de cauſſis controverſiarum, ſimultatumque, quas inter ſe Graeci, atque Troiani habuerunt, praetermiſit, ne ab ovo, ut aiunt, pueriliter initium faceret: praetereaque progredi ad ultimum Troiae excidium neceſſum ſibi non eſſe exiſtimavit. Verum adeo magnificis laudibus illud ſingulare, ac pene divinum opus communi omnium gentium conſenſu celebratum eſt, ut quamplurimi (*a*), iique doctrina praeſtantes cum Graeci, tum Latini Poëtae exſtiterint, qui, confiſi fore, ut & ipſi ſempiternam nominis gloriam aſſequerentur, meditati ſunt canere, ut Ovidii de Aemilio Macro utar verbis (*b*),

. . . aeterno quidquid reſtabat Homero,
Ne careant ſumma Troica bella manu.

Itaque huius noſtrae anaglypticae tabulae ſculptor Arctinum, Leſchen, atque Steſichorum, qui in bello Troiano deſcribendo reliquis Poëtis poſt Homerum praeſtabant, auctores ſequutus, excidium quoque Troiae, ornandi, perficiendique ſui operis cauſſa, expreſſit. Quorum nomina Poëtarum, etſi cognita nobis aliunde ſint, non exſtant tamen eorumdem opera, non ſecus ac etiam praeclarum illud poëma inſcriptum ΚΥΚΛΟΣ, cuius initium erat de nuptiis Caeli, & Terrae, omnemque reliquam mythologicam, atque heroicam hiſtoriam uſque ad excidium Troiae, & Ulyſſis reditum Itacam patriam ſuam complectebatur. Hoc autem in Cyclo verſibus variorum Poëtarum quaeque res exprimebatur; eamque illi ob cauſſam Cyclici appellari conſueverunt (*c*). In Cyclicis Arctinus quoque, Steſichorus, & Leſches numerati ſunt, quorum nomina, poëmatumque ab iiſdem editorum tituli in noſtro anaglypho numeris 77., & 79. leguntur. Poëmatis Steſichori titulus eſt huiuſmodi: ΤΡΩΙΚΟΣ. Meminit huius poëmatis Dion Chryſoſtomus (*d*), & teſtatur magni illud feciſſe Alexandrum, ὅτι μιμητὴς, Ὁμήρου γενέσθαι δοκεῖ καὶ τὴν ἅλωσιν οὐκ ἀναξίως ἐποίησε τῆς Τρόιας, *quod Homeri imitator eſſe videatur, expugnationemque Troiae pro Troiae ſcripſerit dignitate*. At a Georgio Fabricio (*e*) inſcribitur Ἰλίου πέρσις, imprudenter quidem, quod ea huius reliqui anaglyphi inſcriptio ſit, non autem operis Steſichori. Ad idem fortaſſe opus pertinet teſtimonium Quintiliani (*f*), quod eſt huiuſmodi: *Steſichorum, quam ſit ingenio validus, materiae quoque oſtendunt, maxima bella, & clariſſimos canentem duces, & epici carminis onera lyra ſuſtinentem: ac ſi tenuiſſet modum, videtur aemulari proximus Homerum potuiſſe*. Arctini poëma inſcriptum ΑΙΘΙΟΠΙΣ, quod res a Memnone Rege Aethyopum geſtas, ut Troianis, miſſo ad eos defendendos exercitu, eſſet auxilio, contineret. Excidium etiam Troiae relatum in idem poëma fuiſſe, eſt auctor Euſebius in Chronico (*g*). Laudatur Arctinus a S. Cyrillo in primo contra Iulianum libro (*h*). Scribit vero Dionyſius Halicarnaſſeus, eumdem eſſe primum omnium, qui Palladium memoret (*i*): & Arte-

(*a*) Erneſtus Leſcherus 152. auctores numerat, qui de bello Troiano ſcripſerunt.
(*b*) *De Ponto* lib. IV. eleg. x. verſ. 13.
(*c*) Winckelman. pag. 9. Praefat.
(*d*) Orat. II. *de Regno* pag. 25.
(*e*) *Bibl. Graec.* lib. II. cap. 15. pag. 597.
(*f*) *Inſt. Orat.* lib. x. cap. 1.
(*g*) Ad an. MCCL.
(*h*) Pag. 12.
(*i*) *Antiq. Rom.* lib. I. pag. 55.

& Artemon apud Suidam (*a*), atque Iohannes Tzetzes (*b*) diſcipulum ipſius Homeri fuiſſe, quod fortaſſe Homerum aemularetur. Poſtremo Leſches ſuum opus inſcripſit ΙΛΙΑΣ Η ΜΙΚΡΑ. Theodorus Rychius (*c*) alium eſſe putavit hunc Leſchis librum, ideſt *parvam Iliadem*, ab eiuſdem libro, quem inſcripſerat *excidium Troiae*; ſed temere, quod *Ilias parva* ab anaglyphi ſculptore laudetur ad excidium Troiae exprimendum. Itaque Pauſanias tribuens Leſchi Ἰλίου πέρσιν *Troiae excidium*, ipſam indicat parvam Iliadem, quae teſte Ariſtotele late patebat (*d*), & in qua contentum fuiſſe excidium Troiae ex inſcriptione anaglyphi ſatis liquet. Et quoniam, eodem Pauſania teſte, Arctinum aemulatus Leſches fuit; mirandum non eſt, hunc *in parva Iliade*, quemadmodum ille in *Aethyopia*, excidium Troiae concluſiſſe. Illud quoque praeclarum ex noſtro anaglypho certo colligendum eſt: Leſchem quo tempore idem monumentum inſculptum fuit, parvae Iliadis auctorem appellatum fuiſſe, non autem Homerum, ut Pſeudo-Herodotus in vita Homeri ſomniando ſcripſit.

In extrema a nobis delineata columna ſiniſtrorſum ſeriem rerum in ſupplementum Iliadis repraeſentare ſculptor incoepit. Sub ea columna reſtat nihil aliud, ut vides, niſi ſyllaba ΚΗΣ, quae cum ΠΟΔΑΡΚΗΣ *Podarces* nomen indicet, conflictum Podarcis cum Pentheſilea ibi expreſſum fuiſſe Fabrettus putat. Podarces enim ab illa, ut Q. Smyrnaeus ait (*e*), haſta transfixus

Κάτθανε καρπαλίμως σφετέρων ἐν χερσὶν ἑταίρων.

Protinus inter manus ſociorum ſuorum expiravit.

Hunc Graecum ducem ſummo genere prognatum Iphicli filium, atque Proteſilai, ſive, ut legimus apud Hyginum, Iolai fratrem (*f*), Homerus quoque in ſecundo Iliadis libro (*g*) memorat.

Armati exhibentur num. 80. milites duo, quorum alter alteri ſuccurrit, ac labenti ſubvenit cum hac inſcriptione *Achilles Pentheſilea* ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΠΕΝΘΕΣΙΛΕΙΑ. Quare Pentheſileam percuſſam ab Achille, atque exanimatam repraeſentari, nemini eſſe dubium poteſt. Tali modo illam a Paneno pictam fuiſſe Pauſanias teſtatur (*h*). Contra vero Q. Smyrnaeus ſcribit (*i*) Achillem agnoviſſe Pentheſileam, ubi ei iacenti caſſidem detraxit [quam deinde Torquatus Taſſus (*k*) imaginem Clorindae necem deſcribens in ſuo poëmate expreſſit] graviterque ex illius morte doluiſſe. Sed hac in re anaglyptice repraeſentanda Leſchen, ut credere par eſt, anaglyphi ſculptor ſequutus fuit auctorem: quemadmodum ſane in Pentheſilea levi armatura induta exhibenda. Pauſanias (*l*) enim memoriae prodidit, Polygnotum Delphis ſimul cum ceteris factis, atque eventis belli Troiani, Pentheſileam arcum tenentem, pardique pelle ſolummodo indutam pinxiſſe, indeque colligit Polygnotum Leſchis carmina legiſſe.

(*a*) In v. Ἀρκτῖνος.
(*b*) *Chil.* XIII. verſ. 642.
(*c*) *De Aeneae in Ital. adventu* pag. 445.
(*d*) *Poet.* cap. 23.
(*e*) *Paralip.* lib. I. verſ. 244.
(*f*) Fab. 103.
(*g*) Verſ. 703.
(*h*) *Eliacor. prior.* lib. V. cap. 11.
(*i*) *Paralip.* lib. I. verſ. 141. &c.
(*k*) *Geruſalemme liberata* cant. XII. ſtanz. 67.
(*l*) *Phocic.* lib. X. cap. 31.

Pentheſileae morte cognita Therſites vir imprudens, & dicax Achillem increpat. Hic iracundia adductus Therſitem pugno excuſſis dentibus exanimat: ut apud Q. Smyrnaeum (*a*) legitur. Num. 81. ex ſubſcriptis nominibus ΑΧΙΛΛΕΥΣ, ΘΕΡΣΙΤΗΣ *Achilles*, *Therſites* iſtiuſmodi eventum repraeſentari patet; ſed alio quidem modo, quem ſculptor apud aliquem ex tribus ſupralaudatis Poëtis legit. Nam Achilles veluti victimarius occurrit ſublatis manibus paratus mactare Therſitem, flectentem genua apud altam molem, ligatiſque ad tergum manibus. Cur non eam molem ſepulcrum Pentheſileae ad oppidi muros, ac prope Laomedontis ſepulcrum a Troianis poſitum dicam (*b*)? Tradit autem Dictys Cretenſis (*c*), Achillem ſepelire ſuis manibus Pentheſileam conſtituiſſe; verum obnitente Diomede, omnium Graecorum conſenſu in Scamandrum fluvium proieciſſe.

Neſtori patri ferens ſubſidium *Antilochus* num. 82. ΑΝΤΙΛΟΧΟΣ a Memnone transfixus (*d*) occumbit. Eius virtutem, atque pietatem erga patrem laudibus effert Philoſtratus (*e*), eiuſque epitaphium Ariſtoteles confeciſſe dicitur (*f*), quod habet hoc modo:

Μνῆμ' ἀρετῆς υἱοῦ τοῦ Νέστορος Ἀντιλόχοιο
Ὃς θάνεν ἐν Τροίῃ ῥυσάμενος πατέρα.
Neſtorei Antilochi, virtutiſque ecce ſepulcrum
Troiae ſervato qui genitore perit.

In epitaphiis etiam ab Auſonio in memoriam fortiſſimorum virorum perſcriptis iſtiuſmodi legitur (*g*):

Conſilio, belloque bonus, quae copula rara eſt,
Carus & Atridis, carus & Aeacidis:
Praemia virtutis ſimul & pietatis adeptus
Servato Antilochus Neſtore patre obii.
Non hic ordo fuit: ſed iuſtius ille ſuperſtes,
Troia capi ſine quo perfida non poterat.

Milites illi duo prope Antilochum, quorum unus elatus animo, ac minitans, alter concidens, *Achillem*, atque *Memnonem* referunt num. 83. ΑΧΙΛΛΕΥΣ, ΜΕΜΝΩΝ. Neſtoris oratione ſcribit Smyrnaeus (*h*) adductum Achillem in Memnonem, ut necem Antilochi vindicaret: & eos diu inter ſe incerto eventu conflixiſſe; quod uterque armis a Vulcano confectis dimicaret [nam eiuſmodi arma Thetis Achilli, & Aurora Memnoni tradi curaverat] & quod ſtudia Deorum diſparia eſſent. Tandem acceptis utrimque vulneribus (*i*),

. . . . Μέμνονα δῖον ὑπὸ στέρνοιο θέμεθλα
Πηλείδης οὔτησε τὸ δὲ ἀντικρὺ μέλαν ἆορ
Ἐξέτορε, τοῦ δ' αἶψα λύθη πολυήρατος αἰὼν
Κάππεσε δ' εἰς μέλαν αἷμα, βράχε δὲ οἱ ἄσπετα τεύχη.

. . . *Me-*

(*a*) *Paralip.* lib. I. verſ. 720.
(*b*) Ibid. verſ. 797.
(*c*) *De bello Troian.* lib. IV. cap. 3.
(*d*) Q. Smyrn. lib. II. verſ. 243.
(*e*) *Imag.* lib. II. cap. 7.
(*f*) Inter Ariſtotel. num. 14.
(*g*) Num. 7. ſeu carm. 224.
(*h*) Lib. II. verſ. 389.
(*i*) Ibid. verſ. 541.

. . . . Memnoni Dea nato in ima pectoris
Pelides vulnus infligit, & per tranſverſum lividus enſis
Erumpit, atque protinus iucundum eius aevum abruptum erat.
Procumbit igitur in nigram ſaniem, & vaſta ipſius arma intonant.

Huiuſmodi pugnae ſculpturas, non autem, ut Fabrettus ſcribit, picturas duas Pauſanias memorat, alteram Baticlis Mileſii in throno Apollinis Amiclei elaboratam, alteram Licii Eleutherei filii, itemque diſcipuli Myronis affabre in hemicyclo perfectam: in utraque vero Thetidem, atque Auroram filiis pugnantibus adſtaſſe (*a*). Diſcrepat tamen ab hiſce ſculpturis, atque a noſtro anaglypho Diodorus (*b*), qui ait Memnonem inſidiis circumventum a Theſſalis interfectum fuiſſe; & Philoſtratus iunior (*c*) prodit, alium Memnonem, non autem Aurorae filium fuiſſe ab Achille interfectum.

At *Achilles* num. 85. ΑΧΙΛΛΕΥΣ plurimis iam partis victoriis en ante Scaeam portam num. 84. ex cuius muro hominum magna multitudo eum proſpicit, tandem interfectus cernitur. Non repraeſentatur hoc loco interfector Achillis; quod fortaſſe ſculptor ab Apolline inviſo telo in calcaneo defixo, quae tantum corporis pars vulneribus patebat, interfectum fuiſſe apud ſuos Poëtas legiſſet. Quintus Smyrnaeus quoque rem ita narrat (*d*), & Sophocles (*e*) Neoptolemum inducit de Achille patre ſuo ſic aientem:

Τέθνηκεν ἀνδρὸς οὐδενὸς, θεοῦ δ᾽ ὕπο
Τοξευθεὶς, ὡς λέγουσιν, ἐκ Φοίβῳ δαμεὶς.
Interfectus eſt a nullo homine, ſed a Deo
Sauciatus, & ut aiunt, a Phoebo domitus.

Scribit autem Hyginus (*f*) Apollinem ſub ſpecie Paridis aggreſſum fuiſſe, atque occidiſſe Achillem; & fortaſſe hiſce fabulis data eſt occaſio, quod Achilles prope templum Apollinis Tymbraei, ut ait Servius (*g*), occubuit.

Aiax Telamonius, & *Ulyſſes* ΑΙΑΣ, ΟΔΥΣΣΕΥΣ num. 86. in terram deiectum Achillem protegunt, ne a Troianis in ſummo muro conſiſtentibus multitudine telorum prematur.

Num. 87. ΑΧΙΛΛΕΩΣ ΠΤΩΜΑ *Achillis cadaver* iacet prorſus extentum, ſuppoſito capiti ſcuto, & circum Graeci duces caſum collacrimantur. ΜΟΥΣΑ *Muſa* legitur ſub icone mulieris num. 88. reſpicientis ſtantes ex adverſo figuras; quod Muſae obſequio adductae erga Thetidem Achillem luxerint (*h*). Negat, irridetque Muſarum adventum, luctumque Philoſtratus (*i*); ſed exſtat hac de re epitaphium Ariſtoteli (*k*) adſcriptum, quod ſic habet:

Θέσσαλος οὗτος ἀνὴρ Ἀχιλεὺς ἐν τῷδε τέθαπται
Τύμβῳ ἐθρύνησαν δ᾽ ἐννέα Πιερίδες.
Theſſalus hic tumulo eſt iſto contectus Achilles:
At luxere novem, credite, Pierides.

(*a*) *Laconic.* lib. III. cap. 18., *Eliacor. prior.* lib. V. cap. 22.
(*b*) *Bibl. hiſt.* lib. II. cap. 6.
(*c*) *Heroic.* cap. 3.
(*d*) Lib. III. verſ. 60.
(*e*) *Philoct.* verſ. 333.
(*f*) Fab. 107.
(*g*) Ad verſ. 85. lib. III. *Aeneid.*
(*h*) Vid. Homeri *Odyſſ.* lib. XXIV. verſ. 60., Q. Smyrn. lib. III. verſ. 592.
(*i*) In vita Apollon. lib. IV. cap. 5.
(*k*) Inter Ariſtotel. num. 23.

Thetis num. 89. ΘΕΤΙΣ Achillis filii cineres ſepulcro infert, quod ipſe Patroclo, ut ſcribit Homerus (*a*), ſibique poſuit. ΑΧΙΛΛΕΙΟΝ *Achilleum* hoc loco appellatur, nulla facta Patrocli mentione, vel ob Achillis eminentiorem virtutem, nominiſque celebritatem, vel quia ipſe amico & ſibi mauſoleum erexerat: nec repugno ſi quis malit, tunc uni Achilli erectum fuiſſe, ut dicit Smyrnaeus (*b*), traditumque fortaſſe a laudatis tribus Poëtis fuerat, quos ſculptor imitatus eſt. In alio ſepulcri latere contra Thetidem conſiſtere Neptunum immortalitatem Achilli pollicentem, Begerus coniicit (*c*).

Poſt ſepulturam Aiax Telamonius, & Ulyſſes controverſiam inter ſe habent, uter adeo egregia illius armatura potiretur. Etſi Aiax virtute, rebuſque praeclare geſtis multum Ulyſſi praeſtaret, paremque praeter Achillem (*d*) habuiſſet neminem; tamen iniuria quidem Ulyſſi illa adiudicatur. Ex quo factum eſt, ut Aiax

Τῶν Ἀχιλείων στερηθεὶς ὅπλων ἀδίκῳ κρίσει
Ἐξυπερζέσας τῷ θυμῷ, φρενῶν ἀπεστερήθη (*e*)
Armis Achilleis privatus iniuſto iudicio
Valde exaeſtuans animo mente captus eſt.

Id num. 90. exhibetur, ubi ΑΙΑΣ ΜΑΝΙΩΔΗΣ *Aiax inſaniens* fixis humi oculis ſuper ſaxum ſedet, qualis a Sophocle (*f*), & Q. Smyrnaeo (*g*) verſibus exprimitur.

Sequitur num. 91. columna ſive pila quadrata, qua indicari Aiacis monumentum prope promontorium Rhoeteum, ut Q. Smyrnaeus (*h*), & Strabo (*i*) tradunt, Fabrettus ſuſpicatur. In naufragio Ulyſſis, ut Pauſanias ſcribit (*k*), aquarum vi Achillis arma proiecta ſunt ad Aiacis ſepulcrum, cui iure debebantur.

At num. 92., cum mutilata ea faſcia ſit, neque ullae litterae videantur, quae nam res exprimatur coniici ſolum ex ſerie fabulae, atque ex iconibus licet. Itaque cum inde Eurypilus a Neoptolemo interfectus occurrat, illic veri eſt maxime ſimile, rem aliquam fortiter ab Eurypilo geſtam repraeſentatam fuiſſe: ne excellens is dux cum virtute, tum genere, hinc a ſtirpe Laomedontis, illinc Herculis (*l*) prognatus, ex conflictu ſolum, quem habuit cum Neoptolemo, atque ex occaſu ab inſpicientibus anaglyphum cognoſceretur. Id vero planius ex icone, quae ſequitur, retinetque manu arcum ſub eodem num. 92. compertum cuique eſſe poteſt. Nireus enim videtur, qui primus omnium ab Eurypilo ferro transfixus concidit (*m*). Singulari ſpecie vir Nireus, at nimis timidus, atque ignavus, ut Homerus (*n*), & Q. Smyrnaeus (*o*) tradunt, cum arcu tantum exprimitur; quemadmodum repraeſentari imbelles ſolent, atque imprimis ab Homero Teucrus (*p*), quod ad pu-

(*a*) *Odyſſ.* lib. xxiv. verſ. 76.
(*b*) Lib. iiI. verſ. 727.
(*c*) *Bell. & excid. Troian.* num. 50. Vid. Q. Smyrn. lib. iiI. verſ. 763.
(*d*) Vid. *Odyſs.* lib. xi. verſ. 549., & Sophocl. *Aiax Maſtigophor.* verſ. 1363.
(*e*) Tzetz. *Chil.* iiI. verſ. 266.
(*f*) *Aiax Maſtigoph.* verſ. 312.
(*g*) Lib. v. verſ. 328.
(*h*) Ibid. verſ. 654.
(*i*) *Geograph.* lib. xiii. pag. 890. al. 595.
(*k*) *Attic.* lib. I. cap. 35.
(*l*) Q. Smyrn. lib. vi. verſ. 135.
(*m*) Ibid. verſ. 372.
(*n*) *Iliad.* lib. iI. verſ. 675.
(*o*) Lib. vii. verſ. 8.
(*p*) *Iliad.* lib. viii. verſ. 226.

ad pugnam ſtatariam minus idoneus eſſet, atque Hectorem, ut Euſtathius (*a*) animadvertit, formidaret. Fingit vero Dio Chryſoſtomus (*b*), Chironem ab Achille obiurgatum fuiſſe, quod ipſum doceret ſagittandi artem propriam timidorum. Num. 93. columna innixus videtur miles miſerans Nirei caſum, ac alius miles pone columnam prae timore conſiſtit: ille fortaſſe ſcutifer Nirei, hic Machaon, qui cum ſuccurreret, ac Nireo ſubſidium ferret ab Eurypilo interfectus eſt (*c*). Uterque in eodem monumento ſepulti

Ἀμφοτέροις ταυτὸν περὶ σῆμ' ἔβαλοντο, (*d*)

Ambobus unum circumdederunt monimentum;

qua fortaſſe columna monumentum indicatur. Traditum autem a Leſche in parva Iliade memoriae eſt, ut Pauſanias (*e*) teſtatur, Machaonem ab Eurypilo exanimatum fuiſſe.

ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΣ *Neoptolemus* Achillis filius, & *Eurypilus* ΕΥΡΥΠΙΛΟΣ alter alteri occurrens diu acriter inter ſe dimicarunt (*f*). At Neoptolemus num. 94. haſta, qua uſus Achilles fuerat, in mento defixa Eurypilum interfecit (*g*), quem poſt Memnonem pulcherrimum omnium fuiſſe Homerus (*h*) ſcripſit. Hoc Neoptolemi facinus Ulyſſes in ſuam retulit Necyomantiam (*i*): quod prae ceteris rebus ab eo praeclare, fortiterque geſtis Achilli narraret.

ΟΔΥΣΣΕΥΣ, ΔΙΟΜΗΔΗΣ num. 95. *Ulyſſes*, & *Diomedes Palladium* ΠΑΛΛΑΣ ſecum ferentes clam Troiae portis foras erumpunt: quod factum uni Diomedi, Euripides (*k*), & Conon, teſte Photio (*l*), attribuerunt. Athenis, ut Pauſanias ſcribit (*m*), uterque pictus conſpiciebatur: Διομήδης ἦν καὶ Ὀδυσσεὺς· ὁ μὲν ἐν Λήμνῳ τὸ Φιλοκτήτου τόξον, ὁ δὲ τὴν Ἀθηνᾶν ἀφαιρούμενος ἐξ Ἰλίου: *Diomedes erat, & Ulyſſes, hic e Lemno Philoctetae arcum, ille vero ex Ilio Palladium ſurripiens*. Itaque in pleriſque priſcis lapillis, gemmiſque unus Diomedes cum Palladio inſculptus cernitur. In noſtro anaglypho Diomedes ille eſt, qui Palladium geſtat, eumque Ulyſſes ſequitur. Quamobrem iis Poëtis, qui utrique huiuſmodi factum tribuunt, anaglyphi ſculptor aſſenſus eſt. Virgilius quoque (*n*), & Q. Smyrnaeus (*o*) idipſum tradunt: quod ita intelligendum eſt, ut Diomedes forti animo Palladium ſuis manibus abſtulerit; illius autem raptus ſuaſor, hortatorque fuerit Ulyſſes. Hic tamen apud Ovidium dicit ſe rapuiſſe Palladium (*p*), & ſolummodo participem conſilii Diomedem facit, quod extremi excidii Troiae praeludium fuit. Plinius eiuſdem ſeu hiſtoriae, ſeu fabulae in phiala caelatae ſic meminit (*q*): *Ulyſſes, & Diomedes Palladium ſurripientes caelatura Pytheae*.

ΔΟΥ-

(*a*) Pag. 272.
(*b*) Orat. LIX.
(*c*) Q. Smyrn. lib. VI. verſ. 408.
(*d*) Idem lib. VII. verſ. 16.
(*e*) *Laconic.* lib. III. cap. ult. in fin.
(*f*) Q. Smyrn. lib. VIII. verſ. 80.
(*g*) Ibid. verſ. 199.
(*h*) *Odyſſ.* lib. XI. verſ. 521.
(*i*) Homer. ibid. verſ. 518.
(*k*) *Rheſ.* verſ. 501.
(*l*) Narrat. 34.
(*m*) *Attic.* lib. I. cap. 22.
(*n*) *Aeneid.* lib. II. verſ. 163.
(*o*) Lib. X. verſ. 350.
(*p*) *Metamorph.* lib. XIII. verſ. 336.
(*q*) Lib. XXXIII. cap. 12.

ΔΟΥΡΗΟΣ ΙΠΠΟΣ num. *96.* *ligneus equus*, de quo praeclari hi habentur Virgilii verſus (*a*):

. . . . Fracti bello , fatiſque repulſi
Ductores Danaûm tot iam labentibus annis
Inſtar montis equum divina Palladis arte
Aedificant , ſectâque intexunt abiete coſtas .
Votum pro reditu ſimulant : ea fama vagatur .
Huc delecta virûm ſortiti corpora furtim
Includunt caeco lateri , penituſque cavernas
Ingentes , uterumque armato milite complent .

Lignei huius equi artifex , teſte Homero (*b*) , Epeus : conſulente tamen, atque Epeo opem ferente Minerva , ut apud Tryphiodorum (*c*) , Q. Smyrnaeum (*d*) , atque Virgilium legimus . Id autem confictum videtur , ut cognoſci poſſit , Troianos voluntate potius Deorum , quam calliditate Graecorum fuiſſe deceptos . Pictus in celebri Virgilii Codice Vaticano eiuſmodi equus cernitur . Introrſus fuiſſe Heroas viginti , quos nominatim appellat , idem Tryphiodorus (*e*) memorat : at multo plures ſaepe laudatus Smyrnaeus (*f*) .

ΤΡΩΑΔΕΣ, ΚΑΙ ΦΡΥΓΕΣ *Troades* , & *Phryges* , ΠΡΙΑΜΟΣ *Priamus* , qui ceteros antecedit , ΑΝΑΓΟΥΣΙ ΤΟΝ ΙΠΠΟΝ *introducunt equum* Troiam num. 97. Ita Smyrnaeus (*g*) :

. . . σφίσι πῆμα πτόλιν ἔργον Ἐπειοῦ
Πανσυδίῃ μογέοντες ἀνείρυον .
. . . ſtructuram Epei ſibi ipſis nocumentum ad urbem
Catervatim laborantes promovent .

Eſt auctor Fabrettus , viros a ſculptore vocari *Phryges* , feminas autem *Troades* ; nam hae quoque praeſto fuerunt attrahentibus equum viris , ut apud Virgilium (*h*)

. . . circum pueri , innuptaeque puellae
Sacra canunt , funemque manu contingere gaudent .

Num. 98. ΣΙΝΩΝ *Sinon* ligatis ad tergum manibus , ut ait etiam Q. Smyrnaeus (*i*) , in urbem deducitur ; quem conſultius Virgilius vinculis ſolutum dicit (*k*) iuſſu Priami , antequam equus exportaretur .

Exhibetur num. *99.* *Porta Scaea* , & *Caſſandra* ΣΚΑΙΑ ΠΥΛΗ , ΚΑΣΣΑΝΔΡΑ , de qua Virgilius (*l*) :

. . . fatis aperit Caſſandra futuris
Ora Dei iuſſu non umquam credita Teucris .

Nondum introducto equo ſculptor , contra vero Tryphiodorus (*m*) , Q. Smyrnaeus (*n*) , atque Virgilius (*o*) iam intro in urbem translato , Caſſandram Troianis incredulis quamocyſſime futurum patriae excidium vaticinantem expreſſe-

(*a*) *Aeneid.* lib. II. verſ. 13.
(*b*) *Odyſſ.* lib. XI. verſ. 522.
(*c*) Verſ. 56.
(*d*) Lib. XII. verſ. 142.
(*e*) Verſ. 151.
(*f*) Lib. XII. verſ. 311.
(*g*) Ibid. verſ. 425.
(*h*) Lib. II. verſ. 238.
(*i*) Lib. XII. verſ. 413.
(*k*) Lib. II. verſ. 146.
(*l*) Ibid. verſ. 246.
(*m*) Verſ. 187.
(*n*) Lib. XII. verſ. 525.
(*o*) Loc. cit.

preſſerunt. Praeterea ſibi fingit idem Virgilius (*a*) immanem huiuſmodi molem Graecos conſtruxiſſe,

Ne recipi portis, aut duci in moenia poſſit;

quamobrem apud eumdem Virgilium Aeneas de ſuis inquit (*b*),

Dividimus muros, & moenia pandimus urbis

introducendi equi cauſſa. Interſciſſum fuiſſe Troiae murum etiam Q. Smyrnaeus (*c*) dicit. Sed in anaglypho integro muro introrſus oppidum equum videmus; quod a ſuis tribus Poëtis fortaſſe traditum fuiſſe ſculptor percepit. Enimvero etiam Tryphiodorus (*d*), & quidem magis poëtice, ut Barthius ait (*e*), portas numine Divorum, Iunonis, & Neptuni, ampliores ſubito factas ſcripſit.

Sculptor ita ſeriem rerum diſtribuit, ut completis faſciis ea, quae ad urbis direptionem pertinent, media in area anaglyptici operis ſui collocaret. Contigiſſe eam direptionem fere die 27. menſis, quem Graeci Thargelionem vocant, Latini Aprilem, in vita Camilli Plutarchus docet; indicatque Virgilius (*f*) ſcribens Aeneam comparata claſſe everſae Troiae campos tunc reliquiſſe, quum

. . . . *vix prima inceperat aeſtas.*

Undique turribus, altiſque moenibus Troia, ut vides, cingitur; quam inprimis ob cauſſam (*g*) illuſtris fuit: ita ut omnia deinde aedificia in magnam altitudinem conſtituta appellari a Graecis *Pergama* conſueverint (*h*).

En num. 100. ΔΟΥΡΗΟΣ ΙΠΠΟΣ *ligneus equus* prope templum n. 101. Minervae, ut Tryphiodorus (*i*) cenſet. Multa nocte, ut ait Virgilius (*k*):

Incluſos utero Danaos, & pinea furtim
Laxat clauſtra Sinon, illos patefactus ad auras
Reddit equus, laetique cavo ſe robore promunt,
Demiſſum lapſi per funem.

Contra Q. Smyrneus (*l*), & anaglyphi ſculptor eos per ſcalam equo admotam deſcendentes exhibent. Exſtat apud Winckelmannium (*m*) gemma ex fragmentis compoſita, in qua ex incluſis Graecis nonnulli deſcendere per funem, alii per ſcalam videntur. Animadvertit autem idem Winckelmannius, gemmam illam quintum eſſe monumentum, in quo Troianus equus, atque ex eo deſcendentes Graeci repraeſentantur: reliqua quatuor eſſe noſtrum anaglyphum, gemmam a Liceto vulgatam, picturam cod. Vaticani Virgilii, aliamque Muſei Herculanenſis picturam. Praeterea portam, quae in latere equi reſerata conſpicitur, multifariam a Graecis appellari.

Ante Minervae templum num. 102. Caſſandram videt Fabrettus expoſcentem vindictam pro facto cum ipſa ſtupro ab Aiace Oilei filio num. 103. Coroebus num. 104. aram tenens ab uno ex Graecis diſtricto gladio occiditur, de quo Virgilius (*n*):

. . . . *primuſque Coroebus*
Penelei dextra divae armipotentis ad aram
Procumbit.

Q. Smyr-

(*a*) Lib. II. verſ. 187.
(*b*) Ibid. verſ. 432.
(*c*) Ibid. verſ. 432.
(*d*) Verſ. 324.
(*e*) Ad verſ. 11. ſylv. I. lib. I. Stat.
(*f*) Lib. III. verſ. 8. *Aeneid.*
(*g*) Horat. lib. IV. od. 6. verſ. 3., Propert. lib. II. eleg. 7. verſ. 30.
(*h*) Serv. ad verſ. 99. lib. I. *Aeneid.*
(*i*) Verſ. 432.
(*k*) *Aeneid.* lib. II. verſ. 258.
(*l*) Lib. XIII. verſ. 51.
(*m*) *Monumenti antichi &c.* num. 140. p. 188.
(*n*) Lib. II. verſ. 424.

Q. Smyrnaeus inducit Coroebum fortuito occurrentem inter praeliandum Diomedi, atque ab eo docet haſta transfixum (*a*). Leſches quoque tradidit, Coroebum a Diomede, alii vero a Neoptolemo interfectum fuiſſe, ut apud Pauſaniam legimus (*b*). Fabretto autem non aſſentior, qui inde colligit, anaglyphi ſculptorem Poëtis Graecis praeferre Virgilium maluiſſe. Non enim explorate conſtat, rem eamdem traditam non fuiſſe a Steſichoro, atque ab Arctino. Conſulto autem a ſculptore exprimitur Coroebi nex poſt Caſſandrae factum; quod ille paullo ante, Caſſandrae amore captus, Troiam venerat (*c*).

Sequitur ſecunda areae anaglyphi pars. Cernito cum in dextero latere, tum in ſiniſtro templum, ac prope ea templa a Graecis interfici inermes, ac ſeminudos, ut ceteri omnes Troiani in hac deſcriptione exhibentur, Troianos duos; quod hos multa iam nocte ſomno oppreſſos adorti Graeci fuiſſent. Dextero ſub templo legitur ΙΕΡΟΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ *templum Veneris*, ac prope templum mulier fere dormiens videtur. Hac de muliere apud Fabrettum, alioſque, qui iſtiuſmodi anaglyphum explicarunt, ne verbum quidem. At ego Helenam exhiberi cenſeo, cui in quiete viſa eſt Venus, quae illi praediceret, mox Graecos Troiae imperio potituros. Tryphiodorus igitur, ut multa praeclare, ſic id exprimit (*d*):

Ἀργείη δ' Ἑλένη πολιὸν δέμας ἀσκήσασα
Ἦλθε δολοφρονέουσα πολυφράδμων Ἀφροδίτη,
Ἐκ δὲ καλεσσαμένη προσέφη πειθήμονι φωνῇ·
Νύμφα φίλη, καλέει σε πόσις Μενέλαος. ἀγήνωρ,
Ἵππῳ δουρατέῳ κεκαλυμμένος· ἀμφὶ δ' Ἀχαιῶν
Ἡγεμόνες λοχόωσι τεῶν μνηστῆρες ἀέθλων.

At Venus in canum corpus mutata Lacaenae
Adſtitit, arguta compellans voce puellam.
Pulchra tuus te Nympha vocat Menelaus in alvo
Clauſus equi, procerum lecta cum parte, ducumque,
Qui pro te circum bellantes moenia Troiae
Suſtinuere graves nocteſque dieſque labores.

Animadvertendum autem hoc loco eſſe videtur, Troianos coluiſſe Venerem genitricem: quam ob cauſſam repraeſentare eam corpulentiorem conſueverunt. Iſtiuſmodi ſpeciem cognoſci ex illo idolo arbitror poſſe, quod paucis ab hinc annis Romae ad laevam arcus Conſtantini, in Caelio monte, via ad S. Gregorii, in vinea Marchionis de Cornovaglio repertum eſt. En iſtiuſmodi idolum, aere nunc primum inciſum, in cuius baſi haec legitur inſculpta inſcriptio:

ΑΠΟ ΤΗϹ
ΕΝ ΤΡΩΑΔΙ
ΑΦΡΟΔΙΤΗϹ
ΜΗΝΟΦΑΝΤΟϹ
ΕΠΟΙΕΙ

Inter

(*a*) Lib. XIV. verſ. 168.
(*b*) *Phocic.* lib. X. cap. 27.
(*c*) Virg. lib. II. verſ. 341., Pauſan. ibid.
(*d*) Verſ. 442.



Nic. Mogalli del. et Sculp.

Inter utrumque templum exhibetur porticus regiae Priami, quem num. 106. Neoptolemus, apprehenſis ſiniſtra capillis, gladio transfigit. Adoleſcentes hic, atque illic iacent exanimati duo. Simili ſunt forma, ac Neoptolemus, alii duo milites Graeci, qui ad ea templa confugientes Troianos quoſdam alios interficiunt. Quamobrem idem fortaſſe Neoptolemus ubique locorum repraeſentatur, qui, ut Leſches a Pauſania laudatus (*a*) prodidit, Politem *ante ora patris*, ut ait Virgilius (*b*), ac reliquos tres Priami filios, priuſquam Priamum adoriretur, occidit. Animadvertit Fabrettus, ſculptorem anaglyphi hac etiam in re exhibenda Virgilium, non autem Leſchen ſequutum auctorem fuiſſe. Sic enim Virgilius habet de nece (*c*), quam Priamo Neoptolemus intulit:

. . . . altaria ad ipſa trementem
Traxit, & in multo lapſantem ſanguine nati,
Implicuitque comam laeva, dextraque coruſcum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit enſem.

Iam vero, etſi Leſches, ut ſcribit Pauſanias (*d*), tradat, Priamum non ad Iovis Hercei aram fuiſſe trucidatum, ſed ab ea abſtractum, atque interfectum; hinc tamen nullatenus ſequitur, neque a Steſichoro, neque ab Arctino idipſum traditum fuiſſe, quod Virgilius ſcripſit, & quod vulgo pro comperto fuiſse habitum probatur ex Pauſania (*e*); is enim narrat, Neoptolemum, occiſo ad focos Hercei Iovis Priamo, Delphis poſtea ad aram Apollinis iugulatum fuiſſe, & hinc in proverbium veniſse, ut ſi quis eadem patiebatur, quae perpetraverat, pati diceretur Neoptolemi ultionem.

ΑΙΘΡΑ *Aethra* num. 107. Theſei mater a *Demophonte* ΔΗ., & ab Acamante illius nepotibus diſtinetur. Capite raſo exprimitur, qualem, teſte Pauſania (*f*), Polygnotus pinxit, ut ſervilem eius, in quam inciderat, conditionem ſignificaret. Nam Helenae famulari coacta eſt; quam fortaſſe ob cauſſam prope Helenam poſita hic eſt. Fuſe Q. Smyrnaeus (*g*) de Aethra nepotibus fortuito occurrente agit: idque Troiae, ut in anaglypho repraeſentatur, contigiſſe ait. Sed Leſches, ut auctor eſt Pauſanias (*h*), ſcripſit, Aethram ad caſtra Graecorum fugiſſe; & ubi nepotes patris ſui matrem eſſe compererunt, Demophoontem ab Agamemnone, ut ſibi redderetur, petiiſſe.

Alio in latere ΑΙΝΗΑΣ *Aeneas* n. 108. armatus Anchiſem patrem obteſtatur, ut patrios Deos Penates in aedicula occluſos ipſe teneat. Hac de re quid memoriae mandaverint Graeci ſcriptores, ignoramus; mirifice tamen mea opinio Virgilii auctoritate confirmatur, apud quem Aeneas ſic patrem alloquitur (*i*):

Tu genitor cape ſacra manu, patrioſque Penates;
Me bello e tanto digreſſum, & caede recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Quis nam vero ſit armatus ille Graecus Aeneae, atque Anchiſi, ut videtur, obvians: quidque poſt hunc aliae duae icones indicent, quarum una virum exhibet mulieri necem minitanti, ne coniicere quidem audeo.

Tom. IV. Yy Unus

(*a*) *Phocic.* lib. x. cap. 27.
(*b*) Lib. II. verſ. 331. *Aeneid.*
(*c*) Ibid. verſ. 550.
(*d*) Loc. cit.
(*e*) *Meſſeniac.* lib. IV. cap. 17.
(*f*) *Phocic.* lib. x. cap. 25.
(*g*) Lib. XIII. verſ. 504.
(*h*) Loc. cit.
(*i*) Lib. II. *Aeneid.* verſ. 715.

Unus Aeneas regia ſtirpe generatus ſeſe de manibus furentium Graecorum eripuit. En ille num. 109. portis foras egreſſus, Anchiſem ſenem patrem humeris invehens: en coniux, quam Euridicen Leſches (*a*) nominavit, Virgilius vero Creuſam: en Aſcanius, quem Aeneas pater dextera, Aeneam vero Mercurius galero tectus ſiniſtra deducit, ſubſcriptis nominibus ΑΓΧΙΣΗΣ, ΑΣΚΑΝΙΟΣ, ΑΙΝΗΑΣ, ΕΡΜΗΣ, *Anchiſes*, *Aſcanius*, *Aeneas*, *Mercurius*. Penates Deos in aedicula, quo vocabulo eiuſmodi capſula à Servio (*b*) exprimitur, collocatos Anchiſes manibus tenet; quae aedicula rotunda eſt tholi inſtar, non autem quadrata, ut in pictura Herculanenſi (*c*).

Extra moenia Troiae ſiniſtrorſum *Hectoris tumulus* ΕΚΤΟΡΟΣ ΤΑΦΟΣ num. 110. muro circumcinctus, medioque in tumulo ſcutum leonis ſymbolo ornatum. Non a Graecis modo, ſed etiam a Romanis monumenta ad religionem ſepulturae muro, aut foſſa circumvallari conſueviſſe compertum eſt. A Graecis quidem, quod multis in locis Pauſanias (*d*) teſtatur: a Romanis vero ut ex veteribus inſcriptionibus apud Fabrettum (*e*), nec non ex ruderibus ſepulcrorum, quae exſtant, noſtris oculis plane, dilucideque cognoſcimus. Praeterea inſignia tumulis apponebantur, teſtibus locupletibus Homero (*f*), atque Virgilio (*g*): ac plerumque quidem leones, veluti Herculei roboris ſymbolum, ut animadverſum a Ptolemaeo Hephaeſtione fuit (*h*). Sed hoc in ſepulcro leo animi magnitudinem, atque virtutem Hectoris indicare videtur. Id enim leo, ut ſcribit Pauſanias (*i*), mirifice oſtendit.

Stans prope Hectoris tumulum num. 111. *Talthybius Troianas mulieres* humi ſedentes elate alloquitur. ΤΑΛΘΥΒΙΟΣ ΚΑΙ ΤΡΩΑΔΕΣ, quarum duae repraeſentantur: ΑΝΔΡΟΜΑΧΗ *Andromacha* puerulum complectens, & ΚΑΣΣΑΝΔΡΑ *Caſſandra*. Cum his conſidet adoleſcens pileo Phrygio tectus. Hic eſt ΕΛΕΝΟΣ *Helenus*, qui una cum Andromacha in mancipium deductus Neoptolemi fuit. Polygnotus quoque (*k*) ſimiliter pinxit mulieres Troianas captivas, atque lugentes, inque iis Andromacham, cui filius lac ſugens adhaerebat, & maximo maerore affectum Helenum ſedentem.

Alio in latere tumuli ΕΚΑΒΗ num. 112. *Hecuba* complectitur Polyxenam ΠΟΛΙΞΕΝΗ pro victima Achilli devotam: tum exhibetur *Andromacha* ΑΝΔΡΟΜΑΧΗ ſine filio Aſtyanacte, iam perempto; deinde *Helenus* ΕΛΕΝΟΣ, cumque eo alloquens, ut videtur num. 113. *Ulyſſes* ΟΔΥΣΣΕΥΣ. Cenſuit Fabrettus, Ulyſſem exhiberi praedicentem Hecubae neceſſum eſſe, ut Polyxenam immolandam tradat. At ego Ulyſſem mallem loquentem cum Heleno, qui ad ſingulare certamen eum provocarat (*l*).

Accurate num. 114. Polyxenae ſacrificium expreſſum cernimus. ΠΟΛΙΞΕΝΗ *Polixena* in area *tumuli Achillis* ΑΧΙΛΛΕΩΣ ΣΗΜΑ iugulatur a *Neoptolemo*, ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΣ; & adeſt ſedens eius ſacrificii auctor Ulyſ-

(*a*) Pauſan. *Phocic.* lib. x. cap. 26.
(*b*) Ad verſ. 225. lib. II. *Aeneid.*
(*c*) Tom. IV. Tab. XXXV.
(*d*) *Arcad.* lib. VIII. cap. 4. & 16., *Corinthiac.* lib. II. cap. 29.
(*e*) Ad hanc Tabul.
(*f*) *Odyſſ.* lib. XI. verſ. 77., & lib. XII. v. 14.
(*g*) *Aeneid.* lib. VI. verſ. 232.
(*h*) Lib. II. *Bibl. Phot.* cod. 190.
(*i*) *Boeotic.* lib. IX. cap. 40.
(*k*) Pauſan. *Phocic.* lib. x. cap. 25.
(*l*) Pauſan. *Eliac. prior.* lib. v. cap. 22., Beger. *Bell. & excid. Troian.* num. 64.

Ulyſſes ΟΔΥΣΣΕΥΣ (*a*). Seorſum ab area pone Ulyſſem ſtat ΚΑΛΧΑΣ *Calchas*, qui cum ſacerdos eſſet, non interfuit tamen nefando illi ſacrificio, ſacerdotis munere fungens. Ait enim Euripides (*b*) filium Achillis Neoptolemum eius ſacrificii ſacerdotem deſignatum fuiſſe. Verum, ut conſulto ſcribit Ovidius (*c*),

. . . ipſe etiam flens, invituſque ſacerdos
Praebita coniecto rupit praecordia ferro.

Adminiſter cum urceolo adeſt Neoptolemo: ex quo intelligi par eſt, eiuſmodi ſacrificium factum publica auctoritate fuiſſe. Negat Philoſtratus (*d*) eſſe ſcriptoribus, qui haec narrant, adhibendam fidem; ſed imprudenter. Vidit enim Pauſanias (*e*) & in arce Athenarum, & Pergami Polygnoti opus repraeſentans Polyxenae immolationem. Idipſum in Etruſco monumento inſculptum conſpexit Gorius (*f*): & in quatuor gemmis Baronis Stoſchii Winckelmannius (*g*), quarum etiam unam edidit, quam impolite inciſam Gravellius iam vulgarat, ac diligentius P. Scarfò delineandam, incidendamque curaverat: ſed is in ea exhiberi Lucretiam, admiſſumque a Tarquinio facinus, perperam exiſtimavit.

In ſummo Achillis tumulo eſt icon muliebri, quantum cognoſci ex eiuſdem exilitate poteſt, veſtitu ornata: idque animadverſum a Tertulliano (*h*) fuit. Ait enim collocatam in eo tumulo fuiſſe Achillis ſtatuam *muliebri habitu, ac veſtitu*. Indignum Achille id eſse Fabrettus cenſet. Quamobrem eſse mavult Polyxenae iconem, quae ſepulcro Achillis illata fuit, ut Auſonius in illius epitaphio, quod fortaſse Graecum Latine vertit, teſtatur. Eſt autem huiuſmodi (*i*):

Troas Achilleo coniuncta Polyxena buſto
Malueram nullo ceſpite functa, tegi.
Non bene diſcordes tumulos miſcetis Achivi:
Hoc violare magis, quam ſepelire fuit.

Sed bona cl. viri cum venia anima profecto Achillis repraeſentabatur: quae ſuper illius ſepulcrum, teſte Euripide, apparuit, Polyxenam ſibi a Priamo promiſsam petens (*k*).

Apud *Sigaeum* Promontorium ΣΙΓΑΙΟΝ num. 116. *ſtationem navium Achivorum* ΝΑΥΣΤΑΘΜΟΝ ΑΧΑΙΩΝ num. 115. inſculptam cernis. Ad Sigaeum fuiſse portum, prope Scamandri oſtia, longe a Troia ſtadiis xx., Strabo (*l*) tradit. Turris conſpicitur, quae portum tutum ab hoſtibus reddebat, quo deinde loco arcem exſtructam fuiſse Strabo teſtatur. Legimus vero apud Herodotum (*m*), iam olim Sigaeum, atque Achillaeum munita duo oppida fuiſse, & eorum primi imperium Athenienſes, Achillaei autem Mitylenaeos obtinuiſse. In noſtro anaglypho ΣΙΓΑΙΟΝ, non autem ΣΙΓΕΙΟΝ, ut in Suidae Lexico legitur. Non eſse librarii mendum inde percipi poteſt: quod recte, ut ordo litterarum poſtulat, vocabula in eodem Lexico deſcribantur.

(*a*) Vid. Iohan. Malala *Chronograph.* lib. v. pag. 46., Dyctes Cretenſ. *de bello Troian.* lib. v. cap. 13.
(*b*) *Hecub.* verſ. 223.
(*c*) *Metamorph.* lib. XIII. verſ. 479.
(*d*) In vita Apollon. lib. IV. cap. 5., *Heroic.* cap. 20.
(*e*) *Attic.* lib. I. c. 22., & *Phocic.* lib. x. c. 25.
(*f*) *Muſ. Etruſc.* Tab. CXLI.
(*g*) *Monum. antichi &c.* num. 144.
(*h*) *De pallio* cap. 63.
(*i*) Carm. 243., & inter epitaph. heroum num. 26.
(*k*) *Hecub.* verſ. 137.
(*l*) *Geogr.* lib. XIII p. 890. edit. Almeloveen.
(*m*) Lib. v. cap. 94.

Fuga tandem Aeneae repraeſentatur navi in Italiam vecti, quo fata eum vocabant, ut abſumpta Troia Romae ad maiorem quidem ſplendorem, atque auctoritatem reviviſceret. Inſculpta haec verba: ΑΠΟΠΛΥΟΣ ΑΙΝΗΟΥ *navigatio Aeneae* rerum, quae poſtrema in parte anaglyphi exhibentur, generalem eſſe titulum puto; non autem, uti Fabretto viſum eſt, illa alia ΑΙΝΗΑΣ ΣΥΝ ΙΔΙΟΙΣ ΑΠΑΙΡΩΝ ΕΙΣ ΤΗΝ ΕΣΠΕΡΙΑΝ num. 117. *Aeneas cum ſuis contendens in Heſperiam*. Porro animadvertas volo, nomina quoque excellentiorum virorum, qui ſimul cum Aenea navem conſcenderunt, apponi: ΑΓΧΙΣΗΣ, ΚΑΙ ΤΑ ΙΕΡΑ, *Anchiſes*, *&* *ſacra*, quae ille in aedicula ſervabat, quam utraque manu retinet. ΜΙΣΗΝΟΣ *Miſenus* num. 119. cum remo, atque pendente ab humero tuba, in littore exſpectans, quoad num. 118. per pontem Anchiſes ſenex, Aeneas, atque Aſcanius puer, quem Aeneas dextera deducit, ſiniſtra interim Anchiſem iuvans, navem a Troianis retentam conſcendant. Fabrettus cenſuit, extremae huius etiam partis deſcriptionem ſculptorem non a Graecis Poëtis Steſichoro, Arctino, & Leſche, ſed ſive a Q. Smyrnaeo (*a*), apud quem Calchas Aeneae futuram a Xantho ad Tiberim migrationem, Romanique Imperii amplitudinem, atque dignitatem praenuntiat, ſive a Virgilio accepiſſe. Aſt equidem non video, cur non Leſchi, ſin minus Steſichoro, atque Arctino, ſibi ea effingere licuerit, quae Smyrnaeus finxit. Vixit profecto etiam Leſches, cum Romani totius iam orbis terrarum imperio potiebantur.

(*a*) Lib. xiii. verſ. 334.





EXPLICATIO

TAB. LXIX.

IN antiquiſſimum, praeſtantiſſimumque Muſivum opus, lapillis in varios colores tinctis adeo parvulis compoſitum, ut ex iis centum ſexaginta in qualibet pedis Romani uncia contineantur; adeoque egregio artificio elaboratum, ut inde ſcientiam, quam opticen dicimus, & ad ſummum noſtra aetate perductam videmus, ſatis explorate perceptam cognitamque veteribus quoque fuiſſe [quod nonnulli negarant] plane ad veritatem conſtet. Prope Tibur, cum rudera villae Hadriani Caeſaris, inquirendorum veterum monumentorum cauſſa, iuſſu ſumptuque Ioſephi Alexandri Furietti Bergomatis doctrinae, eruditioniſque laude clariſſimi viri, tunc laudatiſſimi in Romana Curia Praeſulis, deinde S. R. E. Cardinalis, excavarentur, anno 1737. repertum eſt. Atque in ea quidem villa factos numquam cavos fuiſſe accepimus, quin nonnulla vetuſta, eaque praeclara monumenta extraherentur. Nam Hadrianus cum meditatus eſſet villam exſtruere, quae ſuperiorum Imperatorum aedificia tabulis, ſtatuis, picturis, omnibuſque optimis rebus praeſtaret, infinitam pene pecuniam in eius ſumptus erogavit, optimiſque artificibus ſtatuariae, picturae, & architectonices uſus eſt. Quod ei ſane facillimme contigit: horum enim collegia in pleriſque urbibus provinciarum inſtituerat (*a*), ut certius noſceret, qui vir quiſque artifex eſſet, quantaque virtute valeret. Praeterea erat ipſe iis artibus eruditiſſimus, & ſaepe cum laudatis artificibus familiariter verſabatur (*b*). Porro etſi quam plurima, eaque

(*a*) Aurel. Victor. *Epitome* pag. 204.

(*b*) Vid. Spartian. in vita Hadriani pag. 7. edit. in fol., & pag. 8., Aurel. Vict. loc. cit. pag. 203., Xiphilin. pag. 257.

eaque pretioſa operis antiqui monumenta inde effoſſa ſunt, multa tamen praeterea ſub immenſis ruderibus etiam nunc latere ex Spartiano colligimus (*a*). Scribit enim is auctor, Hadrianum mirabili flagraſse cupiditate, ut ob oculos ſemper haberet quaecumque in pleriſque regionibus exſtare admiranda, vel ipſe peragrato orbe viderat, vel apud Scriptores legerat. Quo factum eſt, ut agro villae aſſignato ambitu ter circiter mille paſſuum in partes diſtributo, cuique parti nonnullarum provinciarum nomina impoſuerit, & celeberrima orbis terrarum aedificia, & locos ipſos poenarum, atque voluptatum, quos eſſe apud inferos Poëtae commenti fuerant, in ea villa conſtituerit, propriiſque vocabulis nominarit. *Tiburtinam*, inquit Spartianus (*b*), *villam mire exaedificavit, itaut in ea & provinciarum, & locorum celeberrima nomina inſcriberet, velut Licaeum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Poecilen, Tempe vocaret; & ut nihil praetermitteret, etiam Inferos finxit*.

Itaque hac in villa, quae nunc Hadriana, & Eſtenſis, primi domini, aut poſtremi nomine, appellatur, ſingulare huiuſmodi muſivum, ut initio diximus, repertum, veluti centrum erat pavimento muſivi operis, ex lapillis paullo maioribus quidem, ſed exquiſitioribus facto, inſertum. Hinc autem iam inde probabilis coniectura ſubiit, collocatum in centro pavimenti propter operis, non autem lapillorum praeſtantiam fuiſſe: ac praeterea cum huic muſivo tantum, non autem reliquis circum poſitis lapillis, atque etiam muſivis aliorum cubiculorum marmoris albi laminam ſubiectam, ac quaſi ſubſutam Furiettus vidiſſet, fuiſſe illud aliunde in Hadrianam villam exportatum, veri ſimile exiſtimavit. Enimvero qui fieri potuiſſet, ut brevi temporis ſpatio tam ſingulare opus, variis, ſelectiſſimis, minimis, ac pene innumerabilibus lapillis perficeretur? Scimus enim Hadriani aetatem a villae exaedificatione non ultra quadriennium protractam fuiſſe. His autem poſitis, cum nihil tam huic muſivo aptum, conveniens, congruenſque foret, quam id, quod Plinius de celeberrimo muſivo Pergami in lithoſtrato templi facto a Soſo ſcribit, ipſiſſimum hoc eſſe, Hadriani iuſſu Pergamo allatum, Soſi laudatum opus idem Furiettus cenſuit (*c*).

Sed Winckelmannius (*d*) cum ſuas tantum rationes probet, totum id acriter reprehendit. Opponit, Hadrianum fuiſſe admodum deditum ſuperſtitionibus, & nationem Graecorum coluiſſe, eorumque nonnulla templa exaedificaſſe quidem aut reſtituiſſe, non autem expoliaſſe. Praeterea hoc vult perſuadere, quod improvidum, & ſumptuoſius fuiſſet, Pergamo quamdiligentiſſime, ut neceſſum erat, exportare Tibur muſivum minimis lapillis compoſitum, & ornatus quoque pavimenti reliquos non exportare. Poſtremo ſibi fingit, quod, probata Furietti ſententia, eodem iure dici poſſet Pergamo Tibur exportatum fuiſſe muſivum in eadem villa repertum, ex quo Alexander Albanus Cardinalis abacos duos ornavit, nec non ex aliqua urbe Graecorum illa muſiva duo ſimilis operis a Dioſcoride Samio facta, quae ſub

(*a*) In vita Hadriani pag. 9.

(*b*) Ibid. pag. 13., Tertullianum in Apolog. Hadrianum vocat *curioſitatum omnium exploratorem*. Vid. Suidam in v. Ἀδριανός, & Tzetz. *Hiſt.* lib. xxxiv. chil. 2.

(*c*) *De muſivis* cap. 2. pag. 32.

(*d*) *Trattato preliminare* pag. 96.

ſub ruderibus vetuſtiſſimi aedificii prope Pompeiam, veluti centrum impoliti pavimenti, latebant [quo loco Claudius Caeſar villam fortaſſe habebat].

At hae Winckelmannii rationes ita ne probari cuiquam poſsunt, ut cum Furietti coniecturis comparatae exprimant aliquid, quod ad verum prope accedat? Ac Myſiae fuit quidem Pergamum, non autem Graeciae oppidum. Quis autem dicat idolum fuiſſe hoc muſivum, in quo columbae quatuor variis modis in labro vaſis aqua pleni exhibentur, ita ut religione Hadrianus permotus non eſſe alio exportandum cenſere debuerit? Ridiculum quoque eſt, planeque ſapientis gravitate indignum dicere, Imperatori Romanorum ſumptuoſius fuiſſe, ex tam longinqua regione opus huiuſmodi Tibur afferre; nec video quidem, cur alia quoque templi Pergameni muſiva exportari debuiſſent. Pretioſa ea quoque, ſi quae erant, ac ſingularia fuiſſe, unde Winckelmannius novit? Sed fortaſſis, nec ulla erant, eſt enim plane integrum, perfectumque hoc noſtrum muſivum, ita ut non indigeret, ut praeterea aliis muſivis late circum exornaretur. De Albanis, Pompeiiſque muſivis, qualiacumque illa ſint, ſic habeto: nullum afferri poſſe argumentum, quo allata ea fuiſſe ex Graecia colligas; multa vero, ut diximus, quibus inde allatum muſivum noſtrum veri eſſe ſimile oſtendas. Quid? Winckelmannius concluſum faſciis marmoreis in Hadriana villa hoc muſivum repertum fuiſſe ſcribit, quin vera narret; repertum eſt enim averſa ejus parte ſupra fornicem poſita marmore albo obducta, ex quo dilucide colligitur, fuiſſe ita proviſum, ut maſſa, cui inhaeret, quamvis natura ſua tenaciſſima, firmior eſſet, & longe a diſruptionis periculo intacta aſportaretur. Praeterea alto ſilentio premit reliquum pavimentum, in cuius medio hoc muſivum exſtabat, conſtaſſe totum ex nobilioribus lapillis, unde colligitur, iiſdem hoc tribui non poſſe muſivariis; quis enim ſibi perſuadeat eoſdem artifices in nobiliori pavimenti parte uti voluiſſe lapillis magis vulgatorum marmorum? Haec ſane caliginem offundendi veteribus monumentis, non autem illorum illuſtrandorum ratio eſt. Quod ſi labefactare Furietti opinionem Winckelmannio cura erat, alias proferre cauſſas debuiſſet, ob quas ſubiecta noſtro muſivo lamina marmorea, non autem ceteris, fuiſſet, atque horum eſſent lapilli praeſtantiores. Itaque Furietti rationes, etſi probabiles tantum, verique ſimiles ſint, adhuc tamen vim omnem ſuam contra Winckelmannium obtinent. Sed recitandum eſt Plinii teſtimonium (*a*), ut cognoſcere quiſque poſſit, muſivum a Furietto repertum, inque Muſeo Capitolino ſervatum, ſin minus illud ipſum Soſi ſit; eiuſdem ſane ſimillimum exemplum eſse Hadriani Imperatoris iuſsu perfectum. *Pavimenta*, inquit ille, *originem apud Graecos habent, elaborata arte, picturae ratione, donec lithoſtrota expulere eam. Celeberrimus fuit in hoc genere Soſus, qui Pergami ſtravit, quem vocant Aſaroton oecon, quoniam purgamenta coenae in pavimento, quaeque everri ſolent, veluti relicta, fecerat parvis e teſſerulis, tinctiſque in varios colores. MIRABILIS IBI COLVMBA BIBENS, ET AQVAM VMBRA CAPITIS INFVSCANS: APRICANTVR ALIAE SCABENTES SESE IN CANTHARI LABRO.*

Hoc

(*a*) Lib. xxxvi. cap. 25. ſect. 60.

Hoc inſigne muſivum, quo praeſtantius nullum, ſi opticae ſcientiam, qua perfectum fuit, ſpectes, ſi marmoreorum calculorum minutatim conciſorum numerum, & varietatem conſideres, ſi totius operis contempleris elegantiam, pluries in aereis variae magnitudinis tabulis inciſum vulgatum eſt: & paucis ab hinc annis illius exemplum accuratiſſimum ſumptibus cl. Biuthii nobilis Angli ex ea vitrea materia, qua hodie muſiva componi ſolent, egregie Romae confecit Pompeius Savinius, quod in Angliam ann. 1772. translatum fuit.



IN-



Jo. Caſſini. In.

INDEX AC BREVIS DESCRIPTIO
MONUMENTORUM
QUAE AERE INCISA APPOSITA SUNT AD ORNATUM VOLUMINIS.

PRimum ſchema, ante frontem voluminis impreſſum, exhibet Arcum triumphalem, de quo pluribus agitur pag. 39. in Explicat. Tab. XI. & XII.

Frons ipſa voluminis ornatur Capitolii proſpectu, qua parte exſtant aedes, in quibus vetera Muſei monumenta ſervantur.

Praefationi numiſma Clementis XII. praeponitur, eidem Pontifici Max. applaudendi cauſſa cuſum; quod tantum opus non excogitarit modo, ſed etiam magnam partem ſingulari magnificentia perfecerit, ſelectis quamplurimis veteribus omnis generis monumentis Capitolinum collem nobilitans.

Pag. 1. Pulcherrimum repraeſentatur vas, quod inventum fuit in urna Alexandri Severi incluſum. Iam de imaginibus in eadem urnā inſculptis in Explicatione Tabulae I. egimus. Hoc autem vas ex plaſtica violacea ita fulgente eſt fictum, ut amethiſtus videatur; & ſane haud temere coniici poteſt, in eo Alexandri Severi cineres poſitos fuiſſe, imagineſque circuminſculptas ad eumdem Imperatorem pertinere. At negat Michaël Angelus Chauſeus (*a*), qui idem vas aere inciſum vulgavit, & omnium tum temporis firmatam conſenſu opinionem fuiſſe ſcribit, ad Alexandrum Magnum non autem ad Alexandrum Severum eiuſmodi imagines referri oportere. Ego vero ſic exiſtimo: eam opinionem inde profectam fuiſſe, quod in vaſe ſeminuda ſedens mulier in ſinu tenere draconem exhibeatur. Nam indicare quidem Olimpiadem videtur, quae ex concubitu cum Iove Hammone Alexandrum Magnum, ut eſt in fabulis, concepit. Verum Comitis Hiero-

(*a*) *Muſ. Rom.* Tab. LV. LVI. LVII. pag. 29.

Hieronymi Tetii (*a*) propius accedere ad veritatem opinionem puto: repraeſentari nimirum Iuliam Mammaeam, quae, ut Lampridius (*b*) tradit, *pridie quam* Alexandrum Severum *pareret*, *ſomniavit*, *ſe purpureum draconem parere*. Iamvero idipſum colligi ex arbore prope eamdem mulierem appoſite inſculpta planius poteſt. Teſte enim eodem Lampridio (*c*), quo die editus Severus in lucem fuit, in huius domo lauri ramulus ortus anni unius ſpatio ita crevit, ut Perſica longe grandior eſſet: quare complures coniectarunt, fore ut ille Perſas vinceret. Iuvenis autem ille nudus, Mammaeae parturienti brachium porrigens, Alexander Magnus fortaſſe eſt, in cuius templo apud Arcenam in lucem editus Severus fuit (*d*), atque ob eam cauſſam Alexander appellatus. Contra ad pedes Mammaeae vir cernitur provecta aetate. Hunc Temporis, quod omnibus animantibus dat ortum, eſſe figuram Tetius arbitratur. Quid? Nonne probabilius repraeſentare poterit virum Mammaeae Varium, qui in idem templum, natalitiorum Alexandri Magni celebrandorum cauſſa, venerat? Genius tandem ſponſaliorum praeſes, qui, ut ethnici credebant, cum animorum concordiam perpetuo foveret, auctor erat fecunditatis, fortaſſe ille volans Cupido eſt, qui arcum, & facem accenſam retinet.

Alia vero vaſis pars Severi mortem, cuius indicium inſculpta ibidem arbor facile praeſtat, exhibere videtur. Idem enim tradit Lampridius (*e*) inter omina mortis Severi, laurum ingentem, & antiquam, cum proficiſceretur ad bellum, & arbores fici tres ante illius tentorium, ſubito decidiſſe. Iacens prope arborem ſuper acervum lapidum ſeminuda mulier dici Mammaea poteſt, quae interfecta una cum Severo filio fuit; eiuſque mortem indicat fax, quam ſiniſtra manu inverſam tenet. Tali namque ſymbolo, nempe inverſa face, veteres ad mortem ſignificandam uti conſueviſſe, plane conſtat. Neque mirandum eſt, primas in huiuſmodi ſculptura Mammaeae deferri. Nam Alexander Severus, ſi quid magni momenti fieri oporteret, nihil umquam aggrediebatur, niſi matrem conſuleret. Quare ad huius pedes fere ſedens iuvenis exiſtimandus idem Alexander videtur. Fortaſſe utri exſtructum a Romanis Mauſoleum fuit, inque eodem ſarcophago utriuſque conditi cineres; idque ex Capitolino ſarcophago, in quo huiuſmodi vas erat, colligi praeterea poteſt. Utriuſque imago in illius ſarcophagi operculo inſculpta cernitur; ſed Mammaea primas tenet. Difficilius eſt autem coniectare, cuiuſnam figura ſit, quae ſtat pone Mammaeam laeva in haſtam innixa. Vult Tetius, eſſe viri aetate provecti; eaque indicari Romanum Imperium arbitratur. Aere inciſa apud Cauſeum figura mulieris mihi potius, quam viri videtur. Archetypum non vidi, & idcirco rem in incerto relinquam. Attamen animadvertere iuvat, in ea figura repraeſentari poſſe Britanniam, quod ibi milites, rebellione facta, Alexandrum Severum, & Iuliam Mammaeam trucidaverunt.

Imo vaſe ſemifigura, more feminarum barbararum induta, comparet, manum prope ad os afferens. Illam Cau-

(*a*) *Aedes Barberinae* pag. 27.
(*b*) In vita Alexandri Severi. Inter Scriptor. *Hiſt. Aug.* pag. 118. edit. in fol.
(*c*) Ibid.
(*d*) Vid. Lamprid. ibid. pag. 115.
(*e*) Ibid. pag. 135.

Cauſeus ſcribit Attydi eſſe ſimilem. Sed Tertius Philoſophum in ea exhiberi arbitratur, qui aut viatoribus ſilentium indicat, ne Manibus Imperatoris ibidem conditi moleſtiae ſint, aut de eiuſdem virtutibus cogitet. Mihi autem veri eſſe ſimilius videtur, Druiadem illam ſacerdotiſſam exprimi, quae Alexandro Severo expeditionem Britannicam ineunti, barbarice dixit: *Vade, nec victoriam ſperes, nec militi tuo credas* (*a*).

Pag. 9. Ante Explicat. Tabul. V. VI. VII. & VIII. Nummi Graeci, iique inſignes, conſpiciuntur tres cum Iove puero a tribus Curetibus occultato: de quibus egimus pag. 15. & 16.

Pag. 19. Ara quadrata ſatis perite ſculpta, quae exſtat in atrio Muſei Capitolini, ornamento eſt Explicationi Tabulae IX. Primo in latere cernitur mulier ſedens, dextera manu navis clavum tenens, cornucopiae ſiniſtra. Contrapoſito in latere ſimilis clavus, praefericulum, & patera. In duobus reliquis geminum cornucopiae, interpoſito caduceo taeniis alligato. Dubium eſſe nemini debet, huiuſmodi Aram Fortunae dicatam fuiſſe. Nam & clavum, & cornucopiae ethnici Fortunae attribuebant; quod haec, ut ipſi opinabantur, omnia, terra marique, gubernaret, ac moderaretur, hominibuſque ubertatem, atque felicitatem praeſtaret. Τὸ δὲ πηδάλιον, inquit Dio Chryſoſtomus (*b*), δηλοῖ, ὅτι κυβερνᾷ τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ἡ τύχη· τὸ δὲ τῆς Ἀμαλθείας κέρας μηνύει τὴν τῶν ἀγαθῶν δόσιν τέ καὶ εὐδαιμονίαν. *Clavus ſignificat, a Fortuna regi vitam hominum; cornucopiae vero exprimit largitionem bonorum, atque felicitatem.* Multis in nummis Fortuna cum iiſdem ſymbolis, clavo navis, & cornucopiae, ac ſaepius quidem ſtans, illius inconſtantiae, mobilitatiſque deſignandae cauſſa, repraeſentatur. At hic ſedet; forte, quod ille, qui Aram dicavit, ſtabili Fortuna frueretur, confideretque propitiam ſibi perpetuo futuram. Iam vero caduceum alio in latere inſculptum, Fortunam cauſſam eſſe oſtendit belli, & pacis, ut laudatus Dio Chryſoſtomus docet (*c*): Αὕτη, inquit, πολεμούντων μὲν ἐστὶ νίκη, καὶ εἰρήνην ἀγόντων ὁμόνοια. *Ipſa quidem belligerantium eſt victoria, & pacem procurantium concordia.*

Haec Ara, tamquam baſis, modo ſuſtinet praeſtantiſſimam ex alabaſtrite orientali integram columnam, altam palmis Romanis viginti, latam duobus, & ſemis, quae Clemente XI. Pontifice Max., prope Tiberim, ad radices Aventini montis, in hortis Ducis Sfortiae reperta fuit, ut Ficoronius ſcribit (*d*).

Pag. 27. Explicationem Tab. X. ornant nummi duo Graeci praeſtantiſſimi Hadriano Imperatore cuſi, de quibus egimus pag. 32.

Pag. 39. Explicat. Tabul. XI., & XII. quatuor nummi Fauſtinae Minoris apotheoſim exhibentes praeponuntur. Confer quae diximus pag. 49.

Pag. 50. Vides anaglyphum hoc loco aere inciſum, quod nunc exſtat in atrio Muſei Capitolini, olim vero in platea *di Pietra* appellata, unde effoſſum, exſtabat. In eo mulier ſtans bipen-

(*a*) Vid. Lamprid. in vita Alexandri Severi pag. 135.

(*b*) Orat. LXIII. pag. 591. edit. Federici Morellii. Vide etiam Orat. LXIV. pag. 593.

(*c*) Orat. LXIII. pag. 590. cit. edit. Federici Morellii.

(*d*) *Le veſtigia di Roma antica &c.* lib. I. cap. 22.

bipennem ſiniſtra tenet; ſcriptumque VNGARIA in inferiore parte legitur, quod ab eo, qui anaglyphum iuſſu noſtro delineavit, animadverſum non fuit; in ſuperiore autem: IMPERII ROMANI PROVINCIA. At iſtiuſmodi inſcriptio recens inſculpta videtur. Aliquem ex arcubus triumphalibus tum hoc marmore, tum aliis eiuſdem generis ornatum fuiſſe exiſtimo.

Pag. 51. Quartum latus Arae, cuius reliqua tria latera praecipue notatu digna ob oculos ponunt Tabulae XIII. XIV. & XV.

Pag. 57. Quadrata Ara, cuius exemplari initium Explicationis Tabulae XVI. ornandum curavimus, effoſſa fuit ſub Aventino monte prope Tiberim, atque a Franciſco Ficoronio Clementi XI. Pontifici Maximo dono data. Cum huius iuſſu in Bibliotheca Vaticana collocata fuiſſet, inde in Muſeum Capitolinum, Clemente XIII. Pont. Max., exportatam vidimus. Primo in latere exhibetur ſimulacrum Cybeles in ſella ſuper navim collocata ſedentis, quam navim matrona deducit. Facile cuique eſt iudicare, exprimi Claudiam Quintam virginem Veſtalem, quae in oſtio Tiberis Cybelem ab Attalo Rege Pergami Romanis traditam, atque Peſſinunte Romam navi advectam, omnium prima excepit. Id a compluribus Scriptoribus monumentis mandatum litterarum, in ſingulari quoque numiſmate Fauſtinae Maioris, ſervato in Muſeo Vaticano, expreſſum cernitur (*a*).

Franciſcus Ficoronius (*b*), cum eam Aram aere inciſam vulgaſſet, de rebus tantum, quae ad Claudiam pertinent, ſibi differendum eſſe exiſtimavit. Verum maiora, ni fallor, ex inſcriptione colligenda ſunt: Romanos quidem non Cybelem modo, quae tunc ipſis ſalutaris fuerat, ſed etiam ipſam navim, qua advecta illa in urbem fuit, figuris, atque inſcriptionibus coluiſſe: non ſecus ac eius navis ope de manibus hoſtium ereptam Rempublicam intelligerent, quod tuto Cybelem advexiſſet. Huius enim Numinis praeſidio acies hoſtium profligarunt; ut ex libris Sibyllinis praenorant futurum.

Muratorius cenſet (*c*) in appoſita inſcriptione dictionem NAVISALVIAE non eſſe dividendam in duas, indicareque quoddam numen *Naviſalviam* appellatum. Verum contra huiuſmodi opinionem pugnat, quod ibidem bis legitur *Salviae* nomen. Inde enim plane colligitur, *Salviam* fuiſſe nominatam navim, cui Ara fuerat dedicata. Quae ſane vox non aliunde deducenda videtur, quam ex verbo *ſalvere*, ideſt reddere ſalutem, ſeu a *ſalvando* [quod idem ſignificat] ut Scipioni Maffeio placuit (*d*). Huiuſmodi explicatio vim obtinet ex nomine loci, ubi S. Paullus Apoſtolus martyrio perfunctus eſt. Nam cum ante id tempus *ad guttam iugiter manantem* diceretur, deinde a Chriſtianis ei tributum vocabulum *ad aquas Salvias* fuit, quod Apoſtoli merito eaſdem aquas aegrotis ſalutares evaſiſſe creditur. *Salviam* quoque latine, italiceque eamdem ob cauſſam fruticem illum nominamus, quo complures morbi curantur. Quare Agrip-

pa,

(*a*) Vid. Ridulphin. Venuti *Antiqua numiſm. Card. Alexand. Albani &c.* Tab. XXVII. num. 3.

(*b*) *Le veſtigia di Roma antica &c.* lib. I. cap. 22.

(*c*) *Nov. Theſaur. Inſcript.* pag. XCVIII. n. 3. Vid. pag. MCMLXXXVIII. num. 5.

(*d*) *Muſ. Veron.* pag. XC.

pa, Aëtio teſte (*a*), Salviam ἱερὰν βοτάνην *ſacram herbam* appellavit, addiditque Nicander (*b*) ἀλθεέης *ſalutarem*; ut Graecus Scholiaſta clarius explicat, ſcribens: ἀλθήεντα δὲ τὸν εἰς ὑγείαν λαμβανόμενον, *ſalutarem*, *quia illius uſus affert ſanitatem*. Neque vero, quod SALVIAE bis in inſcriptione legatur, lapicidae erratum iudico, ſed conſulto bis ſculptum, clarius manifeſtandi cauſſa, eam imprimis navem eſſe colendam, quod fuerit Reipublicae mirifice ſalutaris.

At enim: cur Claudia Syntiche Cybeli, & Navi monumentum poſuit? Coniectando, reſpondeo: quod forte ex ſtirpe Claudiae Quintae eſſet generata, aut quod tunc temporis prima Veſtalium eſſet, quibus miranda eius navis deductio maximo ornamento, atque honori fuerat. Supra laudatus Scipio Maffaeius (*c*) in hac opinione verſari videtur. Sed quaecumque monumenti ponendi cauſſa fuerit; id ſatis cognitum eſt, Claudiam Syntichem ſollicitam maiorem in modum fuiſſe colendi publice Cybelem, & navem Salviam. Nam aliud iiſdem, etſi nullis ſculpturis ornatum, monumentum poſuit eodem in loco, quo Ara haec quadrata inventa eſt, a cl. viro Franciſco Blanchinio Muſeo Veronenſi, ubi ſervatur, dono datum. In eo monumento legitur inſcriptio huiuſmodi (*d*):

NAVI SALVIAE ET
MATRI DEV. D. D
CLAVDIA SINTI

Poſtremo animadvertendum eſt, votum, quod in Ara legitur, etſi multis poſt Claudiam Quintam annis ibi ſcriptum, illud ipſum iudicandum eſſe, quod Cybeli, navique Salviae priſci Romani ob acceptum beneficium nuncuparunt.

Pag. 67. Anaglyphum expreſſum initio Explicationis Tabulae XVII., ſervatur in Muſeo Capitolino, haerens parieti, ſupra feneſtram cubiculi, quod Herculis ab eius ſtatua appellant. Repraeſentat Vulcani officinam, in qua, praeter Minervam armatam, cernuntur bellatores ſcutati tres. Hi fortaſſe ſunt Achilles, Memnon, & Aeneas, quorum arma a Vulcano fabricata fuiſſe Mythologi ſcribunt. Mulieres duae, quas in extremo anaglypho vides, dici Thetis, & Aurora poſſunt, quarum hortatu arma Achillis, & Memnonis Vulcanus perfecit. Scio, Venerem deeſſe, quae Vulcano iuſſit, ut Aeneae arma faceret. At fortaſſe anaglyphum imperfectum eſt.

Pag. 77. De Ara Capitolina, qua Tabulae XVIII. Explicatio decoratur, diximus pag. 80. Placet hoc loco animadvertere, in poſtremo inſcriptionis verſu, quem Pighius, ut adnotavit Gruterus (*e*), exſcribere omiſit, Tiberium Claudium Felicem, eiuſque filium Alipum appellari milites *Calbienſes* cohortis tertiae. Honoris militaris cauſſa, ita appellatos fuiſſe primum putabam. *Calbeos* enim, ſive *Calbium* genus eſt armillarum, quibus donari ſolebant milites, qui ſtrenue pugnaſſent. *Calbeos*, inquit Feſtus (*f*), *armillas dicebant*, *quibus triumphantes utebantur*, *& quibus ob virtutem milites donabantur*. Quare veri mihi eſſe ſimile videbatur, eos, qui Aram dicarant, ſe dixiſſe *Calbienſes*, ut poſteri

(*a*) *Tetrabibl.* lib. I.
(*b*) *Theriaca* verſ. 84.
(*c*) Loc. cit.
(*d*) Vid. Ficoron. *Veſtigia di Roma &c.* p. 149. Maffaeius loc. cit.
(*e*) *Inſcript.* pag. xxxvi. num. 1.
(*f*) *De verbor. ſignific.* lib. iii. in v. *Calbeos*.

ri huiuſmodi decus eis tributum ſcirent, uſoſque fuiſſe Graeco vocabulo *calbeos*, non autem *armilla*, propterea quod Palmyreni eſſent, quae natio graece magis, quam latine loquebatur, uti pag. 82. oſtendimus. Verum cum diligentius hac de re inquirerem, opinionem Thomae Hyde (*a*) propius accedere ad veritatem, comperiebam. Is enim Calbienſes appellatos fuiſſe incolas Calbii montis prope montem Libanum cenſuit, omnium Orientalium fortiſſimos, atque valentiſſimos. Itaque a Palmyrenis cohortem ex iis, tantae virtutis cauſſa, fortaſſe conſcriptam fuiſſe coniicere licet. Sed, ut plura, ac meliora de duobus Palmyrenis anaglyphis, & inſcriptionibus in Muſeo Capitolino adſervatis addiſcas, adi doctam ſane, ac ſcitu dignam Reverendiſſimi P. Auguſtini Antonii Georgii amice eum conſulenti mihi miſſam epiſtolam, quam ad calcem huius voluminis placuit omnino in publicam lucem emittere.

Pag. 86. Nummus Palmyrenus a Pellerinio vulgatus (*b*), & a nobis pag. 82. laudatus; ad huiuſce Explicationis finem ponitur.

Pag. 87. Tabulae XIX. Explicatio praeſefert inſignium trium gemmarum ſchemata, quarum duae exhibent Herculem a Cupidine ſuperatum, tertia cicurem a Cupidine redditum leonem, quae in Muſeo Magni Ducis Etruriae ſervantur (*c*).

Pag. 90. Finis autem eiuſdem Explicationis ornatur Ara ab oppido Albano in Muſeum Capitolinum anno 1743. delata. Nihil aliud in ea inſculptum eſt, niſi Hercules & cervam capiens, & ſtymphalidas interficiens, & quieſcens.

Pag. 91. Tabulae XX. Explicationi praeponitur praeſtantiſſimus nummus aureus, a nemine adhuc expoſitus, de quo diximus pag. 93.

Pag. 95. Gemma ex earum genere, quae *Corniole* appellantur, hoc loco ante Explicationem Tabul. XXI., & XXII. exhibetur, quam a cl. viro Paullo Alexandro Maffaeio (*d*) excerpſimus, quaeque Mercurium capro inſidentem repraeſentat. Vid. pag. 97.

Pag. 99. In fronte Explicationis Tabulae XXIII. unum ex lateribus urnae Capitolinae ibidem delineatae repraeſentatur, in quo miles perſpicitur tuba canens, & Amazon ex equo cum pedite pugnans.

Pag. 106. Amazon a milite capta alio in latere urnae eiuſdem inſculpta.

Pag. 107. Urnae in Tab. XXIV. delineatae operculum, de quo p. 113.

Pag. 114. Inſculpti in lateribus eiuſdem urnae Griphes duo, & intermedium candelabrum, de quibus pag. 113.

Pag. 115. Operculum urnae ob oculos poſitae Tab. XXV., de quo in eadem pag. mentionem fecimus.

Pag. 127. Praemittitur Explicationi Tabul. XXVI. XXVII. & XXVIII. ſarcophagus ſervatus in aede S. Mariae in Aventino.

Pag. 142. Satyri perſona affabre inſculpta finem huius Explicationis ornat, in Capitolino Muſeo ſervata.

Pag. 143. Praeſtantiſſimi aurei nummi, quorum unus ad Diocletianum, alius ad Maximianum pertinet, praemittuntur Explicationi Tab. XXIX. De his conſule quae diximus p. 145.

Pag. 149. Explicat. Tab. XXX. Commodi Numiſma Aureliopoli cuſum. Videſis pag. 155.

Pag. 157.

(*a*) *Relig. veter. Perſar.* pag. 491. & 492.
(*b*) *Recueil des medailles* Tom. II. Planch. LXXX. num. 65.

(*c*) Tom. I. Tabul. XXVIII. num. 4. & 5., & Tom. II. Tab. I. num. 1.
(*d*) *Gemme antiche &c.* Par. II. Tab. LXXXII.

Pag. 157. Ad Explicationem Tabulae XXXI. exhibentur Ventorum variae poſitiones diligenter adnotatae in monumento via Appia an. 1759. reperto, copioſeque a cl. viro Paullo Paciaudio (*a*) ex Ord. Theatinorum illuſtrato.

Pag. 165. Ad Explicationem Tabul. XXXII. & XXXIII. anaglyphum marmor adhuc non editum, quod a Collegio Anglorum Romae poſſidetur. Liberi in eo triumphus, & tractus a Centauris duobus currus, quorum unus ſenex, alter iuvenis. Hinc ea, quae pag. 167. adnotavimus de Centauris Libero potiſſimum attributis, clarius cognoſci, comprobarique poſſunt.

Pag. 169. Celebris Praeneſtina Biremis in ara marmorea inſculpta, olim Praeneſte apud loci dominos Principes Barberinos, modo vero in Muſeo Vaticano ſervata, eſt ornatus Explicationis Tab. XXXIV. Vulgavit eam, atque illuſtravit Winckelmannius (*b*). A nobis rurſum vulgatur, quod multis in locis in eadem Explicatione de illa diximus.

Pag. 181. Ad Explicationem Tabulae XXXV. Apri Calydonii venatio exprimitur, quam pag. 182. & 186. laudavimus.

Pag. 189. Ad Explicationem Tabulae XXXVI. feminuda ſedens mulier exhibetur perſonam inſpiciens [quomodo exprimitur anaglyphi, de quo agitur, figura] inciſa in gemma [*corniola*] a Franciſco Ficoronio (*c*) publicata.

Pag. 191. Ad Explicationem Tabulae XXXVII. Dianae votivum ſacrificium, quod in arcu Conſtantini inſculptum cernitur. Ex apri appenſo ad arborem capite comprobantur, quae de eiuſmodi capitibus pag. 194. ſcripſimus.

Pag. 195. Ad Explicationem Tabulae XXXVIII. Iſidis caput ex ipſo anaglypho hac Tabula expreſſo diligentius delineatum. Legeſis pag. 196.

Pag. 197. Ad Explicationem Tabulae XXXIX. Pietas militaris, ut eruditis viris viſum eſt, inſculpta in gemma, quae ſervatur in Muſeo Mediceo (*d*).

Pag. 201. Ad Explicationem Tabulae XL. Anaglyphum, quod exſtat in palatio Barberinorum, laudatum in eadem pag. 201. Cum longe plures contineat figuras, quam comprehendi exigua in lamina poſſint, tantum qua parte anaglypho Capitolino, de quo agimus, eſt ſimile, exhibetur.

Pag. 205. Ad Explicationem Tabulae XLI. Gemma a Paullo Alexandro Maffaeio (*e*) edita, in qua inciſum eſt votum Aeſculapio, & Hygiae, impetrandae ſanitatis cauſſa factum, ut ex inſcriptione Σωζετέ με plane intelligitur.

Pag. 207. Ad Explicationem Tabulae XLII. Deforme anaglyphi Capitolini fragmentum, in quo Victoria curru vehitur, & pone Victoriam figurae cernuntur duae.

Pag. 209. Ad Explicationem Tabulae XLIII. parva eſt Muſei Capitolini ara, in cuius primo latere Cybele ſedet inter leones duos, ac papaverem dextera manu tenet, ſiniſtra tympanum. Aliis in lateribus eſt patera, & praefericulum.

Pag. 213. Ad Explicationem Tabulae XLIV. Nummus Domitiae exhibens Caeſaris Domitiani apotheoſim; quem nummum laudavimus in hac eadem pagina.

Pag. 217.

(*a*) *Monumenta Peloponneſia* §. VIII. Vol. I. p. 115.
(*b*) *Monumenti antichi &c.* pag. 273.
(*c*) *Maſchere ſceniche &c.* cap. 39. pag. 114.
(*d*) Vid. Gorium *Muſ. Florent.* To. II. Tab. LXII. num. 2. pag. 111.
(*e*) *Gemme antiche &c.* Par. II. Tab. LV.

Pag. 217. Ad Explicationem Tabulae XLV. gemma a Paullo Alexandro Maffaeio (*a*) in lucem edita, iuvenem repraeſentat geſtantem anaticulam: qua de gemma diximus pag. 218.

Pag. 219. Ad Explicat. Tab. XLVI. aſpicitur ſervatum in Muſeo Capitolino anaglyphum marmor veterum Chriſtianorum; in cuius dextera parte exſtat πϱοτομὴ conditi ibi hominis, circumſtantibus pueris tribus cum caniſtris plenis aut uvarum, aut pomorum: alio autem in latere pergula, ſubſtantibus Geniis alatis ſeptem, quorum alii uvas carpunt, alii comprimunt. De huiuſmodi imaginibus diligenter, eruditeque ſcripſit cl. Iohannes Bottarius (*b*), quem conſule.

Pag. 221. Ad Explicationem Tabulae XLVII. nummus Iuliae Piae Niceae cuſus, de quo videſis Spanhemium (*c*). Liber in eo a duobus Centauris curru vectus exprimitur. Ea, quae diximus pag. 223., hoc nummo comprobantur.

Pag. 227. Ad Explicationem Tabulae XLVIII. Gemma in Mediceo Muſeo (*d*) contenta exhibet Circenſem curſum, cuius ſimilis in noſtra expreſſus tabula videtur.

Pag. 231. Ad Explicationem Tabulae XLIX. Bacchans vir a Fabretto (*e*) vulgatus, quem pag. 232. laudavimus.

Pag. 235. Ad Explicationem Tabulae L. exhibentur figurae inſculptae in parva Ara Capitolina, quae ſuppoſita eſt veluti baſis ſimulacro Dianae Epheſinae. Candelabrum cum igne in ea repraeſentatur, & circumſtantes figurae, quarum duae tibias inflant.

Pag. 237. Ad Explicationem Tabulae LI. Argenteus Titi nummus pag. 240. a nobis indicatus.

Pag. 243. Explicationi Tab. LII., qua in tabula Andromede a Perſeo ſoluta conſpicitur, eadem fabuia praemittitur, ut in Herculanenſi Muſeo (*f*) picta ſervatur.

Pag. 247. Ad Explicationem Tabulae LIII. Endymionem exhibet gemma a Gorlaeo (*g*) edita, atque laudata a nobis pag. 248.

Pag. 251. Ad Explicationem Tabulae LIV. Hercules coronans ſeipſum, ut in numiſmate Muſei Vaticani (*h*), de quo diſſeruimus pag 252.

Pag. 257. Ad Explicationem Tabulae LV. latera ſarcophagi, cuius ibidem imagines explicamus. Vide, quae iis de lateribus diximus pag. 264.

Pag. 265. Ad Explicationem Tabulae LVI. Nummus Fauſtinae, quem laudavimus pag. 267.

Pag. 273. Ad Explicationem Tabulae LVII. Anaglypticum marmor, cuius figurae multum eminent, via Appia extra portam Capenam in vinea Bernardi Oliverii repertum. Vide quae de eodem ſcripſimus pag. 274. Graecam in eo inſculptam inſcriptionem cl. v. Iohan. Chriſtophorus Amadutius (*i*) vulgavit.

Pag. 281. Duo ex quatuor delphinis inſculptis circum labrum vaſis, de quo in Explicatione Tabulae LVIII. agitur.

Pag. 287.

(*a*) Ibid. Par. IV. Tab. LVIII.

(*b*) *Roma ſotterranea* Tom. I. pag. 48. 125. & 126.

(*c*) *De praeſt. & uſu numiſm.* Tom. I. p. 280.

(*d*) Vid. Gorium *Muſ. Flor.* Tom. II. Tab. LXXIX. pag. 126.

(*e*) *Inſcript. antiq.* cap. 4. pag. 429.

(*f*) Tom. IV. Tab. VII.

(*g*) *Dactyl.* num. 498.

(*h*) Vid. Bonarrot. *Oſſervazioni ſopra alcuni medaglioni &c.* Tab. VI. num. I.

(*i*) *Anecdot. litter.* Tom. II. pag. 469.

Pag. 287. Ad Explicationem Tabulae LIX. Gemmae a Gorlaeo (*a*) vulgatae duae. In his inciſa ſunt ſacrificia primitiarum Cereri oblata duo.

Pag. 291. Ad Explicationem Tabulae LX. Gemma fruges repraeſentans Libero oblatas puero, de qua conſule Montfauconium (*b*), & quae diximus pag. 293.

Pag. 297. Inciſae exhibentur ſculpturae, quibus Ara a nobis in Explicatione huius Tabulae LXI. illuſtrata circumcingitur. Videnda, quae p. 300. de iis diſſerimus.

Pag. 301. In aedibus Corſiniorum exſtat haec urna, quae inſpiciendum offert Chorum marinum, ſimilem illius, quem declaramus in Explicat. Tabulae LXII.

Pag. 307. Ad Explic. Tab. LXIII. E lateribus urnae Capitolinae, quae ibi illuſtratur, Tritones duos huc, elegantioris ornatus cauſſa, tranſtulimus.

Pag. 317. Ad Explicationem Tabul. LXIV. LXV. LXVI. & LXVII. Numiſma Antonini Pii in Muſeo Vaticano ſervatum, & nummus Aegyptius eiuſdem Imperatoris, de quibus copioſe diximus pag. 323.

Pag. 326. Finalis hic ornatus repraeſentat faſces Conſulares tres ex marmore, quod exſtat in atrio Muſei Capitolini.

Pag. 327. Ad Explicationem Tabulae LXVIII. Celebris ſculpturae repraeſentantis apotheoſim Homeri poſtrema pars. Circumdatus Virtutibus, atque Diſciplinis Homerus ſedet.

Pag. 356. Fragmentum Veronenſe, in quo exprimitur principium Iliadis, laudatum a nobis pag. 328., & 329.

Pag. 357. Ad Explicationem Tabulae LXIX. Vetus muſivum opus in Vaticano Muſeo nunc ſervatum, & olim in Tiburtina villa Hadriani repertum una cum muſivo exhibente columbas, de quo ibidem proponitur.

Pag. 360. Muſivum, extra portam Maiorem non longe ab aede SS. Petri & Marcellini repertum, ſervatumque in palatio Principum Corſiniorum, in quo bubulcus lapſus conſpicitur, & iugo iuncti boves duo. Aratri praeſertim conſideranda forma eſt.

Pag. 361. Huic quoque Indici ornatum praepoſuimus; ſchema nempe pulcherrimi aurei numiſmatis Aureliani, quod in noſtro ſcriniolo cuſtodimus. Hoc autem numiſma ſingulare quidem eſt, non modo quia nunquam pars illius poſtica aere inciſa fuit, ſed etiam propter eius integritatem, & pondus.

(*a*) *Dactyl.* num. 101. & 102.

(*b*) *Antiq. expliq.* Tom. I. Par. I. pag. 232.

Suppoſitus Tripus in marmore albo affabre, eleganterque perfectus, Tibure in villa Hadriani repertus, Muſei Capitolini atrium ingredienti recta occurrit. Comes Caylus [*Recueil d'antiquités* Tom.II. Planche LIII. p.161.] ipſum eſſe lydio ex lapide perperam ſcribit; diligenter tamen de eodem agit, & ſatis copioſe.



DE

DE PALMYRENIS INSCRIPTIONIBUS

QUAE

IN MUSEO CAPITOLINO ADSERVANTUR

INTERPRETANDIS

EPISTOLA

DE PALMYRENIS INSCRIPTIONIBUS

QUAE IN MUSEO CAPITOLINO ADSERVANTUR INTERPRETANDIS

EPISTOLA

F. AUGUSTINI ANTONII GEORGII

EREMITAE AUGUSTINIANI

AD ERUDITISSIMUM VIRUM

NICOLAUM CANONICUM FOGGINIUM

CORSINIANAE BIBLIOTHECAE PRAEFECTUM.

VEreor ego vehementer, FOGGINI praeſtantiſſime, ne me rei litterariae cenſores, iudiceſque graviſſimi acriter reprehendant, quod, quum exiguo me plane incultoque ingenio eſſe ſentiam, nec niſi levi tenuique orientalis eruditionis colore me norim imbutum, auſus nihilominus fuerim arduum prorſus, difficillimumque negotium aggredi, quale eſt Palmyrenas inſcriptiones interpretari. Nihil deinde eo arrogantius videri poterit, quam id conari velle, quod viri omnium maximi, ac ſapientiſſimi tamquam deſperatae molitionis opus inter ἀδύνατα deſerendum putarunt. Certe quidem ab eorum nemine ſcripta haec Palmyrenorum ſaxa hucuſque explicata ſunt.

Sed, quemadmodum inſanus eſſet rudis ille ſpeculator aſtrorum, qui ſe aequandum praeferendumve exiſtimaret aut Copernicis, aut Galilaeis, aut Carteſiis, aut etiam Caſiniis, atque Newtoniis, ſi ei, & loco, & tempore, & caelo ipſo faventibus, forte fortuna contingeret ſidus conſpicere novum, nulliſque hactenus ſuperioris aevi mortalibus viſum, ſic ego extremae inſaniae manibus me agitari putarem, quoties ob hanc unam, nimis fortaſſe ineptam, Palmyrenae ſphyngis explicationem, cum tot illis ſummis viris, qui eam intactam dereliquerunt, vel in infimo doctrinae, mentiſque acuminis gradu me comparandum, irato Deo, ſomniarem.

Quotquot fuere cauſſae, quae grandia illa litterarum lumina, Gruterum nempe, Sponium, Hydem, Renaudotium, Montfauconium, Gallandium, & magnum in primis Cardinalem Noriſium, alioſque dein ſive in Italia, ſive in Anglia, ſive in Germania, ſive etiam in Galliis, a noſtris hiſce tabulis interpretandis tamdiu deterruerunt, repeti omnino debent, non ab ulla profecto aut ingenii, aut doctrinae inopia; duo haec enim ſumma in ſummis viris erant; ſed ab infidis alienae manus deſcriptionibus, aliiſque id genus de tranſverſo intercurrentibus tricis; quae quanto maiorem in iis & mentis aciem, & eruditionis copiam repererant, tanto etiam maiorem vim habebant ad eorum prudentiam continendam, ne in huiuſmodi tam incertae, & incognitae ſcripturae ſaxa futiles demum coniecturas, inaneſque commentationes proferrent.

Iam, ut probe novimus, communis per id temporis, vulgariſque opinio de formis Palmyrenarum litterarum ignotis, ac fortaſſe etiam, ex Scaligeri ſententia, *ignorabilibus*, omnium ubique gentium animos occupaverat. Alii Arabicas, alii Phoenicias, alii Syriacas, alii denique incompertas, & arcanas pro ſua quiſque coniiciendi, divinandique ſollertia appellabant. Accedebat his varietas, & diſſonantia

tia pene incredibilis exemplarium, quorum non modo nullum ſimile inveniebatur archetypo, unde praedicabatur expreſſum, ſed & omnia tam diſſimilia inter ſe erant, ut eorum congeriem Polyſtratus cum Luciano *de imaginibus* colloquens multo verius, aptiuſque vocaſſet πολυειδές τι ... αὐτῷ ἀνθαμιλλώμενον, *multiforme quoddam ſibi ipſi adverſans*. Quid igitur conſilii caperent viri prudentiſſimi, niſi calamum, animumque retrahere ab eo ſcripturae genere interpretando, cuius elementa tam foede corrupta ac deformata in omnibus evulgatis *ecgraphis* repraeſentabantur, ut ad ea legenda, cognoſcendaque via omnis, & ratio videretur praecluſa?

Et utinam iſtorum veſtigia ſequi maluiſſet Samuel Petitus! Neque enim vir alioquin inſignis, & praeſtans tam abſonam, tamque ineptam prioris inſcriptionis *exegeſim* in epiſtola ad Peireskium edere decreviſſet, ut ea eſt, quae peritorum omnium iudicio tamquam infelix aberrantis imaginationis abortus meruit improbari. Simile prorſus infortunium ſubiiſſe viſus eſt ſcriptor longe eruditiſſimus, & a Relando miris laudibus exornatus, Iacobus Renferdius. Ut enim gubernator ſolet ad varios venti flatus clavum navis ex arte torquere, ſic ille novit ad varias exemplarium formas Palmyrenum mutare, & vertere alphabetum.

In hoc veluti obſcuriſſimi arcani ſinu litterae Palmyrenae iacebant ad an. uſque 1753., quo tempore praeclari nominis Angli Dawkinſius, Robertus Vood, & Bowerius reduces ex itinere, quod ad elegantiam Muſarum, bonarumque artium commodum in orientem ſolem ſuſceperant, *tredecim* Palmyrenas epigraphas maiori qua fieri poterat cura, diligentiaque deſcriptas in patriam detulerunt, eaſque mox typis editas in opere inſcripto: *les ruines de Palmyre* an. 1753. evulgarunt Londini. Harum *octo* totidem Graecis ex ordine cernebantur ſubiectae. Inde iidem ipſi eruditi Angli omnium principes animadvertere coeperunt, ex ſimplici ipſo inſcriptionum aſpectu, & poſitione ſatis perſpicue apparere, aliud eo loci non eſſe Palmyrenas quam nudas, ſimpliceſque interpretationes Graecarum.

Hoc uno ſatis certe ſplendido, fidoque lumine ductus vir in regia, eaque celebriori Gallorum Academia clariſſimus Abbas Barthelemyus, inſtituta mox comparatione inter utraſque Graecas, & Palmyrenas epigraphas, eaque paucis dein atque expeditiſſimis comprobata experimentis, mirum quiddam, quod ſpem ſibi magnam afferret perveniendi ad comprehenſionem arcani, ſub oculis exoriri repente vidit. Quid plura? Res ex ſententia ſucceſſit. Eo namque artificio ex collatis inter ſe geminae linguae inſcriptionibus, & ex quibuſdam agnitis barbaricis nominibus, quae Graecis adamuſſim reſpondebant, alphabetum Palmyrenum *intra biduum* compoſuit, illudque univerſae Academiae iudicio conſiderandum, perpendendumque obtulit pridie idus februarii ann. 1754. Hoc ipſum eſt, quod eodem prorſus anno Pariſienſibus typis publici iuris fecit in eo opuſculo, cui titulus eſt: *Reflexions ſur l'alphabet, & ſur la langue dont en ſe ſervoit autrefois a Palmyre Tab.I.* Vidit vir ſapiens, quid nonnulli fortaſſe ſuſpicaturi eſſent de tanta, quam dixerat, celeritate operis non ultra unius alteriuſve diei horas protracti; & ideo continuo ſubdidit, *puderet me rei huius meminiſſe, niſi perſuaſum mihi eſſet, ſummam adnotati temporis in abſolvendo opere brevitatem eo unice ſpectare, ut inventi facilitatem oſtendat. Ex his quae porro ſequentur lectores ipſi intelligent, me, quum haec dico, nec fucatae modeſtiae vultum ſimulare, nec ad problema de litteris Palmyrenis ſolvendum magnam requiri, ſed vel levem ſatis eſſe orientalium linguarum peritiam*. Sic ille; qui tandem omnem fere ſoluti aenigmatis ſortem ab eo lucis radio, quem ex Anglorum obſervationibus hauſerat, ſibi oblatam ingenuo gratoque animo profitetur. Quid ego? Huius egregii ducis exemplum, modeſtiam, & veſtigia ſequens Palmyrena elemen-

elementa, ſine veterum iniuria, diſcere, & ſtabilire connitar.

Quamquam paullo maiora, quam quae a Gallo ſcriptore, tentanda mihi eſſe intelligam. Duo Barthelemyus Palmyrena alphabeta condidit. Alterum, cuius iam memini: idque expanſum exſtat in Tab.I. poſt pag.12. laudati opuſculi: alterum, quod habes in Tab.III. poſt pag.26. Primum utpote deductum ex Anglicanis *ectypis*, Londini, ut ante dicebamus, evulgatis anni 1753, accomodatum eſt ad duas tantum legendas Palmyrenas inſcriptiones, quae paribus Graecis ſubtextae cernuntur Tab. II. ſub num. 2. & 4. ad pag. 18. Sed de hoc nihil ad me. Secundum eſt, quod totum ad rem noſtram pertinet. Agitur enim de inſcriptionibus Palmyrenis Muſei Capitolini. Ad has legendas alterum iſtud alphabetum Barthelemyus conſtruxit.

Ac primum quidem illius inſcriptionis lectionem daturus, quae ex Gruteri collectionibus orbi litterario innoteſcere coepit, idem omnino ſcripturae genus in hac ipſa Gruteriana epigraphe, quod in aliis Palmyrenis Anglorum ſtudio publicatis, ſe deprehendiſſe declarat, paucis tantum exceptis litteris, quae nonnihil diſſimiles videri poſſent. Sed iſtiuſmodi diſſimilitudines parum negotii faceſſere orientalium linguarum ſtudioſis, tamquam quid certum, & vulgo cognitum habet. Porro, etſi *Palmyrenorum linguam Syriacam* fuiſſe ſtatuat, *ſcripturam* tamen ex *Hebraicis*, *Syriaciſque* characteribus conflatam putat. Hinc de alphabeto ipſo loquens ait pag. 13. *on voit au premier coup d'œil qu' il participe de l'Hébreu, & du Syriaque*: & pag. 21. *inſcriptiones* omnes, quas prae manibus habebat, *Syriace, aut Chaldaice* exaratas dicit: *ſont toutes en Syriaque ou Chaldeen*. Verum, ne qualiſcumque illa varietas, qua nonnullae litterae Gruterianae Tabulae differre videbantur a litteris aliarum inſcriptionum, cuiquam offendiculo eſſet, neve, dum quis alphabetum ſuum ad eamdem legendam epigraphem accommodare percuperet, primo veluti obtutu deterritus ab incoepto deſiſteret, viam ei facilem, & accliivem praemonſtrare voluit. Itaque huius epigrammatis lectionem dedit verſis Palmyrenis in totidem Hebraicos characteres, quod hi, ut ad pag. 13. dixerat, multo notiores ſint quam Syriaci.

Exſtat haec Hebraica verſio in Tabula III. n.2., in qua tamen legenda opus eſt, ut teneas *lineolas* nonnullis litteris, & vocibus ſuper pictas *notas* eſſe *dubiarum*; *parentheſes* vero *aeque probabilium* lectionum ſigna. Atque haec ipſa eſt, quam Barthelemyus ſingulare appellat Gruteriani monumenti apographum ex variis inter ſe comparatis exemplaribus productum, omnium certe accuratius, & cui vix quicquam ad ſummam perfectionem deeſſe poſſe confidit. Tametſi Romanorum eruditorum iudicio permittit, ut praeſente archetypo videant, an ab illius forma fideque ſuae huius verſionis apographum longe diſcedat. Ecce quam lectionem nobis dederit inſcriptionis primae illuſtris Barthelemyus.

Simili prorſus ratione aptare ſtuduit alphabetum ſuum inſcriptioni ſecundae ex Romano marmore a Sponio editae in *Miſcellan. erudit. antiq.* pag.3., atque ad huius etiam lectionem tradendam variis uſus eſt exemplaribus, quorum *primum* a Sponio, *alterum* ex pag. 526. *Palaeſtinae* Hadriani Relandi mutuatus fuerat, *tertium* vero illud erat, quod ceteris exactius, atque fidelius ſibi forte obveniſſe dicit. Et ex his tribus, quicquid, ſingula ſingulis comparando, aptius, verique ſimilius noſſet, excerpens, *quartum* compoſuit, & *Hebraicis litteris* ſcriptum edidit n.3. citatae Tab. III.

Id unum interea tota hac Tabula, pauciſque praeviis obſervationibus ſibi Barthelemyus noſter propoſuit, ut nudum alphabetum, eiuſque uſum *in legendis Palmyrenis inſcriptionibus*, quae Romae viſuntur, nobis exhiberet. Nam de iis interpretandis ne ſemel quidem cogitaſſe videtur. Quum enim ei vel obiter comparanti *ſecundam* Palmyrenam cum Latina, in oculos incurriſſet no-

nomen *Malacbeli*, *Soli* in utraque tributum, ſtatimque ceu imprudens dixiſſet: *Sponium putaſſe ſic* Deum Lunum *fuiſſe a Palmyrenis vocatum*, quaſi dictum revocare vellet, *excidit mihi*, inquit, *haec obſervatio*: *Cette rémarque m'eſt échappée. Je ne me ſuis pas proposé d'éclaircir les inſcriptions Palmyrenniennes.*

Attamen vel pro uno iſto beneficii genere, verbis utar Venuſini Vatis,

Laus illi debetur, & a me gratia maior;

etſi, ut quod res eſt ingenue fatear, totum hoc alphabetum, quemadmodum a Barthelemyo traditur, perpetuo uſui mihi eſſe non poterit. Pleraeque enim litterae non modo ſuſpectae, & incertae, ſed & ſpuriae viſae mihi ſunt, mendoſae, & ab archetypis Capitolinis alienae. Ac ſi quis eas cognoſcere cupiat, exſpectet is interpretationem noſtram, quam una cum addito commentariolo in inſcriptiones ipſas daturi erimus.

Verum haec numquam efficere poterunt quin palam, aperteque profitear magnam mihi lucem tam praeclari viri inventa attuliſſe. Ille unus mihi facem praetulit ad cognoſcendos in Palmyrenis tabulis Hebraicos characteres Syriacis mixtos. Illius conſilia de principe uniuſcuiuſque litterae forma unice, ſemperque ſpectanda, neglectis abnormibus quibuſdam, & inuſitatis ductibus, qui varii pro vario ſcribentis more, ſculpentiſve ingenio in veteribus omnium generum monumentis frequenter occurrunt, quoties res eſt de Palmyrenorum, Hebraeorum, Syrorumque litteris invicem conferendis: Illius praecepta de figuris ſimilium quorumdam elementorum in antiquis orientalium ſcriptis, atque marmoribus, quanto difficilius, tanto etiam attentius, atque ſtudioſius diſcernendis: Illius monita de notis vocalium in Palmyrenis ſcripturis ad leges Hebraicae pronunciationis non aeque rigide exigendis; haec, inquam, aliaque id genus plura ab eo tradita, filum, ut ita loquar, Ariadneum in hoc labyrintho mihi contexuere.

Germanam utique lectionem vir tantus neque in una, neque in altera inſcriptione eſt aſſecutus. Sed vitium omne tribuendum eſt errantium exemplorum, quibus uſus eſt, varietati. Unicum ad id operis neceſſarium erat apographum ad fidem utriuſque Palmyreni archetypi emendatum. Quod tamen per ſummum infortunium ei defuit. Hoc tandem, neſcio quo divinae providentiae nutu, in manus meas inopinato pervenit. Nemo proinde mirabitur, ſi ego lectionem proferam, multo, ut auguror, veriorem, multoque etiam ab ea diverſam, quam in laudata Tab. III. protulit Barthelemyus. Sed praeter hanc reliqua erit *interpretatio*, de qua ille nihil.

O erudite Foggini, tu, quo uno auctore Spartam hanc adornandam ſuſcepi, tu ſcis, quam longiſſime ab hac cogitatione abeſſem. Tu me in tam ardui, abſtruſique negotii curam coniecisti invitum. Obtuleras mihi ſecundae inſcriptionis apographum ignoti pictoris pennicillo e ſaxo ipſo Capitolino nimis, ut poſtea novi, incurioſe, negligenterque expreſſum. Epigramma referebat Palmyrenum e regione Latini. Et quoniam in hoc perſpicue legebantur CALBIENSES, iuſſeras, ut eoſdem ipſos quaererem in Palmyreno. Unum enim idemque nomen, ex recepto Barthelemyi ſyſtemate, in utraque inſcriptione inveniri peraeque debebat. Quid vero? Ut nec ſolem in nocte, ſic nec *Calbienſium* nomen, quamvis diu multumque inveſtigaſſem, mihi licuit in eo *ectypo* intueri. Hinc ad Hebraicam Barthelemyi verſionem veni, in qua mihi ipſe, quod quaerebam, deprehendiſſe videbar. Nam ad extremum lineae ſecundae legebam כלב ס̄י, quod eſt latine *Calbienſes*. At lineola ſuperducta poſtremis litteris ס̄י, & litteras ipſas, & vocem integram ex oculis, menteque repente ſurripuit. Eas enim *dubias* eſſe, ex inſtitutione ipſius Galli auctoris, ſignificabat; nec quicquam erat ibi in promptu, quo dubium depellere poſſem. Inde ad alia me verti. Tria vidi exem-

exemplaria, quae Sponius, Relandus, & Thomas Hyde ad p. 547. Tab. XIV. nuperae editionis protulerant, eaque omnia inter ſe, cumque duobus mox commemoratis contuli, diligenterque expendi. Ecquid heic tibi dicam, FOGGINI mi praeclariſſime? In chaos me irruiſſe credidi multo fortaſſe Heſiodiano obſcurius, atque turbatius; unde nihil amplius, neque de Calbienſibus, neque de alia re quavis Palmyrenorum ex eorum hiſce epigrammatis ſcire me poſſe conſiderem.

In hac cogitationum fluctuatione verſabar, quum de improviſo ad me venit honeſtiſſimus Danus, domo Altonenſis, vir multiplici eruditione clarus, & in orientalibus linguis verſatiſſimus, *Chriſtianus Georgius Adler*, qui cognita paullo poſt cauſſa perturbationis meae, ne, mihi ait, te paullo diutius ſollicitum teneat tanta iſta variantium exemplarium diſcordia. Ego apographa ambarum Palmyrenarum inſcriptionum aliquot ante diebus e ſaxis ipſis Capitolinis acriori, quo fieri potuit, ſtudio, & oculis vel in minimos quoſque apices continenter intentis, deſcripſi. Haec ad te mittam. Tu illa expendito, atque in rem tuam, quomodocumque voles, adhibito. Sic ille: atque, uti vir litteratus eſt antiqui moris, & maxime candidi, liberaliſque ingenii, quae ſpoponderat, ad me quam citiſſime poſtero die miſit. Ne vero quicquam ad ſummam diligentiam reliqui fieret, iterum atque tertio ad eadem ipſa cum Capitolinis archetypis accuratius conferenda, & emendanda, me rogante, acceſſit. Quiſquis autem *Adlerii* perſpicacitatem, ſollertiam, atque peritiam cognovit, facile ſibi perſuadebit, multo maiorem fidem iſtiuſmodi exemplaribus tam diligenti calamo, induſtrique pennicillo expreſſis habendam eſſe, quam ſi meis hiſce oculis nimium debilibus, meaque hacce imperita manu deſcripta fuiſſent. Ego equidem unica ea eſſe, quibus ceteris omnibus praetermiſſis, ad propoſitum meum aſſequendum tuto atque fidenter uti poſſim, atque etiam debeam, non meditatione tantum, ſed & ipſo experimento didici. Quem eventum ſi quis recto ſenſu fortunam dicere velit, non abnuam, dummodo mihi quoque liceat illius antiqui carminis particulam uſurpare,

Quaecumque eſt fortuna, mea eſt.

Nunc illud abs te, & ab Adlerio peto, ut mihi concedatis *Romana* appellare duo haec exemplaria, quae ad fidem Palmyrenarum Tabularum Muſei Capitolini Romae confecta ex liberalitate auctoris in iura noſtra tranſierunt. Id agite; & quando tu, FOGGINI praeſtantiſſime, iubes me obſcuris hiſce tabulis novam veluti, iamdiuque optatam lucem adferre, paucis audi, quid ego efficere deſignarim. I. Ad fidem apographorum noſtrorum lectionem dabo utriuſque epigrammatis Palmyreni hodiernis litteris Hebraeorum expreſſam. II. Ei ſubiiciam interpretationem Latinam. III. Utramque demum brevi Commentario illuſtrare conabor. Sed antequam id facio, operae pretium duco quaſdam veluti *hypotheſes* univerſae tractationi praemittere.

HYPOTHESIS I.

Si in ea, quam damus, lectione, Hebraicae litterae valore, numero, & figura pene ipſa ſatis apte reſponderint Palmyrenis, iure contendam lectionem noſtram veram eſſe, & ceteris omnibus anteponendam.

NAM litterae Palmyrenae maxima ex parte ad formam Hebraicarum, ſive Aſſyriarum, quibus olim Chaldaei, & Aſſyrii utebantur, accedunt. Barthelemyus, ut iam adnotavimus, eas *Syriacas*, ſive *Chaldaicas* vocat, ductus praeſertim auctoritate S. Epiphanii, cuius teſtimonium audire praeſtat ex Panar. lib. II. ad haereſ. LXV. Manichaeorum num. 13. Poſtquam de Perſis dixerat: *Plerique Perſarum praeter elementa Perſica Syrorum quoque litteris utuntur, quemadmodum apud nos innumerae gentes Graecas adhibent, tametſi ſingulae fere ſuas ac proprias habeant,* de Pal-

de Palmyrenis ita Sanctus Saſimorum Epiſcopus ſcribere pergit : Alii vero τὴν βαθυτάτην τῶν Σύρων διάλεκτον σέμνυνται τήν τε κατὰ τὴν Παλμύραν , *reconditiſſima Syrorum lingua ſeſe venditant , quam una cum viginti duobus eius elementis adhibent.* Eumdemque litterarum numerum in Palmyreno alphabeto ſuſpicatus fuerat Renferdius , ita obſervante Relando , qui in ſua *Palaeſt.* ad confirmandam Epiphanii ſententiam ea recitat Theodoreti verba ex quaeſt. 19. in lib. Iudic. *Oſroeni , & Syri , & Euphrateſii ,* (adeoque & *Palmyreni* in Syria Euphratenſi) *& Palaeſtini , & Phoenices* τῇ Σύρων χρῶνται φωνῇ *Syrorum lingua utuntur .* At vero non ideo putandus eſt Epiphanius Palmyrenam ſcripturam , atque etiam linguam , *Syriacam* appellaſſe , quod eadem cum hodiernis Syrorum litteris , eorumque ſermone omnino eſſet ; ſed latius Syrorum nomen uſurpans , ſub eo τῶν Σύρων vocabulo *Aſſyrias* & litteras , & linguam indicare voluiſſe coniicitur . Idem dicito de Theodoreto , ubi de τῶν Σύρων φωνῇ tamquam propria & uſitata populis ad Euphratem poſitis mentionem facit . Neque id novum , & παράδοξον videri poterit eruditis , qui probe noſſe debent apud omnem antiquitatem *Syros* ſaepe pro *Aſſyriis* fuiſſe nuncupatos . Ac certe *Aſſyriae* potius erant ante S. Epiphanii tempora lingua , & litterae Palmyrenorum , iiſque , paucis exceptis , fere ſimillimae , quibus non uni modo nefarii Babyloniorum Talmudiſtarum libri poſtmodum exarati , ſed & ſacri ipſi , vereque divini Hebraeorum codices fuerant iamdiu ante ab Eſdra , inſpirante Deo , conſcripti . Idque clarius fortaſſe ex Commentariolis noſtris patebit . Eamdem etiam ſcripturae formam , quam S. Epiphanius de *Perſis* loquens *Syram* appellat , praeſeferunt inſcriptiones Perſepolitanae paullo accuratius quam Palmyrenae in cit. Tab. apud Hyde deſcriptae . Hinc colligere licet , quid iudicii ferendum ſit de ſententia Sigefridi Bayeri ſcribentis Tom. II. Commentar. Acad. Scientiar. Imp. Petropolitanae , ubi de veter. Inſcript. Pruſſica diſſerit ; *litteras Phoenicias minores exſtare in nummis , maiores quadrataſque , forte & antiquiores in monumentis Palmyrenis ,* eaſque *in Perſiam quoque commigraſſe ,* ut *alibi ſe e Diodoro Siculo monuiſſe* indicat , atque *id etiam ex inſcriptionibus Petrepolitanis* apparere ſignificat . Niſi enim Phoeniciae litterae eaedem fuerint cum Syriis , ſive Aſſyriis , quae hoc in loco tradit Bayerus calculis noſtris probari nullo modo poterunt . Σύροι μὲν , inquit Diodorus Sicul. lib. V. , εὑρέται τῶν γραμμάτων εἰσὶ , παρὰ δὲ τούτων Φοίνικες μαθόντες τοῖς Ἕλλησι παραδεδώκασι . *Syri quidem litterarum inventores fuere ; ab iis vero Phoenices edocti Graecis tradiderunt .* At *Syri* iſti , Euſebio teſte lib. x. Praepar. , *iidem Hebraei fuerunt :* Σύροι δὲ ἂν εἶεν καὶ Ἑβραῖοι : *nimirum ,* uti ſubiungit Henſelius in *Synopſi univerſae philologiae* p. 85. *Heberi poſteri , qui inter Aſſyrios , & Syros vixerunt primo , poſtea inter Chananaeos militantes , Hebraei dicebantur .* Indeque cl. Spanhemius diſſert. 11. *de praeſtantia , & uſu numiſmatum* anſam ſcribendi arripuit , *Phoenicum* litteras Hebraeorum magis , & Chaldaeorum , quam *Samaritanorum* formas referre . Cur deinde *Palmyreni* de gentis ſuae *dialecto* tanto opere gloriarentur , eamque tamquam altiſſimam , ſeu *reconditiſſimam* βαθυτάτην διάλεκτον iactitarent , alia , dum recte cogitem , eſſe non potuit cauſſa , niſi origo illius vetuſtiſſima , quae in profundo veluti praeteritorum ſaeculorum ſinu lateret . Cuius certe notae genus uni , ut arbitror , Hebraicae linguae aptiſſime convenit . Quamobrem vix ego dubito , quin magnae Orientis , & Palmyrae Imperatricis *Zenobiae* epiſtola , quam Pollio Syria lingua ad Aurelianum Romanorum Imperatorem ſcriptam teſtatur , Aſſyriis eſſet characteribus , & vocibus in ea principatus ſui metropoli uſitatis , contexta . Hincque mihi facile perſuaſerim Longinum a conſiliis Zenobiae , eumdemque ipſum Rhetorem praeſtantiſſimum , quo dictante laudata ad Aurelianum epiſtola conſcripta traditur , praeter Graecam , aut Septuagintaviralem verſionem , Hebraicam quoque , imo

& hanc

& hanc maxime divinam ſcripturam v. librorum Moyſis, unde in lib. περὶ ὕψους praeclarum teſtimonium recitat, perluſtraſſe. Qui enim Palmyrenam, idem & Hebraicam linguam callere debuit. Atque id ego multo magis de Zenobia ipſa affirmarim, quae, ne quid dicam de illius in Graeco & Aegyptio ſermone peritia, non ſolum Syriacum, ſive Hebraeo-Aſſyrium idioma perfecte cognorat, ſed & Hebraicis ritibus initiata putatur. De illius namque religione varie diſputant eruditi. Alii ethnicam, alii chriſtianam Paulli Samoſateni impietati addictam, alii Iudaeam, aut certe Iudaizantem volunt. S. Athanaſius in lib. de vit. ſol. Ἰουδαία, inquit, ἦν Ζηνωβία, *Iudaea erat Zenobia*, καὶ προέστη, *& praeſidio fuit Paullo Samoſateno*. Sed hac de re vide Cellar. Diſs. *de imper. Palmyr.* §.26. Ad propoſitum noſtrum quod attinet, eo haec omnia ſpectant, ut oſtendant Palmyrenas, & Hebraicas litteras ſatis inter ſe ſimiles eſſe, illaſque fere omnes, quemadmodum ex lectione noſtra cognoſcere licebit, in Eſdrinas haſce, Iudaicaſque, utrarumque natura minime repugnante, converti.

HYPOTHESIS II.

Si in verſione noſtra Hebraicae voces totidem Palmyrenis aequales fuerint, & ſingulae ſingulis comparatae eamdem ſignificationem habuerint, eadem quoque erit, vera, atque germana, uti Hebraicorum, ſic & Palmyrenorum vocabulorum interpretatio.

NOnnihil certe diſcriminis inter utraſque, Hebraicas ſcilicet, & Palmyrenas voces alicubi occurret. Sed id unius Palmyrenae dialecti ingenio tribuendum erit. Nemo enim, qui vel prima orientalium linguarum rudimenta teneat, ignorat, quam varia eſſe ſoleant unius etiam eiuſdemque linguae idiomata, & diverſi generis *anomaliae*. Peculiarem dialectum in Syriaca Palmyrenorum indicavit, ut audivimus, S. Epiphanius. Idem tradidit loco ante laudato Theodoretus, qui licet Syriacam communem fecerit Oſroenis, Syris, Euphratenſibus (Palmyrenis), Palaeſtinis, & Phoenicibus, magnam tamen dialecti varietatem ex ſingularum gentium diverſitate in ea agnovit: πόλλην ὅμως ἡ διάλεξις ἔχει διαφορὰν. Nec propterea ullus, credo, erit tam moroſus, & rigidus, qui de Palmyrena dialecto paullo maiora a nobis exquirere velit, quam quae coniecturarum ope, unaque probabili ratione, ubi neceſſitas ita ferat, aſſequi poterimus. Nam praeter has paucas inſcriptiones, alia prorſus nulla ſuperſunt Palmyrenorum ſcripta, unde quid certi de illorum linguae dialecto cognoſcere valeamus. Fieri etiam aliquando poterit, ut leve illud, in quo Palmyrena vocabula ab Hebraicis differunt, adſcribi aequiori iure debeant vitio, & incuriae ſculptoris. *Vocales* addere curabimus *conſonantibus* litteris ad normam Hebraicae punctationis. Sed, qui Palmyrenorum Maſoretae non ſumus, ſi in una, aut altera vocalis nota errabimus, indeque rectae pronunciationis ſonum variari contingat, quis umquam erit tam immitis, & ſeveri ingenii, ut morem aemulari velit ferocis Samaritani, qui dum ברשית *baraſcith* legendum putat, Hebraeum legentem *bereſcith* aſperrime reprehendere conſuevit?

HYPOTHESIS III.

Interpretatio, quam tradituri ſumus tum primae, tum etiam ſecundae Palmyrenae inſcriptionis, vera & germana demonſtrabitur, ſi conſona maxima ex parte erit tam primae Graecae, quam ſecundae Latinae eiſdem Palmyrenis ſaxis ex ordine inſculptis.

IAM ab anno uſque 1753. eruditi Angli, & cl. deinde Barthelemyus obſervarunt Palmyrenas inſcriptiones ex celeberrimis hiſce monumentis eum locum tenere, quo ſatis aperte oſtendatur, earum munus eſſe patriis vocibus, litteriſque eadem ipſa, quae alienis, in Graecis, Latiniſque tabulis expreſſa fuerant, explicare. Hoc idem officium fortaſſe praeſtabant in numis

 mis

mis Tyri, & Sydonis Phoenicia epigrammata addita Graecis. De his enim meus ille immortalis laudis, aeternique nominis Cardinalis Noriſius ita ſcribit de epoch. Syromaced. diſſert. 2. cap.3: *Porro Graeco illi* (primo ſcilicet Palmyreno) *epigrammati apud Gruterum duo verſus ſubiiciuntur ignotis characteribus exarati, quos ille Arabicos, Scaliger ignorabiles appellat. Sunt litterae Phoeniciae, cum Palmyra urbs Phoeniciae fuerit. Phoenices enim qui ſe litterarum inventores iactabant, ſuumque idioma vetuſtate ceteris anteponendum contendebant, in* NUMMIS ETIAM POST GRAECAS INSCRIPTIONES ALIAS LITTERIS PHOENICIIS EXPRESSAS SCALPEBANT, *ut in pleriſque Tyriorum, & Sydoniorum nummis apparet.* Accinit Noriſio recentiſſimus ſcriptor, Hiſpanae litteraturae decus, & immenſae eruditionis, doctrinaeque praeſtantia clariſſimus, Canonicus *Franciſcus Pereſius Baierus* olim Hebr. L. in Salmant. Acad. Profeſſor, deinde Valent. eccl. Archidiaconus, qui ad calcem *Saluſtii* in vernaculam linguam Reg.I. opera, ingenioque eleganter tranſlati: *Del Alfabeto y lengua de los Fenices, y de ſus Colonias* differens, ubi ad *Melitenſem Phoenicio-Graecam* inſcriptionem, eiuſque epocham venit, explicata voce Phoenicia per Hebraicam צר *Tſor, Tyrum*, p.351. inveniri affirmat *varias monedas de Tiro con la inſcripcion Fenicia y Griega*. Sed nullum ex his nummis in hac temporis anguſtia mihi cernere licuit, praeter *Sydonium* a Relando in ſua Palaeſtina cuſum; de quo vide quid antea *Montfauconius* p.118. Palaeogr. Gr. ſcripſerit, quidve nuper in laudata continuatione Hiſp.verſ. Saluſtii ad p 361. col.1. animadvertendum putarit Pereſius. Quin & in Vaillantio Tom.III. legi de nummo Tyrio *bilingui* a ſe viſo in Muſeo Ducis Parmenſis. Hunc vir eruditiſſimus ob eam plane cauſſam, quod geminae linguae *epigraphem* duplicatam gereret, ſpurium ab initio credidit. At ab aliis eruditis de illius ſinceritate monitus a priori opinione diſceſſit. Neque in Tyriis tantum, atque Sydoniis, ſed & in aliis Phoeniciarum urbium numiſmatibus *bilingues* inſcriptiones viſuntur. Pereſius, quem ob ſuam erga me ſingularem benevolentiam ſaepe commemoraſſe carum mihi ſemper, & periucundum erit, in opere mox laudato inter *Monetas = Baſtulo-fenicias de Adras* = ad pag.369. excuſum edidit *ectypon quintae epigraphem* gerentis *Phoenicio-Latinam*. Hanc ad *Abderam* non Thracicam, neque Africanam, ſed Ibericam, Hiſpanicamve ſpectare praeclare demonſtrat. Eſt enim, ut idem ipſe ex Strabonis, & Ptolemaei teſtimoniis obſervat, urbs illa, quae poſt *Exin*, alias *Exochin*, non procul a Gadibus ſita, ab eodem Geographo Ptolemaeo ABDERA dicitur, Φοινίκων κτίσμα καὶ αὐτὴ, quemadmodum & a Stephano *Abdera altera*, πόλις τῆς Ἰβηρίας Hiſpaniae civitas appellatur. Templum in hoc nummo cernitur, cuius frons columnis ornata, *Abdera* nomen in ſublimiori loco *Phoeniciis*, in medio vero, interque vacua ipſa columnarum ſpatia *Latinis* litteris expreſſum exhibet. De hac *moneta* Pereſius noſter ſcribere pergit: *La del numero quinto es de las llamadas BILINGUES .... Tiengo actualmente en mi poder* quarenta monedas Fenicias, Latinas, y bilingues *de eſta ciudad de varios tamaños, halladas en la cercanias de la miſma; las quales me ha ido embiando en varias ocaſiones* D. Joſeph Valverde *Presbitero, ſugeto docto, y verſado en eſtas antiquidades*. Verum nec Romanis eius generis monumenta deſunt. Illud ſane quidem pulcherrimum, & antiquiſſimum eſt, quod epitaphium *Graeco-Latinum* exhibet urnae ſepulcrali *Sex. Varii Marcelli* patris M. Aur. Antonini Elagabali Imp. Aug. inciſum. Exſtat in Muſeo Clementino Vaticano PII VI. P. M. cura, & munificentia mirandum in modum aucto, & locupletato, tamquam inſigne quoddam S.P.Q.Velitern. donum. Huius exemplum iam typis impreſſum in rem meam mihi utendum humaniſſime obtulit egregius Praeſul a Secretis Sacr. Congregat. de Propaganda Fide, *Stephanus Borgia*, Veliterni nominis gloria, & ob ingenii, atque

erudi-

eruditionis ſuae monimenta tum litterariae Reipublicae, tum etiam Catholico orbi, Chriſtianaeque religioni notiſſimus. Sed & tu ſine, FOGGINI mi ornatiſſime, ut ad aliorum quoque commodum, & utilitatem, illud ipſum recuſum noſtris hiſce tabulis inſeratur:

SEX. VARIO. MARCELLO
PROC. AQVAR. C. PROC. PROV. BRIT. CC. PROC. RATIONIS
PRIVAT. CCC. VICE. PRAEF. PR. ET. VRBI. FVNCTO
C. V. PRAEF. AERARI. MILITARIS. LEG. LEG. III. AVG
PRAESIDI. PROVINC. NVMIDIAE
IVLIA. SOAEMIAS. BASSIANA. C. F. CVM. FILIS
MARITO. ET. PATRI. AMANTISSIMO

ϹΕΞΤΩ. ΟΥΑΡΙΩ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ
ΕΠΙΤΡΟΠΕΥϹΑΝΤΙΥΔΑΤΩΝ. ΕΠΙΤΡΟΠΕΥϹΑΝΤΙΕΠΑΡΧΕΙΟΥ
ΒΡΙΤΑΝΝΕΙΑϹ. ΕΠΙΤΡΟΠΕΥϹΑΝΤΙΛΟΓΩΝΠΡΕΙΒΑΤΗϹ. ΠΙϹΤΕΥ
ΘΕΝΤΙΤΑΜΕΡΗΤΩΝΕΠΑΡΧΩΝΤΟΥΠΡΑΙΤΩΡΙΟΥΚΑΙΡΩΜΗϹ
ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΩΑΝΔΡΙΕΠΑΡΧΩΕΡΑΡΙΟΥϹΤΡΑΤΙΩΤΙΚΟΥ
ΗΓΕΜΟΝΙΛΕΓΕΙΩΝΟϹ· Γ. ΑΥΓΟΥϹΤΗϹ ΑΡΞΑΝΤΙΕΠΑΡΧΕΙΟΥ ΝΟΥΜΙΔΙΑϹ
ΙΟΥΛΙΑ ϹΟΑΙΜΙΑϹ ΒΑϹϹΙΑΝΗ ϹΥΝ ΤΟΙϹ ΤΕΚΝΟΙϹ. ΤΩ. ΠΡΟϹ
ΦΙΛΕϹΤΑΤΩ ΑΝΔΡΙ ΚΑΙ ΓΛΥΚΥΤΑΤΩ ΠΑΤΡΙ

Nam ego interea ex his, quae hactenus obſervavimus, ita concludi poſſe ſentio. Si interpretatio utriuſque Palmyrenae inſcriptionis eaſdem reddiderit ſententias, quae in Graeca, & Latina exſtant, ea vera erit, & exacte perfecta. Sicque ex more gentis vetuſtiſſimo, licet *bilingues*, eaedem tamen omnino erunt epigraphas.

Qae ſane omnia non eo pacto accipi velim, ut quis fortaſſe credat eumdem omnino vocabulorum numerum, eumdemque ordinem in Palmyrenis inſcriptionibus aeque ac in Graeca, & in Latina reperiri. Nam ne in *bilingui* quidem *Sexti Varii Marcelli* epitaphio tanta inter Latinum, & Graecum conſonantia detegitur. Hinc *Pereſius* in cit. diatribe pag.360. col.2. approbare non potuit artem, qua celebris Gallorum ſcriptor *De-Boze* in illuſtrandis duobus *Coſſurae* Inſulae nummis, Phoenicio uno, Latino altero, illius nomen ignotis characteribus cuſum ex notis Latinis, quaſi ſinguli ſingulis in utroque numiſmate reſponderent, explicare ſtuduit. *La qual explicacion ſe reduce a cotejar entre ſi la inſcripcion de una, y otra, y acomodar a cada letra latina ſu correſpondiente Fenicia por el orden de ſu colocacion: porque ... M. De-Boze ſe perſuadio* „ qu' en comparant les caractères inconnus de la primiere de ces „ deux medailles avec les caracteres „ Latins de la ſeconde, il falloit neceſſairement trouver le même nom „: *lo que no es preciſo que ſucceda*. Ceterum quaenam ea ſint, in quibus Palmyrena epigrammata cum Graeco, & Latino comparata, variant, in Commentariis exponam.

HYPOTHESIS IV.

Palmyrenae Inſcriptiones auctores agnoſcunt Magos ſacerdotes Solis de ſecta, & ſchola Zoroaſtris.

REM hanc praeclare admodum, invicteque demonſtrant argumenta omnia a ſimulacris, ab ara, teſte inſcriptione II., magico ritu conſecrata *Soli*, & a ſymbolis, notiſque ceteris deducta, quae in tabulis hiſce *anaglyphis* Palmyrae conſpiciuntur. Quin & eadem ipſa ſymbola ubique ſpirant, indicantque ſuperſtitioſa *Zoroaſtris* myſteria. Eminent inter haec *cupreſſi duae*, quae tamquam inſignes in rebus geſtis famoſi huius Perſarum, Babyloniorum, Indorumque legislatoris mirifice celebrantur. Prima eſt, quae in anaglypho inſcriptionis I. media cernitur inter *Malachbelum*, & *Aglibelum* Numina; eamque, ut ego puto, *cupreſſum* deſignat, in cuius trunco Zoroaſtres incidiſſe narratur teſtimonium

monium *de religione Dei* a Rege Gushtaſpo, alias a *Dario Hyſtaſpe*, recepta. Hanc in *Kashmer*, ſeu *Keshmer* urbe regionis *Thershiz* in *Choraſan*. ſive *Bactriana*, plantatam referunt Bundâri, auctor lib. *Shahnàma-Neſr*, ſeu *Proſa* (per aliquem *Magorum* ex *Phirdauſi* contractus), & *Pharhangh Gihanghiri* apud Hyde cap. 24. *de V. R. P.*, & Anquetilium Duperonium in Zend-Aveſta Tom.I. Par. II. *de vit. Zoroaſtris* pag. 46. & 47. Adduntque ii Gushtaſpum ad innumeras prope gentes praecones, nunciosque quoquoverſus miſiſſe, ut eos ad arborem iſtam tamquam ſolemne quoddam religionis ſacrum colendam, venerandamque vocaret. Haec, ut ego colligo ex chronologicis coniecturis eiuſdem cl. Anquetilii ad pag. 61. cit. vit., accidere potuerunt inter annos 549. & 539. ante aeram Chriſtianam. Poſt id temporis Zoroaſtres philoſophiae docendae ludum, eum inter ceteros audiente Pythagora, Babylone aperuit; quo in munere quum integrum inſumſiſſet triennium, ex eodem Anquetiliano calculo, anno ante Chriſtum 521. rediit ad cultum *cypreſſo* ſtatuendum. Secunda eſt, quae plantata traditur a Zoroaſtre in urbe *Pharumad*, ſive *Pharuyad*, vel *Pherdid e regione Thus* ſubiecta τῇ Chorafan. Sic habet traditio Magorum in *Pharhangh Gihanghiri*, vel *Dihangueri*, ut pronuntiat Anquetilius. Multa, licet fabuloſiſſima, miracula de *cupreſſibus* hiſce narrant; illudque in primis referunt, quod e duobus ramis, ſurculiſve e paradiſo delatis, terraeque a Zoroaſtre infixis in portentoſiſſimam magnitudinem paucarum dierum ſpatio excreverint. Dubitat Hyde, an *hae cupreſſus diverſae fuerint*. Ac ego quidem, ſi de iis loquamur, quas hactenus audivimus in Choraſan, ſive Bactriana plantatas, unam eamdemque eſſe crediderim. Sed alia *cupreſſus* eſt, cuius idem ipſe Hyde meminit eadem pag. 332. ex teſtimonio *Shariſtani*. Is enim narrat, *Deum* conditorem *indidiſſe* ſpiritum τῷ Zerdusht (Zoroaſtris) *in quamdam arborem quae crevit in altiſſimo altiſſimorum: eam enim plantavit in Aderbeyagjan* (Adiabene ſcilicet) *in iugo alicuius montis, cui nomen* اسمويدخر *Aſmuùdacher*: *&* *miſcuit corpus* (nempe *ſemen*) τῷ Zerdusht *cum lacte vaccino, quod cum bibiſſet pater eius, id factum eſt ſemen genitale, & deinde fruſtum carnis in utero matris eius. Illud vero invadens diabolus mutavit illud. Deinde mater eius audivit a caelo proclamationem, in qua indicata eſt liberatio eius, & liberata eſt.* Nullam de hac cupreſſu mentionem fecit egregius Anquetilius in vita Zoroaſtris. Atqui haec eadem inſignis eſt in Palmyreno monumento, ubi eximia *cupreſſus* repraeſentatur cum inſerta, inditaque forma infantuli ambabus manibus ſupra humeros, & caput ſuſtinentis vaccae in altum erectae effigiem, ad indicandum *ſpiritum* ſimul & *genitale ſemen* corporis Zoroaſtris vaccino lacti a Deo creatore immixtum. Hinc vero intelligere licet, non alios fuiſſe iſtius monumenti auctores, quam Magos Palmyrenos, qui inter ceteras arcanas fabulas, hanc etiam de ſpiritu, & genitali ſemine Zoroaſtris divinae cupreſſui in exordiis creationis inſertis, in noſtris hiſce ſaxis exprimi voluerunt.

Quodque haec omnia ad Zoroaſtrem referri debeant, illius vultus in latere IV. huius monumenti inſculptus indicare videtur. *Protome* eſt Zoroaſtrem exhibens indutum veſtibus, quibus ex eiuſdem legiſlatoris inſtituto utuntur Perſae illius ſectae addicti. Triplicis generis ſunt. Primum, quod *ſaderè* Anquetilius appellat, eiuſque formam in aes inciſam edidit in *Zend-Aveſta* Tab. IX. Tom. II. ad pag. 529. §. 1. *de moribus civilibus, & religioſis Perſarum*, induſium eſt album in parte ſuperiori apertum, manicis brevioribus, ad coxendices uſque protenſum; etſi multo longius in Carmania a nonnullis Perſis deferri ſoleat. Quaecumque tamen ſit longitudo *ſaderè*, ea ex hac ſimplici protome non apparet. Certe vox *ſaderè* صدار apud ipſum quoque Golium, *induſium curtum, aut parva tunica interior, corpus contingens* exponitur. eademque eſſe

po-

Poteſt, ac *ſudra* صدره *ſuprema pars corporis humani, pectus*, & *thorax, indumentum pectoris. Sic idem eſt quod* אֵפוֹד Exod. cap.xxv. verſ.7. De hac vero ad imam pag. 324. oram ſecundae editionis Hyde haec adnotantur : *Sudra eſt tunica ſacerdotalis brevior ad mediam ſuram pertingens*. Utra ea ſit, quae in hac ſculpta effigie cernitur, certo ſtatuere nequeo. Sed album induſium *ſaderè* dictum videri poteſt. Alterum eſt *cingulum*, quo conſtringitur ſudra nudae corporis pelli ſemper adhaerens, quodque diu numquam noctuve deponitur. Illius modulum in ſummitate recurvum pendulum cernis ad dexterum latus ipſius protomes. *Koſti* vulgatiſſimo nomine vocant. De quibus in *Sahahnama Neſr* magnae apud Perſas auctoritatis libro, Zoroaſtres ipſe coram Gushtaſpo Rege ita ſe iactitaſſe fertur : *Ego ſum Propheta quem Deus excelſus ad te miſit*: & *iſtum librum* Zend-Aveſta *e paradiſo attuli* وين صدره, & *hanc* ſudram, وكستى بمن داده است & *koſti* (cingulum) *mihi dedit*, inquiens, *iſtam* ſudram *indue*, & *iſtud* cingulum *in medium tuum cinge, ut anima tua a gehenna liberetur*, & *ſalvationem inveniat*. Hyde *ſudram* hoc in loco accipit pro tunica ſacerdotali *breviore*, *anglice* a caſſoch. Sed idem Hyde pag. 375. praeter hanc aliud etiam agnoſcit *ſudrae* genus. *Zoroaſtris*, inquit, *adeoque ſacerdotum omnium, veſtis erat* صدره *ſudra ſubruſa, eaque laxis manicis, ut hodie .... In lib.* Nim. *exponitur Arab.* ſudra, *Perſ.* lipagja, *Turc.* teghala, *eſt tunica, quam ſuper omnia induunt*. Hinc ego colligo duplicis ſaltem generis fuiſſe *ſudram*, interiorem unam nudo corpori adſtrictam, quae communis eſſet laicis, & ſacerdotibus: exteriorem alteram, quam Magi ſacerdotes in primis induere conſueverint. Idem dicito de interiori, & exteriori *cingulo*. Anquetilius interiora indumenta deſcripſit, miſſis exterioribus; licet ea, quae narrat ex *Odoeporicis Chardinii de figuris* Perſepolitanis, referri debeant ad *exteriora*. *Viſuntur* enim illae *promiſſa coma, latis barbis, tunicis talaribus laxe manicatis, cingulis cinctae...* Hyde vero exteriora potius viſus eſt deſcripſiſſe. Zoroaſtres tamen (ni fallor) utraque ſe a Deo accepiſſe fabulabatur. In hoc Palmyreno ἀναγλύφῳ interiori, & communi *ſudra* magis quam exteriori, laxeque manicata indutus coniicitur.

Quod porro inter inſignia Perſae hominis ornamenta tertio loco numeratur, پنام *panam* dicitur, Arabice فدام *phidam*, Anquetilio *penom*, vel *padom*. Eſt autem pannus linteus quadratus ad os velandum accommodatus. Eo, tamquam ex religionis praeſcripto, utuntur ſacerdotes *alba*, & *tiara*, ſeu *mitra* induti, quoties ſacra peragunt, & liturgico miniſterio funguntur. Nec ii tantum, ſed & Perſae laici eo velamine ora tegunt dum precantur, & manducant, teſte Anquetilio loco laudato. Hyde pag.349. ad ſola ſacra hunc morem refert; reprehenditque Golium, qui Arabem auctorem *Camuſi* induxerat dicentem: *Phadam* (eſt) *panniculus, quo Perſae, & Maguſaei os tegunt cum bibunt*. At non eadem, quae hodie eſt τοῦ *penom*, quadrati panni forma, priſcis temporibus apud Perſas viguit. Nam Strabonis aevo lib. xv. Geogr. *taeniae* erant, quae ex *tiaris*, *pileiſve* Magorum utrimque pendentes eorum labia, & genas velabant : Τιάρας περικείμενοι πιλωτὰς, καθηκύας ἑκατέρωθεν μέχρι τοῦ καλύπτειν τὰ χείλη, καὶ τὰς παραγναθίδας. In Tabulis *Sahahnama*, & *Barſour-nama* heroes Perſae, & eorum milites ore tecto cernuntur cum *penom*, quemadmodum ſcribit Anquetilius, apud quem in *Zend-Aveſta*, *Vendidad ſadê*, *Fargan.* 14. inter militaria inſtrumenta *penom* diſtinguitur a *pileo*. Quod etiam ad rem noſtram obſervandum erat, ne quis forte putet *penom* antiquum Perſarum eſſe non potuiſſe ſine tiara, & pileo. Velum quod in ſculpta Palmyreni monumenti effigie de Zoroaſtris capite utrimque in humeros uſque deſcendit, *penom*, ut ego interpretor, repraeſentat. Illius namque diſtractae extremitates ſi taeniolarum ope reducantur, & copulentur, ex arte Perſis hodieque uſitata, ad os & labia hominis

nis tegenda pertrahi ſatis commode poſſunt. Sed ut frons, oculi, genae, mentum, & totus ipſe Zoroaſtris vultus intuentibus conſpicuus eſſet, eum cum laxato, deductoque *penom* caelarunt. Cur autem Zoroaſtrem, Magi Palmyreni ſculpi permiſerint his tantum tribus diſtinctum inſignibus, *ſaderè*, *koſti*, & *penom*, non alia de cauſſa id factum putarim, quam ut illius effigies forma, & exemplum eſſet *communis* diſciplinae a militibus praeſertim, & ab iis omnibus, qui Zoroaſtrianae ſectae nomen dediſſent, neceſſario ſervandae. Hoc enim monumentum ex voto militum erigendum erat.

Sed & valde veriſimile eſt, Magos antiſtites inſcriptionem ipſam iis voluiſſe & lingua & litteris exarari, quibus uſus primum fuerat Zoroaſtres, natus *Urmiae*, Arab. ارمية, Zend *Ariema* in Adiabene ad montes *Gordiaeos*, unde Hyde p. 516. in Append. 1. H. vet. rel. Perſ. arceſſit *Calbienſes* milites Inſcript. noſtrae. In Adiabene vero, *Aſſyria* olim proprie dicta a Plinio, (licet ea pars, & provincia Babyloniae a Strabone, & Herodiano fuerit deinde nuncupata, ut Ioh. Henric. *Maius in notit. imper. Adiabeni* obſervat), lingua, & ſcriptura vernacula, *Aſſyriaca*, ſive *Hebraeo-Chaldaica* erat. Inde ille iuvenis Babylonem ad Chaldaeorum philoſophiam, eorumque myſteria percipienda perrexit; deinde in patriam redux *Zend-Aveſtam ſcribere*, & legem ſuam civibus, contribulibuſque praedicare coepit; tandemque poſt annos xxxv., ex quo annum agens trigeſimum peregrinationem ſuſceperat ad inſtituta legis ſuae diſſeminanda per tam multas regiones Iran ad Indos uſque, Babylonem ad ſcholam erigendam rediit ann. ante Chr. 524.

Hanc rerum geſtarum ſeriem, & annorum ſupputationem tamquam omnium aequiorem in vita Zoroaſtris nobis exhibet Anquetilius, quae quidem cum Danielis maxime, & Eſdrae temporibus ſatis apte convenire videtur. Et tamen, neſcio quo novitatis ſtudio vir tantus abreptus contemnere affectat Chriſtianorum omnium Orientalium traditionem de Zoroaſtre auditore alicuius ex Hebraeorum Prophetis, *Danielis* ſaltem, aut quod multo veriſimilius eſt, *Eſdrae*. Non fuerit Zoroaſter ſervus *Ozeir*, Eſdrae, ſcilicet, at nec certe Regum ſanguine natum dixerim iis teſtimoniis ductus, quae Antequilius in illius vita num. IV. recitat ex volumine τῶν *Ieſchs*, aliiſque ipſius operum ſectionibus. Etſi enim ea Zoroaſtri tribuenda quomodocumque conceſſerim, quis me iure coëgerit exemplaria, quae hodie proferuntur, ex archetypis primigeniae linguae fuiſſe fideliter deſcripta, fateri; aut ita incorrupta eſſe teſtari, ut haec ipſa, quae de regia Zoroaſtris genealogia leguntur, adſuta non fuerint ex incerta, obſcuraque fama, inter Perſas peregrinante, de Zoroaſtre quodam Bactrianorum Rege? Verum non eo uno Anquetilius contentus ex vanis quibuſdam, nugacibus, & a fide abhorrentibus dictis, quae auctor libri *Zerduſth-Namah* tribuit *Zoroaſtri*, eum neque Prophetarum, neque Moyſis volumina cognoviſſe argumentatur. Nemo neſcit quam effrenis, ac fortaſſe etiam impudentis licentiae criticus Beauſobrius eſſet. At is lib. I. de dogm. Manich. cap. 6. num. 7: *Il y a des prouves*, inquit de Zoroaſtre ſcribens, *qu' il étoit bien inſtruit de la religion de Juifs. La tradition generale des Chreſtiens d' Orient eſt qu' il fut diſciple ou d'* Elie, *ou de* Jeremie, *ou de* Daniel, *ou d'* Ezdras. *La derniere opinion eſt la plus vraiſemblable*. Iam vero, ut eo redeam, unde paulliſper diſceſſeram, admodum probabile ſit Magos Palmyrenos ſacerdotes Solis Zoroaſtris dogmata, eadem, qua primum conſcripta fuerant lingua, excoluiſſe: unde & *Manes* haereſiarcha foeda illa *Zoroaſtris* ſimia, ſi Tollium audire volumus, *myſteriorum librum Syriaco Palmyreno idiomate* ſcripſit; atque ut Beauſobrius ipſe cenſet lib. II. c. 7. H. Man. p. 428. *Tollius à fort bien juge, que ce livre étoit écrit en Syriaque Palmyreniene*. Nunc hiſce veluti praeeuntibus facibus ad inſcriptiones ipſas paullo fidentius explicandas accedam.

MONU-

MONUMENTI PALMYRENI

Inſcriptio Graeca

ΑΓΛΙΒΩΛΩ ΚΑΙ ΜΑΛΑΧΒΗΛΩ ΠΑΤΡΩΙϹ ΘΕΟΙϹ

ΚΑΙ ΤΟ ϹΙΓΝΟΝ ΑΡΓΥΡΟΥΝ ϹΥΝ ΠΑΝΤΙ ΚΟΣΜΩ ΑΝΕΘΗΚΕ


Α. ΑΥΡ. ΗΛΙΟΔΩΡΟϹ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟϹ

ΠΑΛΜΥΡΗΝΟϹ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΥΠΕΡ

ϹΩΤΗΡΙΑϹ ΑΥΤΟΥ ΚΑΙ Τ̄ ϹΥΜΒΙΟΥ ΚΑΙ Τ̄ ΤΕΚΝΩΝ

ΕΤΟΥϹ Ζ̄. Μ̄. Φ̄. ΜΗΝΟϹ ΠΕΡΙΤΙΟΥ

Eadem inſcriptio litteris Palmyrenis expreſſa ex apographo Romano



Lectio Palmyrenae Inſcriptionis hodiernis Hebraeorum litteris concepta

8 7 6 5 4 3 2 1
לעגלי־בולו ומלג־בלו בתרווסוי בלים ואות בן־בכספ עברתן

17 16 15 14 13 12 11 10 9
קים בכל־הת כבר תלמר בר ראנרתוכו לשתו ושנולו ליחרו

23 22 21 20 19 18
חביות ואבניה בירח רשבט שנת זם · ופה

Interpretatio Latina

1 2 3 4 5 6 7
Aglibolo & Malachbelo patriis Diis etiam (hoc) *ſignum confectum ex argento*

8 9 10 11 12 13 14 15
de redditibus ſuis poſuit cum omni ornatu nobilis Palmyrenus filius Antiochi ad ſalutem

16 17 18 19 20
ſuam propriam & (coniugis) *una ſecum viventis & filiorum ſuorum in menſe*

21 22 23
Schevat anno Z M & Ph

COMMENTARIUM.

לעגלי־בולו. (1.) Si deſcriptis conſonantibus vocales, quas poſcunt, addideris, habebis binas haſce voces לְעֲגְלִי־בּוֹלוֹ, unde eſt, dempto articulo ל, Palmyrenum עֲגְלִי־בּוֹלוֹ Graeco αγλιβωλω accurate reſpondens. לו in בולו temporis vetuſtate in marmore exeſas ſupplevimus. *Lamed* Palmyrenum eſt in hac epigraphe tam ambiguae formae, ut aliquibus in locis pro ו *vau* ſumi facillime poſſit. Quin & alicubi aemulari videtur τὸ Λ Graecum. In eo tamen differt, quod fulcrum ſiniſtrum multo brevius, & exilius gerat. At plerumque ad Syriacum ܠ, praeſertim ſi erectum pingatur, accedit. Quicquid varietatis in illius figura paſſim exhibet ſaxum noſtrum, ſculptoris vitio tribuendum eſt. Ceterum apud Hebraeos ipſos pro diverſitate regionum cum aliorum plurium elementorum, tum vero maxime τοῦ ל figura diverſa conſpicitur. A Rabbinis ſic pingitur ל. Idem eſt in ſcriptura Hiſpanorum, quam refert R. Abraham de Balmis c. 1. Gram. At in vetuſto cod. Abenezrae inter mſs. biblioth. Angel. deſinit quidem in curvam, ſed quae multo minoris rotunditatis eſt, quam ſit ſemicirculus *lamed* Rabbinici, & Hiſpanici, caudamque praeterea habet longius productam. In עגלי prima Palmyrena ܠ Syriacam ܠ *ngae* imitatur; quamquam erecta, & haſtae paullo longiori inſiſtens eadem ſit ac Hebraica ע. Imo in antiquiſſimo codice Evangel. verſ. Philoxenianae Biblioth. Angel. pari fere cum haſta, ſed iacente, pingitur. *Gamma* etiam a Syriaco derivatum puto. Huius figura apud Syros hodie eſt, quaſi *forcipula* ܓ in obliquum iacens, ταχυγραφίας, reor, iuvandae cauſſa. Olim ut γ Graecum, ſeu furcula uni incumbens erectae haſtae a Syris fortaſſe effingebatur, ſed haſta dextrorſum vergente, quemadmodum fit in laudato cod. Evangeliario, & in hac prima voce Palmyrena עגלי. Nonnihil diverſa eſt in ſequenti nomine מלג, ubi haſtam unicam habet erectam ut Γ Gr., vel potius ut ד *ſecundum* Phoenicium apud Montfaucon. Pal. pag. 122., cum tranſverſa ſurſum verſus arcuata paullo infra ſummitatem haſtae. י jod in עגלי inſertam puto apici ſuperiori τοῦ *lomad*. Haec de litteris, quibus Hebraicae, Syraeque reſpondent. Nunc pauca de nomine, & numine ἀγλιβώλῳ dicam.

Solem eſſe ſcribit cl. Hyde pag. 110. Ἐλαιαγάβαλον, qui a Romanis *ſic dictus fuit per communem litterarum metatheſim pro* עגול בעל, *ideſt* Deus rotundus, *ut Seldenus* (de Diis Syris) *elicit ex antiqua inſcriptione* Ἀγλιβώλῳ, & Μαλαχβήλῳ πατρῴοις Θεοῖς, quae ſcilicet haec noſtra Palmyrena eſt; moxque addit: *forte melius legendum fuiſſet* עגלי בעל. At nihil eſt in hac lectione immutandum. Ἀγλίβωλος *Deus rotundus* & *Sol* mihi alibi erat Seldenum ſequuto. Modo vero, illius origine accuratius inſpecta, *cyclum caeli*, ſive *orbiculare caelum* interpretari lubet. Eſt enim Chaldaicum nomen compoſitum ex עגלי, αγλι, quod plauſtrale, atque adeo a rotis ſic dictum, *orbiculare*, in Caſtelli Lex. ſonat, & ex בולום βωλος, quod Chaldaeis apud eumdem eſt, βηλος *caelum*. At βηλος idem eſt ac Iuppiter. Ac certe Magi ſacerdotes Palmyrenorum, qui Zoroaſtris, & veterum Perſarum ſuperſtitionem colebant, non aliud in ea conſecrationis tabula intellexiſſe videntur, quam *Iovem*. Perſae enim, quemadmodum referenti Celſo Origenes ipſe lib. v. §. 41. & 44. facile aſſentitur τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ *orbem omnem caeli* iam inde ab Herodoti aevo Δία *Iovem* appellabant. Imo & Babylonii ipſi, teſte Beroſo apud Agathiam, *Belum* vulgo nuncupavere *Iovem*. Hinc Heſychius Βῆλος, inquit, οὐρανὸς, καὶ Ζεὺς, vel, ut Iohannes Albertus legi mallet Βηλὸς, οὐρανὸς, καὶ Βῆλος Ζεὺς. Nam *vox iſta*, ſubiungit, *pro Urano*, *vel Iove eſt ex Hebr.* בעל, *unde* Βῆλ, *ubi liqueſcit* ע; ſive, ut ſcribit Buxtorfius, *a* בעל *eſt* בל *gutturali eliſa*. Αγλιβωλῳ praeterea comati Perſae vultum repraeſentanti convenit nomen Βῆλ, quod ex Lex. Origen. in Iohannis Alberti adnotationibus ad Heſych. Παλαίωσις eſt, ἢ ὁ Κρόνος *antiquitas*,

tas, *aut Saturnus* a tempore ſic appellatus; unde pro *Belo* Iove ποσειδῶνος filio reſcribendum cenſet Κρόνου filium. Idemque demum eſt ac *Iuppiter Belus*, cuius meminit Herodotus, & quem Syrus interpres II. Macchab. c.6. v.2. Δία *Iovem* ܒܥܠܫܡܝܢ *dominum*, *deumve caelorum* vocat. Hinc magnus Doctor, Parenſque meus S. Auguſtinus q.16. in iudices ſcribit: *Solet dici* Baal *nomen eſſe apud Gentes illarum partium* Iovis, *quod & lingua Punica putatur oſtendere. Nam* Baal *Punici videntur dicere* dominum; *unde* Baalſamen, *quaſi* dominum caeli *intelliguntur dicere*: Samen *quippe apud eos caeli appellantur*. Qui vero Ὠρομάζης, aut Ὠρομάσδης veteribus Perſis vocabatur, *Hormazd*, *Avvarmazd*, & detracto د, in اورمزد, ſive هرمزد, obſervante Relando, *Hormoz*, vel *Hormouz* apud Hyde, & Anquetilium hodieque dicitur. *Aliquando*, Hyde ipſo p.159. & 259. fatente, *ad Iovem planetam tranſfertur*, & برجيس etiam *Iuppiter* abſolute nuncupatur; & *Deus omnipotens* a Perſis intelligitur. Qua de re nihil nos dubitare ſinit Ariſtoteles in I. de Philoſophia diſerte ſcribens, Magos *duo* ſtatuiſſe ἀρχὰς *principia*, *bonum*, *malumque* Δαίμονα, *quorum alter Iuppiter & Oromaſdes*, *alter Orcus & Arimanius* appellatur. Adde quod Ζεὺς nomen inter Perſas natum, dictumque زواس *Zivas*, Golio, & Relando auctoribus, ad Graecos migraſſe creditur. Quid multa? Perſas & ante, & poſt *Zoroaſtris* tempora *Iovem* coluiſſe Herodotus, Xenophon, Strabo, aliique plurimi tradiderunt. Igitur in hoc noſtro Palmyreno monumento *Aglibolos* non eſt, ut ſcribit Hyde pag. 115. Imperator *Elagabalus e Sole* (*vel e ſaxo*) denominatus *Egli-Baal*, *atque* Iuppiter, *ſeu* Belus, *qui dictus eſt* Malac-Baal, *ſeu* Rex Baal, ſed eſt *Iuppiter Oromaſdes*, ſive *Hormouz*, *Bonum principium* ἀγαθὸς δαίμον *Zoroaſtris*, Hebraeo-Chaldaico nomine a Palmyrenis vocatus עגלי־בולום Ἀγλιβωλος.

Illius ſimulacrum ſaxo inſculptum ſacra gerit inſignia Perſicorum indumentorum, *ſadere* nempe interioris, & exterioris *ſudrae*, ſive tunicae, olim fortaſſe Σαράγης, de quibus diximus ad Hypotheſim IV.: ſiniſtra ſtringit volumen *legis* Zoroaſtri revelatae, ſimulque *cupreſſum* indicat, cui fidem a *Gushtaſpo* datam de eadem lege ſervanda Zoroaſtres primo inſcripſit, deinde vero ſolemnem etiam cultum tum *Gushtaſpus*, tum & *Zoroaſtres* ipſe religioſo ritu deferri curarunt. *Cupreſſum* ſymbolum divinitatis, quemadmodum *quercum* Pherecydis uno fere eodemque tempore cum Zoroaſtre viventis, interpretor. Huc referri ſatis apte poſſunt, quae tradit Iſidorus lib.XVII. Origin. *Cupreſſus*, inquit, *graece dicitur*, *quod caput eius a rotunditate in acumen erigitur*; *unde & conon vocatur*, *ideſt* ALTA ROTUNDITAS, (quae ad *Agliboli* naturam ſignificandam a Zoroaſtre aſſumi facillime potuit.) Sed & ſecundum ceteras, quas ibi S. Hiſpal. Epiſcopus commemorat, virtutes, immortalitatem hominis, perpetuamque ſoliditatem, impenetrabilem, nulli cedentem oneri, & contrariae corruptioni invicte reſiſtentem, ex arcanis legislatoris huius inſtitutionibus arbor iſta fortaſſe ſignificabat. Cupreſſus praeterea erat apud Ethnicos *Diti* ſacra, ei ſcilicet Numini, cuius iudicio praemia vel ſupplicia bonis maliſve reddenda decernebantur. *Ormuſd*, apud Anquetilium Tom.II. pag. 76. adnot.I., *Dée* dicitur, *quod eſt* Pa-Zende *Deotoſcho*, *iuſtum iudicem ſignificans*. At praeter hanc noſtram, praeſtat & alteram huius *Anaglyphi* deſcriptionem tradere. Ea eſt, quae e regione epigrammatis in editione corp. inſcriptionum Gruteri Amſtelaedami adornata an. 1707. in haec verba legitur: *Sculpti ſunt viri duo ſtantes in porticu* (quam alii ſacellum, aediculamve interpretantur.) *Prior* (Aglibolos ſcilicet) *criſpo crine*, *teniatus*, *ſuccinctus*, *deinde indutus alia veſte*, *ut Caracala*, *bracchatus laxe*, *ſiniſtra falcem ad pinum*, *quae inter eos media ſtat*, *tenens*. *Alter* (Malachbelus nempe) *aſpiciens*, *criſpo etiam crine corona radiata*, *cum luna in humeris*, *ſuper thoracem accinctus parazonio*, *& chlamyde*

myde militari, *cothurnis indutus*, *haſtile manu tenens*. *Quidam Solis aeſtivi*, *& hyemalis ſimulacra eſſe opinantur*. Ubi verax, & ubi fallax deſcriptio ſit, quiſquis eam cum Romano huius Anaglyphi ectypo a te, Foggini ſpectatiſſime, accurate edito paullo curioſius contulerit, facile deprehendet. Ad me quod attinet, duo tantum in eam animadvertam; non *pinum*, ſed *cupreſſum* eſſe arborem, quae inter utrumque ſimulacrum media erigitur; neque id, quod ſiniſtra gerit *Aglibolus*, *falcis*, ſed *voluminis* formam praeſeferre; quemadmodum vel in una ipſa Tabula, quam edidit Hyde ad pag. 114. *de vet. relig. Perſ.*, unicuique perſpicere licet.

מלג־כלו (2.) par Graeco Μαλαχ-βηλω. Sed in Palmyreno מלג, *Malag*, ג pro כ Hebr., & χ Graec. ponitur. Hae namque litterae inter ſe permutantur, unde quod eſt Hebr., Perſ., & Arab. גמל *gamal*, Latinis *camelus* dicitur. Inde & Gangamela in Plutarcho, & Strabone οἶκος καμήλου a Perſica خنه جمل, auctore Relando, facta eſt. Sic Κάρδακες, Καρδοῦχοί, *Gardates* a Iul. Nep., & a Pomponio Mela dicti ſunt. Sed & Σίγλος, Σίκλος, Σίγλαι, & Σίκλαι exſtant apud Heſychium. Iure proinde meus Boniurius diſſert. 2. de dil. univ. num. 73. ſcribit: *Permutatio litterarum* caph *&* ghimel *frequens eſt in illis* (Hebr., Syr., & Graec.) *linguis*. Verum de *ghimel* Palmyreno praeter ea, quae iam dixi, id etiam obſerves velim, quod ſi ג Hebraicum ἄποδα feceris, eamdem propemodum formam τοῦ ג Palmyreni habebis. Itaque מֶלֶכ־בֵל, quod Hebraeis diceretur *Melech Bel*, idem eſt ac *Rex Belus*. Id quum quis audierit, me ſtatim ad *Belum* Babyloniorum revocabit. Qui enim eorum primus Rex fuit, *Belus* nomen a *Sole* ſic dictum geſſit. Inde Βελα, ἥλιος, ἀυγὴ apud Heſychium, de quo vide Salmaſium, Seldenum de Diis Syris, alioſve a Ioh. Alberto ad hanc vocem laudatos. Sed in Zoroaſtris, affeclarumque Magorum, & Perſarum inſtitutis quaerendum eſt, quis ille *Sol* ſit, qui ſub hoc nomine *Malachbelus* colebatur a Palmyrenis. Is vero alius non eſt quam *Mithra*, ſive, ut habet Heſychius, Μίθρας, ὁ Ἥλιος παρὰ Πέρσαις, *Mithras apud Perſas*, *Sol*. Heſychii teſtimonium confirmat eruditiſſimus Albertus auctoritate Strabonis lib. xv. ſcribentis, *colunt* Perſae *Solem*, ὃν καλοῦσι Μίθραν, *quem Mithram appellant*; eique ingentem adiicit doctiſſimorum hominum ſeriem, qui Perſas Solem Mithram religioſe colere non modo teſtantur, verum etiam praeclare, invicteque contra Hydem tuentur. Mithrae *iconas* plures ex Hyde ipſo ad cap. 4. lib. rel. vet. Perſ. pag. 111., & ex Monum. vet. Antii doctiſſimi Adrienſium Ep. Philippi a Turre habemus. De his ille ſcribens pag. 117., & *Mithra*, inquit, *ibi eſt in figura Regis Perſici*, *uti conſtat ex* Tiara directa, & Stola, *quae ſolis Regibus competunt*... *Perſica* Stola *Curtio latine dicitur* Palla, *quae* (*ſi ſit Latinae originis*) *fere conſonat cum Perſica voce* بالا Bala, *vulgo* Pala, *ideſt* Superior, (*qualis erat* Stola) *ex panno aureo*, *gemmis plumata*, *& animalium figuris intertexta*. Eamdem plane Stolam, ſive Pallam, aut Chlamydem, aliaque interiora indumenta more Perſarum Regum gerit in ἀναγλύφῳ Palmyreno *Sol*, *Malach-Belus*. Sub palla induit *ſadere* thorace tectam: ad lumbos vero praecingitur criſpato *parazonio* deorſum verſus protenſo, quod paullo ſupra oram *ſadere* cadit. Coronam regiam in capite geſtat, quae forte, uti ex certis veſtigiis colligitur, & περιφέρειαν, & radios aureis laminis circumtectos habebat. Nam & Heſiodus in Θεογονείᾳ, φοίβηντε χρυσοστέφανον dixit. Enſem ſub ſiniſtro brachio *parazonio* ſuſtentatum oſtentat; eiuſdem prorſus formae, quam in *iconiſmis Mithrae* ab Hyde productis conſpicimus. Eademque ſiniſtra *haſtam* tenet: & dextram ad *Aglibelum* cupreſſum verſus extendit. *Lunam* vero poſt humeros poſitam, quaſi comitem, individuamque ſociam ſecum ipſe circumagere videtur.

Nunc audi ex ſacris traditionibus Zoroaſtris, quae in Perſicis, Indiciſve libris ei ab Anquetilio adſcriptis legun-

guntur, quam belle attributa, & notae *Mithrae*, & *Solis* Palmyreno *Malachbelo* conveniant. Sed illud in primis teneas neceſſe eſt in Zoroaſtrianis placitis Mithram eumdem eſſe ac Solem, aut certe in Sole, & cum Sole ſemper verſari, adeo ut alter pro altero ubique ſumatur. In *Ieſchts Sades* ad *Neaeſch* Solis, & Mithrae Tom. II., *Mithra* invocatur *uti omnium provinciarum caput*, *omnium caeleſtium Izedarum princeps*, *fortior*, *maior*, *fulgidior*, *potentior*. *Ab Hormud conditus*, *& Sole tamquam corpore indutus*, *Mithra Rex ille excelſus*, *Rex Regum*, *Mediator*, *Protector orbis omnis aſpectabilis* dicitur. *Sic & enſis*, *& haſta* celebratur *magna*, *qua Mithra incultas terras fertilitate donans*, *colubrum deſolatorem*, *hoſtes omnes*, *inimicos boni*, *malos daemonas*, *cunctoſque pravitatis auctores terret*, *percutit*, *fugat*, *diſperdit*. *Itemque* laudatur *Mithra*, *qui manus elevat*, *extenditque ad Hormud*, (quemadmodum in hoc noſtro anaglypho fieri cernimus,) *ſemper viget*, *ſemperque in caelo eſt medius inter Lunam*, *& Solem*, *Solis & luminis dator*. Haec omnia ſcilicet inſignia illa, & ſymbola *Malachbeli*, quae ante tradebamus, deſignant.

Neque ideo *Mithram* non eſſe quis dixerit, quia idem non eſt illius nomen apud Palmyrenos; alioquin nec *Mithram* eſſe putabit eum, quem Perſae *Miha* ex Hyde, *Mehr* ex Anquetilio, Latini *Solem*, & Graeci Ἥλιον frequenter appellant; nec Venerem *Anaitidem* Perſarum eamdem eſſe dicet, quae variis nominibus a Graecis Scriptoribus Ἄρτεμις, Ἀφροδίτη, Οὐράνια quoque, Herodoto teſte, ab Aſſyriis *Mylitta*, ab Arabibus *Alitta*, & *Mithra* pariter vocabatur a Perſis. Ceterum *Mithrae* vocabulum viſum mihi eſt in *Alphabeto Tibetano* originis Aegyptiacae inter Perſarum ſacra ſubinde receptum. Ac ſi quae primum *Zoroaſtres* in Aſſyria, & Adiabene ſcripſit comperta eſſent, intelligeremus fortaſſe *Malach-Beli* nomen illud fuiſſe, quod tamquam omnium maximum, & celeberrimum in *Solis* laudibus, eiuſque ope invocanda uſurpari ſoleret.

בתרווסוי בלים (3. 4.): pro פַּתרוֹוּסוֹי בֵּלִים, Graece: πατρώοις θέοις, *patriis Diis*. In Palmyreno בתרווסוי, ו *tertium* redundat. Quod erroris genus in *peregrina* voce accidere quam facillime potuit, ut errata demonſtrant, quae ob eamdem omnino cauſſam apud Talmudiſtas Hebraeos perſaepe occurrunt. ו, *primum* ſculptoris vitio deformatum in lectione noſtra ad nativae formae modulum emendatum retulimus. De *ſamech* Palmyreno aequali τῷ ס Hebraico, ſi quid te ſcrupuli tenet, vide litteram 15. in Alphab. cl. Barthelemyi ad Tab. III. Ego equidem eamdem eſſe puto figuram ס Hebraici, ſed *inverſi*; & crura idcirco gerentis diſtracta, quia duplici calami ductu a Palmyrenis efformari neceſſario debuit; quod in recta figura, qualis eſt apud Hebraeos, non accidit. *Reſc* facile deprehenditur: etſi nimis rotunda in ſaxo noſtro appareat; nam & R. Abraham de Balmis rotundam ſcribi oportere admonet. *Tau* Palmyrenum nemo non agnoſcet in ת Hebraico, dummodo crus huius dextrum paullulum inflexum, pedemque introrſum leviter retortum gerat. ב pro פ in בתרווסי ponitur ob mutuam litterarum harum permutationem, quam non in una modo Palmyrenorum dialecto, ſed & in Hebraica, Syra, Chaldaica, Arabica, & Graeca lingua, ne quid de Latina, Itala, Germanica, aliiſque dicam, crebro fieri novimus. ברזל Deuteron. 8.; & Amos 1. *ferrum* dicitur, quod פרזל Chald. & Syr. Daniel. 2., & alibi ſcribitur. Hinc Iohannes Albertus in illas Heſychii voces: βηγὴ, πηγὴ, haec animadvertit: *Nimirum Delphienſes pro* π adhibebant β, *dicentes ex. gr.* βατεῖν *pro* πατεῖν, βικρὸς *pro* πικρὸς. Nec quiſquam mirari debet, ſi Palmyreni in hoc monumento ſuum fecere vocabulum πατρώοις. Ea namque aetate etiam *Miſcnae* auctor innumera pene nomina a Latinis, & Graecis accepta in linguam ſuam quamvis corrupta, ac depravata tranſtulit; cuiuſmodi ſunt,

ſunt, קלנדא *Kalendae* סטרנורא *Saturnalia*, קרטיסים κρατησίμαχος (Surrhenuſio, ſed Relando, *Quadrageſimae*) גנוסיא Γενέσια, פונדקאות πανδοκεία, פלוסופוס *Philoſophus*, אפרודיטי ἀφροδίτει, בסיליקי *Baſilicae*, & alia id genus multa, quae tum in *Avoda ʒara*, tum in ceteris etiam *Miſcnae* tractatibus paſſim ſpectantur. De בלים nihil eſt cur plura dicam. Ut enim בל a בעל, ita בלים contractum eſt a בעלים, & θεοῖς Graeco expreſſe reſpondet. *Aglibolus* igitur, & *Malach-belus* duo illi ſunt בַתרוּוסִי בֵלִים *Dii patrii*, quibus haec noſtra votiva inſcriptio dedicata eſt.

Sed nonnulla heic dubitatio oriri poteſt de iure, quo *Dii patrii* ſint appellati. Nam ſi epigrammatis huius auctores Zoroaſtrianae religioni addicti erant, & *Aglibolus*, ac *Malach-belus* iidem cenſendi ſunt ac *Iuppiter Oromaſdes*, & *Sol Mithra*, titulus, quo tamquam *Dii patrii ſalutantur*, originem ſuam ducere potuit non tam ex delectu Palmyrenorum, qui eos uti tutelaria gentis Numina colere primum ſtatuerint, quam ex vetuſtiori more, & inſtituto Perſarum, & Zoroaſtrianorum, qui ita *Iovem* in primis, atque etiam *Solem* appellare conſueverint. Nam de Cyro Rege haec ſcribit Xenophon: *Rem ſacram Iovi primum* Regi, *deinde Diis ceteris fecit .... rurſus Iovi patrio* ἔθυε .... *Cumque ſomnio moneretur ſe moriturum, excitatus, mox ſumpſit hoſtias, Iovi* patrio, & Soli, & *Diis ceteris, in ſummis montium iugis., ut Perſis mos erat, ſacrificavit, & huiuſmodi preces concepit*, Ζεῦ πατρῷε, καὶ Ἥλιε, καὶ πάντες θεοὶ. Ut autem *Iuppiter*, ſive *Hormuʒd* regionum omnium creator, licet uni ſupremo Deo ſubiectus, adeoque & tamquam *Deus patrius* ubicumque Perſarum ſuperſtitio vigeret, colebatur, ſic & *Sol Mithra* provinciarum, civitatum, terrarum, hominum, rerumque omnium ab *Hormuſd* creatarum conſervator, & tutor, uti alter *Deus patrius* poſt *Iovem* Oromaſdem ex Zoroaſtris diſciplina honorari debebat. Sed fuerint *Aglibolus* (Hormuzd), & *Malach-belus* (Sol Mithra) *Dii patrii ex delectu* Palmyrenorum. Ii tamen ambo θεοὶ, בלים ſic appellabantur in *templo Solis* a Magis ſacerdotibus, ceteriſque omnibus, qui Zoroaſtrianis myſteriis Palmyrae initiati erant. Quod ſatis eſt ad revincendam *Hydis*, & *Beauſobrii* pervicaciam, ubi tam acriter, & animoſe pro caſto, puroque unius ſummi Dei cultu a Zoroaſtre eiuſque aſſeclis integre ſemper, religioſeque retento contra veteres omnes tum Graecos, tum Latinos non ethnicos modo, ſed & chriſtianos, orthodoxoſque Scriptores decertant. Nam templa, ſimulacra, & imagines ſive Iovis Oromaſdis, ſive Solis Mithrae, quibus Zoroaſtris aevo Perſae carebant, erigere deinceps, & habere coeperunt. Nullum iis adverſabatur Zoroaſtris praeceptum; imo & maxime conſonum videri potuit vel unum illud ſymboli genus, quo Deum per *caput accipitris* ſignificari tradebat. Sic enim κατὰ λέξιν, teſte Euſebio lib.I. Praepar. Evang. in Theologia Phoenicum, Zoroaſtres de Deo differens in Commentariis rituum Perſicorum ὁ δὲ Θεός ἐστι κεφαλὴν ἔχων ἱέρακος. *Deus eſt caput habens accipitris, princeps* omnium, *expers interitus, ſine ortu, ſine partibus* .... Quinimo laudationes, preces, vota, ſacrificia, arae, & varii Magicae hierarchiae ordines ad ſacra perficienda in honorem creatoris Hormuzii, & *Ieʒidarum* principis Mithrae ex Zoroaſtris inſtitutionibus ordinata, aedium quoque, & imaginum religionem ſecum ferre quodammodo videbantur. De hac tamen re paullo fuſius differere inſtituti mei ratio non poſtulat. Illud unum tantummodo, quod cum Manichaeorum monſtris magnam coniunctionem habet, addidiſſe iuvabit, *Manetem*, (ſi vera ſunt, quae Tollius de illius libris *Palmyrena* lingua exaratis ſenſit, & Beauſobrius approbavit,) a Zoroaſtrianis Magis Palmyrae degentibus, atque ex his etiam, aliiſque fortaſſe pluribus ſimulacris didiciſſe quicquid de *Splenditenente*, & *Rege* victore floribus, ſceptro, & corona exornato ſuos docuit. His enim ſimilia ſunt, quae ex Manetis magiſtri commen-

commentis alte extollebat, praedicabatque Fauſtus, teſte Magno Auguſtino lib. contra eumdem XV. & XX.

ואות (5.) vocalibus affectum וְאוֹת par Graeco καὶ τὸ σῖγνον etiam (hoc) *ſignum*. Eſt enim ו, καὶ, *etiam*; אוֹת vero σῖγνον, *ſignum* vox ſcilicet e Latio Palmyram traducta, ibique Graecis litteris ad ſimulacrum ſignificandum expreſſa. Sic Vulgatus interpres *conflatile ſignum* vertit, quod Hebr. Paralip.II. c.33. v.7. legit פסל הסמל, *conflatile*, ſive *ſculptile ſimulacrum*, aut *idolum*. Quo in ſenſu non ſolent Hebraica Biblia vocabulum אות uſurpare; niſi huc forte ſpectare poſſit illud Numer. c.11. v.2. בְּאֹתֹת לְבֵית *cum ſignis, ſive inſignibus domus*. Sed hoc in loco Palmyreni ad σῖγνον exprimendum, alias σημήιον a Luciano in dial. de Dea Syria dictum, non aliud eo aptius nomen ex tota Hebraeorum lingua compertum habebant. Ne autem litteras cum litteris comparanti fucum faciat forma *vau* primi Palmyreni, in *imo* recurvi, & ab uſitata delineatione Hebraici ו deflectentis, difficile non erit intelligere totum id vitii, uni tribuendum eſſe incuriae, & imperitiae ſculptoris. *Aleph*, quod ſequitur, etſi figuram paullo diverſam gerat, eumdem tamen valorem habet ac א Hebraicum. Dubitat de eo Barthelemyus in Alphabeto Tab. III., ſed pro certo habendum eſt. Duae, quae in hac ipſa voce ſequuntur ו, & ת nullam parere videntur difficultatem. Et ad ת quod ſpectat, non unius formae apud Palmyrenos erat. Noſtrum hocce ſimile ei eſt, quod in laudato Alphabeto Barthelemyi ſpectatur.

בו בכסף (6.7.) nempe בְּנוּ בְּכֶסֶף *elaboratum in argento*, graece ἀργυροῦν *argenteum*. בנה dixiſſet fortaſſe Hebraeus, quemadmodum ſcripſit Heſdr. c.5.v.11. בַּיִת בְּנֵה *domus aedificata*: ſed Palmyreni, uti ego ſuſpicor, ex idiotiſmo linguae quieſcentem ה in ſcribendo praetermittebant. Certe quidem dubitari non poteſt quin בנ Palmyrenum ſit a בָּנָה *aedificare*, *conſtruere*, *fabricare*, *fabrili arte conficere*. De vario, eoque eleganti huius vocabuli uſu apud Hebraeos videſis inter ceteros Salomonem Glaſſium lib.III. c.1. can.36., & eruditiſſimum virum Marcum Marinum in *Arca* Noë ad vocem בנה. Quumque, ut laudatus Glaſſius oſtendit בן ſit a בנה quatenus *opus perfectum*, & *abſolutum ſignificat*, pronum eſt intelligere, אות בו־בנכסף in epigraphe noſtra *ſignum* indicare *conſtructum*, & *elaboratum in argento*. Nam & ea locutio *operari*, *ſeu facere in argento*, *auro*, aut alia quavis ſimili materia, ex more eſt Hebraicae linguae, uti liquet ex cap.31. Exod. v.4. לַעֲשׂוֹת בַּזָּהָב וּבַכֶּסֶף, & cap.35. v.32. & 35., Ierem. c.10. v.3., aliiſque locis. Arabes بناء appellant *ſtructuram*, eamque in primis, quae *excellentior*, *celſiorve* ſit. Huius fortaſſe praeſtantiae opus putari potuit *ſignum* iſtud *argenteum Diis patriis* ſacrum; & ideo vi etiam ipſius vocis auctor *epigraphes* indicare voluit praeclaram dicati ſigni ſtructuram. In *cheſeph* Palmyreno duae ſunt litterae *ſamech*, & *pe*, quae ad formam Hebraicarum ס & ף vix revocari poſſe videntur. Sed ſi crura *ſamech* Palmyreni, quae modo diſtracta apparent, coniungantur, figuram reddenr ס Hebraici. In hanc perſuaſionem inducere me antea potuit primum illud rude *apographum*, in quo littera iſtaec, non in alio a ס differre videbatur, quam in una diſtractione crurum. Nunc vero in poſtremo, eoque emendatiori exemplo eam ipſiſſimam eſſe video *ſamech* Palmyrenam; quam habet Alphabetum a Barthelemyo Tab.I. editum. Unumque diſcrimen, ſane leviſſimum, inter utramque eſt, quod extrema cruris dextri pars ſurſum verſus retorta conniti videtur ad contactum apicis ſiniſtri, unde incipit ס, at in hac noſtra, idem crus ad perpendiculum cadit in baſim, nihilque habet recurvi, quo tendere videatur in coniunctionem cum ſiniſtro apice; ſed & is idem apex in haſtam erigitur longiorem aequo. Verum ſic etiam intelligo illud omne,

omne, in quo noſtrum hocce *ſamech* a Barthelemyano, & ab Hebraico ipſo praecipue differt, ab una diſtractione crurum repeti oportere. Id autem eccur ego non tribuam ſive temporis vetuſtati, quae veſtigia coniunctionis in marmore deleverit, ſive multiplici eorumdem characterum formae, qua uterentur Palmyreni, ſive etiam imperitiae ſculptoris, qui antea in voce *Patroyſi* eamdem τῷ *ſamech* figuram delineavit inverſam? *Pe* vero, purum putum *Phoenicium* eſt, eius prorſus ſimile, quod habes apud Canonicum Pereſium in Append. ad Hiſpanicam verſionem Saluſt. pag.375., ubi claſſes quatuor earum omnium litterarum edidit, quas ex nummis in primis, & inſcriptionibus Phoenicum, eorumque coloniarum collegit. Iam vir praeclariſſimus obſervaverat ad pag.343. in nummo inſigni Sydoniorum duas inter ceteras reperiri litteras *phe*, & *teth* tam inuſitatae, & peregrinae formae, ut hodieque incognitae reputentur. *Eſas letras ſon dos de las quatro Fenicias, no deſcubiertas haſte aqui, quiero decir cuya figura hoi ſe ignora.... De mi digo, que ninguna de dichas dos letras.... havia jamas viſto en eſta figura ſino en nueſtra moneda*. At utramque, ni fallor, in hac ipſa Palmyrena inſcriptione habemus. *Pe* ſcilicet qualis eſt ultima huius vocis, quam interpretamur; & *teth* de qua ſuo loco dicemus. Illius certe forma originem praebere potuit τῷ π Graecorum, ſi quam Phoenices iacentem, Graeci erectam ſcribere coeperunt. Diverſa eſt ab ea, quam protulit in utroque Alphabeto Palmyreno *Barthelemyus*; attamen & ipſe in verſione ſua Tab. III. n.2. clare diſtincteque legit כסף. Quodque magis eſt, lectio & interpretatio noſtra cum Graeca ἀργύρων mire conſentit.

עבדתן (8.) ſupplendum fortaſſe eſt מ, *ex*, *de*, aut aliud quiddam ſimile praefixum materialem cauſſam deſignans, quod ſculptoris vitio praetermiſſum fuerit. Unde ſi quis legere malit מעבדתן, non repugnavero; quamquam ea praepoſitionis omiſſio ſatis etiam apte ſuppleri poſſet, ſi legeretur ד־עבדתן. Sed hoc uno neglecto ſcrupulo, qui certe, mea ſententia, leviſſimus eſt, vox עֲבָדְתַן in Palmyreno ſaxo puris, nitidiſque Hebraicis litteris conſtat; etſi non omnes eamdem omnino formam, & pulchritudinem, quam in ſacris Bibliis hodieque conſpicimus, repraeſentent. Quare דַּעֲבָדְתַהּ *de bonis, redditibuſve ſuis*, Chaldaico more ſic dicitur, quemadmodum in *Miſcna* Tract. *Chetuboth* n.6., ubi ſermo fit de dote, & bonis uxoris mortuae leviri, dictum eſt בחזקתן *in poſſeſſione ſua*. Et ſane עֲבֹדָה, Marco Marino interprete, *fructuum, atque proventuum quaſi culturam, vel certe, ſi mavis, ſuppellectilem totam* deſignat. Hinc עֲבֹדַת *cultura* terrae 1. Paralip. 27. v.26. Eodemque ſenſu Daniel. 11. 49., & iterum cap. 3. v.12. עֲבִידְתָּא דִּי מְדִינַת appellatur adminiſtratio opum, & proventuum provinciae Babylonis commiſſa tribus pueris *Sidrach*, *Miſach*, & *Abdenago*. Quod ſi in hoc vocabulo ſuppleatur, ut iam indicabamus, τὸ ד, tum vero ד pro די praefixa τῷ עבבתן locum tenebit praepoſitionis *de*; vel *ex*. Sic Daniel. c.3 v.1. *ſtatua* erecta a Rege Nabuchodonoſor די דְהַב *de auro*, & דַּהֲבָא dicitur vv.5. 10. & 12. Palam igitur eſt עֲבִדְתַן, ſive דַּעֲבִדְתַן, aut דַּעֲבַבְתַן, vel דַּעֲבִדְתַן illud idem ſignificare, quod Graeca ſonant ἐκ τῶν ἰδίων *de bonis ſuis*, ſive ut meus illa magnus Cardinalis Noriſius vertit *de pecunia ſua*.

כים (9.). כִּים ſcilicet pro קִים. Nam ob permutationem litterarum כ, & ק, vertrunt Palmyreni קים in כים. Nullam prorſus litterae ק figuram dedit Barthelemyus in Alphab. Tab. III. Quam vero exhibuit in Alph. Tab. I., ea formam potius refert ת Hebraici, quam τῷ ק. Itaque כִּים eadem ipſa eſt ac vox קים *poſuit, ſtatuit*, Eſther c.9. v.25. 31., Levit. c 26. v.1. Idemque prorſus ſonat, quod Daniel. c.3. v.1. אקים, & v.3. הקים *erexit*, ubi ſermo fit de ſtatua in honorem Babylonici Numinis conſecrata. Atque hoc

hoc quidem adnotatum volui , ne quis putet כים , ſeu קים Palmyrenum aliud quidvis , quam Graecum ἀνέθηκε ſignificare . Nam quod ad ק attinet in כ commutabilem , conſuli inter ceteros poterit Lightfooth , quem in rem noſtram laudat Chriſtophorus Cellar. Diſſert.vi. de Gent. Samar. hiſt. n.xv.

בכל־הת (10.) pro בְּכָל־הֹד . Quatuor in litteris erravit ſculptor . In *beth* , quam pede mutilam fecit ; in *caph* , quam dum capiti τȣ̃ ב inſerere voluit , omnino corrupit : in *lamed* , quam humiliorem , obliquioremque praeter morem effinxit , ac tandem in *he* , cui latus inferius anguli inſculpere praetermiſit . Ceterum in הֹד mirum non eſt Palmyrenos ת pro ד uſurpaſſe . Hae namque litterae non eiuſdem modo organi , ſed & ſimilis fere ſoni in communi pronunciatione eſſe videntur. Quamobrem in Hebraicis ipſis, Graecis, Syris , Arabicis , Aegyptiaciſque vocabulis haud raro inter ſe invicem permutantur . הד autem cum ו *vaucholem* interſerto , הוד plerumque legitur . Sed הֹד etiam per *cholem defectivum* in ſacris ipſis Bibliis ſcriptum quandoque occurrit . Sic habes Hierem. c.22. v.18. הֹד pro הוד . At vero הֹד , & ut eſt in Palmyreno epigrammate הֹת *maieſtatem , ornatum , ſplendorem , gloriamve* deſignat . Itaque בכל־הת , ſive בכל־הד eamdem ſententiam referent , quam exprimunt Graeca σὺν παντὶ κοζμῳ pro κόσμῳ ; nam & in hanc vocem κόζμῳ irrepſit permutatio τȣ̃ σ in ζ eius omnino ſimilis , quam mox accidiſſe vidimus inter ד & ת in הֹת .

כבר תלמר (11. 12.) . Niſi legendum ſit נִכְבָּד pro כבר quod eſſet *honoratus* , *magnificus* , *glorioſus* , *opulentus* , & nobilis τῆς תלמ־ר *Palmyrae* ; retinere oportebit כָּבֵר *divitem* , *gravem* , *magnum* , *ingentem* , & ſimilia deſignans . Abraham dicitur כָּבֵד , & *dives* exponitur c. 13. Gen. v.2. Quid , ſi כבוד ſit , tacito ו , *inclytus* , *honoratus* , *altaeque gloriae* vir , quemadmodum כבודה Pſalm. 44. v.14., & Ezech. cap.23. v.4. interpretatur R. David f. Ioſephi Kamhi Hiſp. in m. s. l. radic. Hebr. ab Aegidio Cardinali Viterbienſi Auguſtiniani Ordinis Praeſule , & ornamento ſplendidiſſimo latine tranſlato ? Profecto apud Palmyrenos idem fuiſſe videtur , quod נִכְבָּד *nobilis* , & ni vehementer fallor , reſpondet τῷ Ἀδρίανος . Hoc enim nomen auctor huius noſtrae Inſcriptionis non ita interpretatur , quaſi patronymicum , & gentile eſſet ductum a civitate ipſa *Palmyra* ab Hadriano Imp. inſtaurata , & inde *Hadrianopolis* nuncupata , ſed tamquam titulum honoris , & gloriae , quo *L. Aurelius Heliodorus* inter ceteros eiuſdem urbis cives excelleret . הדרה , aut הדרא Hebraice , & Syriace eiuſdem fere ſignificationis eſt cum כבר , & נכבר *dives* , *magnus* , *honoratus* , *glorioſus* . Atque ex hac Hebraica origine *Iohannes Albertus* derivatas coniicit apud Heſychium Graecas illas voces : Ἁδροὶ , πλούσιοι : Ἁδρὸν , μέγα : Ἁδρὸς , πολὺς , μέγας , πλούσιος : ἁδρύνθεντος , μεγαλύνθεντος . Hincque ἁδροὶ in Septuaginta-Virali verſione Iob c.9. v.9. iidem ſunt ac שרים , qui ἄρχοντες ab Origene appellantur . Nihil itaque eo facilius eſt , quam ut ex *graecizantium* Palmyrenorum licentia הדרה , aut הדרא tranſierit in Graecum ἁδρίανος , quo cum parem ſignificationem habeat נכבר , vel כבר *magnus* , *opulentus*, *nobilis* . Sed & cur non ego putem ex hac ipſa radice prodiiſſe proprium , quod eſt , *Hadriani* nomen ? Neque idcirco fit , ut ego adverſari audeam litteratorum principi Henrico Card. Norisio , Sponio , aliiſque doctiſſimis viris , qui Ἀδρίανος tamquam male ſcalptum Ἀδριανεὺς patronymicorum more , *Hadrianeus* , ſive *Hadrianenſis* , in Graeca tabula legendum iubent . Id unum aio in *Hebraico-Palmyrena* epigraphe Ἀδρίανον pro viro diti , illuſtri , magnifico , & inclito uſurpari . תלמר , quod ſequitur nomen eſt *Palmyrae* . Ea תדמר *Tadmor* dicitur II. Paralipom. c.8. v.4. , heic vero corrupte תלמ־ר *Talmor* , verſo ד in ל . Nam ד paullulum inflexum antiquiſſimam formam ſimu-

lat ^ Phoenicii, ſive etiam Hebraici, apud cl. Montfauconium in *Palaeogr.* Graeci deinde novo corruptionis genere ex *Talmor* , vel *Talmyr* fecerunt *Palmyr* : & hinc Παλμύρα, quae primum *Tadmor* apud Graecos omnes ſcriptores audire coepit. *Thomas Hyde* rem hanc aliter explicat cap.24. de rel. vet. Perſ. pag.312, nov. edit. Obſervat vir praeſtantiſſimus variis in nominibus litteram Arabicam *dal* oblongiorem, *propter figurae ſimilitudinem , a ſcribis fuiſſe mutatam in* lam , *eodem modo quo factum fuit in nomine* تدمر Tadmur, *mutato in* بلمر *Palmyr* . Sed antequam ordo iſte Perſarum , Arabumque ſcribarum innoteſceret orbi , iam Palmyreni ipſi , ut ex hac ipſa inſcriptione colligitur, *Tadmor* nomen, *Talmor* ſcribere , aut certe pronunciare coeperant. Sed de *Tadmor* nonnulla , quae adnotanda ſuperſunt, dabimus in Commentario Inſcriptionis ſecundae.

בר־דאנדרתוכו (13. 14.). In graeca epigraphe praenomen , nomen , & cognomen legitur auctoris votivae tabulae : Λ. Αὐρ. Ἡλιόδωρος Ἀντιόχου . At in Palmyrena , ne ſimplici quidem illius nomine commemorato , idem ipſe unice dicitur בַּר־דָּאַנְדרְתוֹכוּ *filius Antiochi* ; more, uti ego ſuſpicor , Zoroaſtrianorum , quibus perinde atque Hebraeis , Chaldaeis , & Syris inuſitata , aut fortaſſe etiam inviſa eſſet in religioſis monumentis ampulloſa illa Romanae, Graecaeve nomenclaturae ratio . Nam quae duo Inſcriptionum exempla profert Barthelemyus in Tab.II., in quarum altera *L. Aurelius Septimius* , in altera vero *L. Aurelius Salmes* (*Bar* filius) *Caſſiani* , eo iudice , atque ſequeſtro , legitur , ſacra non ſunt. Reliquum modo eſt, ut moneam in voce דאנדרתוכו geminas litteras דא eſſe ſuppletas ; quippe quae in ſaxo Capitolino longa vetuſtate detritae evanuerint. ד praepoſitum ibi eſt loco Chaldaici , aut Syriaci genitivi articuli , quo & ipſe Iudaeus Miſcnae ſcriptor perſaepe utitur . א initialis eſt אנדריוכו nominis , de quo nulla prorſus dubitatio oriri poteſt. At vox בר adeo conſpicua eſt in Gruteriano apographo , ut eam laudatus Barthelemyus primo ſtatim obtutu cognorit , & adnotarit. Huic autem Palmyrenae locutioni ſimilis eſt Syriaca lib.I.Machab. c. 10. v. 1., ubi quod Graecus legit : (Ἀλέξανδρος) ὁ τοῦ Ἀντιόχου ὁ Ἐπιφανὴς , Syrus ita vertit : ܒܪ ܐܢܛܝܘܟܘܣ ܒܪܗ ܕܐܢܛܝܘܟܘܣ ܐܦܝܦܢܣ Alexander *filius Antiochi filii Antiochi Epiphanis* . Zoſimus lib. I. Hiſtoriae novae ea narrans , quae Palmyreni Aureliano Imperatori rebelles moliri ſuſceperant, ne ſub Romanorum iugo , imperioque eſſent , ſcribit : Παλμυρηνοὶ δὲ Ἀντιόχῳ περιθέντες ἁλουργὲς ἱμάτιον, κατὰ τὴν Παλμύραν εἶχον. *Palmyreni vero quum Antiochum purpureo indumento ornaſſent , apud Palmyram ſe continebant* . Sed Aurelianus, dum per Europam in itinere verſaretur , audita defectione Palmyrenorum , qui & *Sandarionem* ab eo in praeſidio poſitum cum DC. ſagittariis occiderant , Orientem regreſſus praeter omnium exſpectationem Antiochiae apparuit , indeque Palmyram divertens civitatem ſine praelio captam evertit , *dimiſſo Antiocho , quem* , ut idem ipſe Zoſimus ait, διὰ τὴν εὐτέλειαν *propter humilitatem ne dignum quidem ſupplicio arbitratus eſt* . At *Flavius Vopiſcus* in Aureliani vita *Achilleo cuidam parenti Zenobiae* Palmyrenos *paraſſe imperium* dicit. In quem locum *Salmaſius* , quaſi Vopiſcum emendaturus , *Antiochum* , inquit , *non Achilleum vocat Zoſimus* ; quamquam *Zoſimi* fidem in eo , quod de *humilitate , vilitateque Antiochi* ſcripſerat , ſuſpectam ſignificare velit , dum teſtimonium adoptat *Vopiſci* , qui *Achilleum* (alias Antiochum) appellat *parentem* , ideſt *cognatum Zenobiae* , *cuius origo Cleopatrana* erat. Hoc idem ſentire viſus eſt Tillemontius. Ex his coniicere nonnemo poterit , *Antiochum* patrem L. Aur. Heliodori, de quo mentio fit in hac Palmyrena Inſcriptione eumdem fortaſſe fuiſſe, quem *cognatum* Zenobiae dixit Vopiſcus . Huius certe Antiochi noſtri domus illuſtris erat, & tempora cum rebus geſtis ſatis apte conveniunt.

לשת;

לשת (15.). Si in hoc vocabulo, quod ego ex Chaldaico אסא, aut potius ex Syriaco ܐܣܐ compoſitum puto, ante ל addideris vocalem א neceſſario ſubintellectam; deinde ש pro ס, poſitum cogitaveris ex vi mutuae permutationis; quae inter has litteras crebro fieri ſolet; tandemque ante ש, *cholem ſimplex* loco *vau* Chaldaici, aut Syriaci adieceris, habebis לשת Palmyrenum idem cum Chaldaico לאסות, vel לאסותא iuxta Syros, quod eſt *ad ſalutem*, Graece υπερ σοτηριας. אסות Chald. apud Buxtorfium in Lex. Talm., & ܐܣܝܘܬܐ *ſalus*, aut *ſanitas* dicitur a Syro interprete Actor. cap. 4. v. 22., unde eſt ܠܐܣܝܘܬܐ *ad ſanationes* v.30. Eiuſdem etiam originis ſunt vocabula Aegyptia ⲥⲱⲧ *ſervare*, & ⲥⲱϯ *ſalus*, *redemptio*, ne cui mirum videatur, ſi quod Chaldaeus, aut Syrus per *vau* efferret, Palmyreni pronunciarunt, ſcripſeruntve per *cholem* לשׁת *l-aſot*, aut *l-aſiot*. Affixum pronomen ו in לשתו, quod viſus mihi fueram conieciſſe ex veſtigiis fallacibus *primi exemplaris*, in altero emendatiori prorſus evanuit.

שסגול (16.) pro שסגלה ſcalptum eſt, ש altera commutata in ס, & ה paragogica in fine vocis ſilente, utpote quae ex more gentis in ל fortaſſe deliteſceret. Ac mea quidem ſententia hoc in loco ſic explicari poſtulat: *quae ſuiipſius propria* eſt. Eſt enim vocabulum compoſitum ex ש, quod idem ſonat in principio dictionis ac אשר pronomen ſcilicet relativum utriuſque generis, & ex סגול, ſive סגלה id quod cuique *proprium* eſt ſignificante. Si itaque שסגול referatur ad לשת antecedens, integre Palmyrenae locutionis vis ea erit, quam nos iam expoſuimus לשת שסגול *ad ſalutem* (ſuam) *propriam*, reſpondens Gr. υπερ σωτηριας αυτου. Haec ad normam emendati apographi. Nam antea, quum inter errantis exemplaris apices me deprehendiſſe putarem ו in fine vocis לשת, ſeu לסתו, & rurſus ו coniunctivum in principio ſequentis שגול, ac ſic utramque legerem cum affixo pronomine ו, לשתו ושגולו, interpretatio erat: *ad ſalutem ſuam*, & *coniugis ſuae*. Ac ego equidem non ignorabam שֵׁגָל in ſacris noſtris voluminibus *uxorem regiam*, & quoties unica ſit, *Reginam* ipſam deſignare, uti accidit Pſalm.45. v.10., ubi שגל *coniux*, Regina, adſtitiſſe dicitur ad dexteram ſummi Regis ac Domini in diademate, atque veſtitu aureo; itemque lib.II. Eſdrae cap.11. v.6., ubi *Rex*, & השגל *uxor* iuxta eum ſedens commemoratur; huius tamen nominis ſignificationem latius acceptam fuiſſe arbitrabar apud Babylonios praeſertim, Perſas, & Medos. Nam Danielis cap.5. v.10. unica eſt *Regina* מלכתא, quae in convivium ſolemne ingreſſa, Balthaſſarem Regem coram regni principibus alloquitur, ubi v. 2. 3. & 23. ter שגלתה *coniuges*, *uxoreſve eius* nuncupantur. Atque adeo ſicut נשים שרות, quod lib.III. Reg. cap.11. v.3., de DCC. uxoribus Regis Salomonis dicitur, de coniugibus quoque Satraparum, & Optimatum, qui Regi Medorum, & Perſarum ſuberant, uſurpatum noram; ita & שגל, non tam de Regis, quam de alius cuiuſvis viri principis uxore per quam aptiſſime dici potuiſſe ſentiebam. Atque hoc plane ſenſu in hac noſtra epigraphe uſurpari exiſtimabam. Mulier enim, quae heic indicatur, *uxor* fuiſſe coniicitur non quidem Regis, ſed viri primarii, decurionis, ac fortaſſe etiam principis Palmyrenorum, qualis dicitur Pollioni in xxx. Tyrannis, *Odenatus* antequam regale nomen ſumeret una cum uxore Zenobia. Quicquid vero diſcriminis intercederet inter שגל, & שגול in unius dialecti Palmyrenae diverſitatem refundi debere putabam.

וליחדו הכיות (17. 18.). Palmyreni epigrammatis auctor illud idem, quod eſt in Graeco και της συμβιου exprimere volens, ea loquendi formula uſus eſt: וליחדו הכית (uxoris ſcilicet) *una ſecum*, vel

vel *una ſimul viventis*. At ו *vau*, ut ſolet, ſcalptor corrupit. ל vero *genitivum* poſſeſſoris denotat, ſibique, ut ego coniicio, inſertam gerit litteram י; unde oritur יחדו, quod eſt, *una ſimul*, *pariter*, quemadmodum exempla plura Scripturae Sanctae demonſtrant. Si praeter *lamed* cum *jod* inſerto, formam *chet* Palmyrenae, quam cum ח Hebraica conferas, quaeris, eam tu vide non modo in Alphab. Tab. III. Barthelemyi num. I., ſed & num. II. in Hebraica verſione huius vocis ex Gruteriano exemplo; ubi tres Palmyrenas *lamed*, *chet*, & *vau* pares agnoſcit totidem Hebraicis ו, ח, ל. Tota fallacia ineſt in media ד, cuius rectas lineas, quae ad angulum efformandum duci debuerant rude ſcalprum in unicam curvam male, enormiterque convertit. Ad הַיְתָ, quod ſpectat, proprium illud eſt, teſte Buxtorfio in Lex. Thalm., *viventis feminae* vocabulum; nam ה praefixum τῆς חית locum tenet articuli *demonſtrativi*. Habet quidem nomen hoc Palmyrenum כי *caph* cum *jod* ei in ſuperno apice, ut ego opinor, inſerto. Sed כ pro ח poſitum intelligi debet. Sunt enim eiuſdem organi litterae, quae inter ſe permutantur; niſi quis forte putet ſcriptorem Palmyrenum uſurpare voluiſſe ϧ *chei* Aegyptiam pro ח Hebr. Nam Aegyptia lingua acceptiſſima erat Imperatrici Zenobiae, quae generis ſui nobilitatem a Cleopatrae, & Ptolemaeorum Regum ſanguine repetebat; eamque, uti credo, plerique Palmyrenorum callebant.

ואבניהו (19.). Lectio in ſaxo ipſo perſpicua eſt; eaſdemque pene litteras dedit in laudata Tab. III. num. 2. Barthelemyus. Sed א ceu dubium notavit, illudque praeterea tamquam alienum ab huius vocis formatione ſpectavit. Itaque בנוהי legit, *jod* in בניה ſumens pro ו, & *jod* alterum tamquam finale addens τῆς בנוה. At vero hac noſtra lectione poſita, quam ego propemodum certam exiſtimo, ואֲבְנַיְהוּ e regione Graecarum vocum, και των τεκνων, vertendum erit, *& filiorum ſuorum*. Et ne cui fucum faciat א Hebraeis inuſitatum in nomine בן, intelligat is Palmyrenam epigraphem in hoc vocabulo ſequi Chaldaicum אבנא, aut Syriacum ܐܒܢܐ, ſive Arabicum ابن; unde eſt cum *protheſi* א, & ו ה verbale loco pronominis affixi ו, noſtrum iſtud ואבניהו ad exemplum גִבּוֹרֵיהוּ *fortium eius*. Nahum c. 2. v. 3. לְרֵעֵהוּ *amicis ſuis* I. Reg. c. 30. v. 26., aliorumque.

בירח דשבט (20. 21.). Sic etiam legit praeſtantiſſimus Barthelemyus ſi unum excipias articulum Chaldaicum, aut Syriacum ד; qui tamen in eo, quo utimur, exemplari ſatis obvius, & conſpicuus intuenti occurrit. *Teth* vero Palmyrenum in דשבט ad formam deflectit Syriaci ܛ. Sed curvam non habet, quae ut in Syriaco aut haſtam tangat, aut eam interſecet. Similius proinde videri poſſet Hebraico ט, ſi huius haſtam paullo altius extuleris, & curvam paullo minorem duxeris. Atque hinc mihi ſuſpecta eſt figura *teth* Palmyreni ab eodem Barthelemyo ad exemplum numericae notae 6 in Alphabeto ſuo impreſſa. Haec de litteris, & de lectione. Modo ad interpretationem venio, quae quidem plana omnino, & expedita eſt בְּיֶרַח דִשְׁבָט *in menſe* τοῦ *Scebat*. Nam etſi חדש *menſis* in divinis antiqui foederis libris vocetur, יֶרַח tamen apud Chaldaeos, & Talmudiſtas in magno Lex. Buxtorfii non luna tantum, quae id nominis gerit etiam in ſacris Bibliis, ſed & *menſis* appellatur. Idem eſt de ܝܪܚܐ Syrorum. Is erat menſis שבט *Scebàt*, *undecimus.* anni Hebraici, uti legitur Zachar. c. I. v. 7., Marcus Marinus ignorari affirmat Syriacae ne ſit, an alterius linguae vocabulum iſtud שבט. De eo Cardinalis Noriſius Differt. II. *de epoch. Syromaced.* praeclarum hoc S. Hieronymi teſtimonium recitat ex ipſius Comment. in c. I. Zachariae: *Et eſt* (Scebat) *in acerrimo tempore hyemis, qui ab Aegyptiis* Mechir, *a Macedonibus* Περιτιος Peritius, *a Romanis*

nis Februarius *appellatur*. Cetera, quae ex Chaldaeorum, Thalmudiſtarum, & Rabbinorum ſcriptis afferri poſſent de שבט, dabit in M. L. ſuo Buxtorfius. Id unum in praeſentia, quod ad rem noſtram maxime ſpectat, obſervandum eſt Palmyrenos, interque eos praeſertim ſacerdotes *Solis*, *anno* uſos fuiſſe omnino *duplici*, quorum alter *civilis*, alter vero *ſacer* eſſet. Civilis *Seleucidarum Macedonum* erat; eiuſque nota eſt certiſſima in Graeca inſcriptione expreſſa μηνος Περιτιου *menſis Peritii*. Huius anni initium, ut ibidem Noriſius meus obſervat, ſumebatur *ab autumno*. Sacer vero *Hebraeus*, erat *lunaris*, exordium ſumens a Niſan, cuius etiam pars eſt menſis שבט *Scebat*. Hoc utebantur ad dies feſtos ordinandos, & ad epochas quaſvis ſacras conſignandas, quemadmodum epigramma noſtrum ſatis aperte demonſtrat. *Scebat* autem a *Niſan*, atque adeo a menſe *Martio* numeratus reſpondet *Ianuario* noſtro Iuliano, ut Buxtorfius, aliique Hebraicae Chronologiae periti unanimi conſenſione teſtantur. Atqui eadem prorſus ſacri anni forma ab Aſſyriis populis mutuata apud antiquiſſimos Perſarum Zoroaſtris myſteriis initiatos vigebat: illiuſque initium ducebatur a *Martio*: & menſis *undecimus* cum *Scebat*, *Ianuario* congruebat. Multis de eo diſſerit πολυμαθέστατος Hyde in lib. de rel. vet. Perſ. cap. 14. Deinde cap. 15. vetuſtiſſimum exhibet Perſo-Medarum menſium ordinem, in quo *Ianuarius* menſis مهر *Mihr* appellatur, *Mithrae* ſcilicet, quod eſt ut idem ipſe Hyde ſcribit c. 19. p. 244: *Nomen Angeli, qui cenſetur praeeſſe omnibus rebus in hoc menſe, eiuſque die* XVI. *actis, & agendis, praeſertim omnibus rebus quae amorem, & amicitiam ſpectant. Ab eo quoque pendet omnis totius populi computus, & numeratio, & in eius manu ſunt praemia, & poenae* .... De *die* autem XVI. haec ſcribere pergit: *Ut diſtinguatur a* Mihr menſe *vocatur* مهرروز Mihr-ruz, *ideſt* Mihr dies; *eſtque Magorum, & veterum Perſarum* (*excepto* Nauruz chaſſa) *omnium maximum, alias vocatum in plurali* مهرگان Mihr-aghan, *ſeu ut Arabes* ſcribunt مهرجان Mihragian, *ideſt*, Mithralia, ſeu Mithriaca. *Hoc feſtum celebratur per* VI. *dies, quorum primus eſt dictus* مهرگان عامه Mirhagan amma, *ideſt Mithriaca vulgaria, ſeu communia; & huius feſti finis eſt dies* XXI. *dictus* مهرگان خاصه Mirhagan chaſſa, *ideſt Mithriaca peculiaria, ſeu propria*. Pluribuſque demum allatis cauſſis, cur ex variis Perſarum narrationibus ea Mithriacorum celebritas iuſtituta referebatur, concludit in haec verba, *res plana eſt quod ſcilicet cum* Mihr *ſignificent* Solem, *inſtituta fuerint* Mithriaca *in honorem Solis, ſcilicet ſecundum* veteres in Ianuario, *ſeu Solis acceſſu*; nam Mithriaca *in Septembri*, ut ille idem mox addit, recentiora ſunt; deque eis pauca tradit Anquetilius Tom. II. pag. 574., ubi *Meherdjan* ex *Meheraghan* pa-zhend τε *Mithra gathh* interpretatur *tempus* (*conſecratum*) *Mithrae*. Hoc igitur menſe, *Ianuario* ſcilicet, *Scebat* nuncupato, & *Mithrae Soli ſacro*, dedicatum eſt *Aglibolo*, & *Malachbelo Diis patriis*, *Hormuzd* nempe, & *Mithrae*, ſive *Iovi*, & *Soli* ſignum iſtud argenteum a L. Aur. Heliodoro Palmyreno Antiochi filio. Neque id tantum, ſed ex quo Περίτιος Macedonicus, menſis videlicet *Februarius* anni civilis Palmyrenorum concurrere iam coepiſſet cum Scebat, ſive Ianuario ſacro labente, quando ſigni dedicatio contigit, coniici iure poteſt, eam incidiſſe in diem ſolemniorem *Mithriacorum* XXI. Ianuarii, aut in alium quemvis ex iis, quibus *Mithriaca* celebrabantur. Quo certe tempore nullum magis aptum, magiſque opportunum ad huius monumenti conſecrationem ſeligi ab Heliodoro poterat.

שנת זו . פה (22. 23.). Planiſſima eſt lectio שנת ex Gruteriano quoque exemplari apud Barthelemyum cit. Tab. III. num. 11. educta, eaque Graecum ετους exponit. שָׁנָה Hebr. *annus* dicitur, ſed שנת cum ſequenti annorum numero conſtructum ſcribitur; cuius ſcriptionis exempla frequentiſſima ſunt in ſacris Bibliis, ut Lev. c. 25. V. 11.

v.11. שנת החמישים, Daniel. cap.7. v.1. בשנת חדה, aliiſque in locis plurimis, quae ſingula referre nil praeſtat. Cavendum tamen eſt, ne *nun* Palmyrenum uti in hoc noſtro Romano ἀντιγράφῳ depingitur, cum *vau*, aut etiam *ghimel* figura confundatur. *Thau* in tota hac epigraphe *triforme* videtur. 1. Purum putum *Hebraicum*, ſive *Aſſyrium* eſt. 2. *Samaritanum* imitatur. 3. *Syriacum* in hac ipſa voce *Scenath* aemulatur; eam referens formam, quam gerit *thau* in Syro Cod. Evangeliorum antiquiſſimo biblioth. Angelicae. Poſtremae litterae Palmyrenae *numerales* ſunt, pares omnino Graecis tribus Z M. Φ. At forma *zain* Hebr. ז, accedit ad ἔκτυπον *tertiae Phoeniciae*, ſive *Samaritanae*, ex R. *Azaria* impreſſum in Alphabeto Palaeograph. doctiſſimi Montfauconii ad pag.122. Quamquam eam mihi comparanti cum *zain* laudati Cod. biblioth. Angel., *Syriaca* viſa eſt; in eaque ſententia me confirmavit iudicium docti *Adlerii*, poſtquam & ipſe mecum utramque, Syram ſcilicet, & Palmyrenam, alteram cum altera collatam acriter admodum, diligenterque conſiderarat. Hanc litteram non agnovit Barthelemyus; unde & eam in Alphab. Tab. III. praetermittere coactus eſt. Quam enim in Alphab. Tab.I. edidit, ſimilem Latinae *I*, illius fidei, & auctoritati volens, lubenſque relinquam. In altera numerali *mem* ſi ſupernam tranſverſalem paullo proximius ad contactum ſiniſtri lateris ductam concipias, non poteris non agnoſcere Hebraicum מ. Inter hanc *ſecundam*, & *tertiam* ſequentem lineola aliquantulum curva, quae *vau* Palmyrenum referre poſſit, intercedit. Quod ſi eſſet, vim haberet merae coniunctionis *et*, nihilque novi adderet, unde nativa *numeralium* litterarum ſignificatio, earumque valor immutari contingeret. Imo & in hoc Inſcriptio noſtra Hebraicum numerandi morem ſequeretur. Earum proinde litterarum lectio haec eſſet: זמ וף. Sed, niſi pro *vau* accipiatur, nuda erit interpunctionis nota eius plane ſimilis, quam in vetuſtis Arabum ſcriptis viri eruditiſſimi obſervarunt. Sicque lineola iſta idem prorſus munus praeſtabit, quod praeſtat punctum Graecum poſt M. & ante Φ. Tertia ſupereſt numeralis Palmyrena, quam ego compoſitam puto ex duplici *pe*, & *he*. Quae tamen litterae duae difficiles cognitu ſunt non tantum ob *nexum* ſculptoris negligentia interpolatum, ſed etiam ob earum lineamenta, quae a Syriaca ܗ hodierno occello deſtituta, & a Palmyrena *he* erecta, vel ab Hebraica ה propendente in coniunctionem cum ſocia *pe*, grammatici coniectoris oculus repetere debet. Obſervatum iam eſt nullam eſſe neque Hebraeorum, neque Samaritanorum, neque Chaldaeorum, neque Syrorum, aut Arabum linguam, quae litteram habeat Graecae Φ aequalem. De Latinis nihil eſt cur dicam: noſtra ipſi novimus. Eadem littera carebant Graeci antequam eſſet a Palamede inventa. Quamobrem vetuſtiſſimis illis temporibus ut parem obtinerent binis hiſce π & η utebantur: *olim enim η*, teſte Montfauconio lib.II. Pal. cap.3., *pro aſpiratione tantum uſuveniebat*. Idem hodieque noſtrates praeſtare coguntur addentes aſpiratam τῷ *P* Latino, ut vim Graeci φ aſſequi valeant. Habent & alii Orientales populi ſcripturae, & linguae affectiones, quibus ſuppleant in eorum *pe* quicquid deeſt ad illud reddendum aequale *ph*. Qua in re parum curioſi, & accurati ſunt Talmudiſtae. At Palmyreni in hac inſcriptione τῷ ܦ Syriacae non admodum diſſimili a פ Hebraica, addiderunt aſpiratam ה; alteram cum altera nectentes, ut ad adamuſſim reſponderet τῷ φ. Sic autem זם · פה, reddit eamdem annorum ſummam, quae eſt in Graeca epigraphe Φ. MZ ideſt DXLVII. epochae Syromacedonum, aer. Chriſt. CCXXXVI. *qui primus erat imperii Maximini, eodem Maximino Aug., & Africano Coſs.*, iuxta calculum ab Eminentiſſimo chronologo Henr. Noriſio traditum in laudata Differt.4. Hactenus de Inſcriptione prima. Ad alteram modo veniam.


MONU-

MONUMENTI PALMYRENI

Inſcriptio Latina in Ara antica ſub Ave ſacra geſtante protomen Solis radiati

SOLI SANCTISSIMO SACRVM
TI. CLAVDIVS FELIX ET
CLAVDIA HELPIS ET
TI. CLAVDIVS ALYPVS F. EORVM
VOTVM SOLVERVNT LIBENS MERITO
CALBIENSES DE COH. III

Inſcriptio Palmyrena in Ara poſtica ſub curru Solis a Gryphibus rapto Malachbelum ſtolatum, & ab alato Genio coronatum, vehente



Lectio Inſcriptionis Palmyrenae Hebraicis litteris concepta

1 2 3 4 5 6 7 8
עלתא תה למלכבל רינל הינל דנדר טוב וכרים מלווים

9 10 11 12 13
כלביסי ותדמרי הלאל הנ־הן שלם

Interpretatio Latina

1 2 3 4 5 6 7 8 9
Ara ſacra Malachbelo cauſſa ſolvendi voti. Magi Antiſtites cohortium Calbienſium,

10 11 12 13
& Palmyrenorum celebrarunt lubentiſſime ſolemnia conſecrationis

COMMEN-

COMMENTARIUM.

Ad ea illuſtranda, quae in hoc noſtro exegetico Commentariolo dicturi ſumus, *ſimulacra duo*, quorum alteri Latina, alteri Palmyrena Inſcriptio ſubeſt, plurimum lucis adferre poſſe confido. Iam Thomas Hyde animadvertit Palmyrenos ad Solem repraeſentandum adhibuiſſe *caput radiatum*. Tale eſt quod cernitur ſub ſimulacro Monumenti Palmyreni Latino epigrammate inſigniti. Sed non tam caput, quam *protomen* cum radiato capite marmoreum hoc *anaglyphum* exhibet, in quo inſignia etiam apparent ſtolae, ſive *clamydis* regiae. Illiuſque indumenti forma eam imitari videtur, quae in pleriſque Perſicis Mithrae figuris conſpicitur. *Avis* deinde, cui Sol inſidere fingitur, character eſt proprius *vectoris volucris* Mithrae in Zoroaſtris inſtitutionibus commendati. Eum enim *Eoroſchaſpem alitem fortiſſimum, vigilantiſſimumque bellatorem, praefectum vigiliis in tutelam, & cuſtodiam omnium ſpirituum*, aliove nomine *Simorg*, aut *Sinmorg*, avem fabuloſam, aquilae ſimilem vocant, mireque celebrant liturgicae preces Mithrae oblatae in libro *Ieſchts ſades* card. 26. apud Anquetilium Tom. II. pag. 223., & alibi. Hinc fortaſſe in Coſmogon. Perſar. pag. 338. *aquila* deſcribitur, quae ſuis innixa, atque librata alis utramque orbis extremitatem pertingat. Quae quidem, etſi in recentibus Perſarum voluminibus Zoroaſtri quomodocumque tributis, referri credam, non dubito tamen, quin ab eo tamquam harum fabularum auctore originem ſuam agnoſcant.

Ex eadem officina prodiiſſe videntur ſymbola, quae in altera Palmyreni monumenti tabula conſpiciuntur. De *curru*, & *equis* Solis Chananitarum, quorum mentio fit II. Reg. cap. 23., הסוסים לשמש ואת־מרכבות השמש verſ 11., perinde, atque de curru, & equis *Iovi* ſacris in militaribus Perſarum proceſſionibus ſive cum imagine Solis, ſive in Solis honorem inſtitutis, plura tradit laudatus Hyde de vet. Perſ. relig. pag. 113., & ſeqq., ubi illud etiam obſervat *equos* deinde fuiſſe verſos in *gryphes*. Sed & hoc idem cernere licet inter *Iconiſmos* Mithriacos ab eo editos ad pag. 111. Similia ſeſe nobis ſpectanda offerunt in ſculptis hiſce imaginibus Palmyrenis. Sed *gryphes*, quos vocat Hyde, *aves* illas eſſe ſuſpicor *fabuloſas*, de quibus mira loquuntur iidem ipſi liturgici libri Indorum, & Perſarum ex Zoroaſtris *Zend-Aveſta* excerpti. Mithra ipſe de *quatuor* hiſce *albis avibus caeli alumnis*, *aureos pedes gerentibus*, *probe inſtructis puritatem loquentibus*, *ſibique ſubiectis* cum eodem Zoroaſtre ſermonem habuiſſe dicitur in card. 31. *Ieſchts de Mithra* Tom. II. pag. 228. ex Anquetilio, ubi in adnot. 2. eorum quoque nomina ex aliis locis collecta proferuntur: *Eoroſch*, nempe, corvus caeleſtis, ſeu vultur, vel *accipiter* pro ſymbolo divinitatis a Zoroaſtre, teſte Euſebio, uſurpatus: *Houfraſchmodah*, alias etiam *Peroderefch*, gallus & ipſe caeleſtis: *Eoroſchaſp*, de quo iam diximus, & *Aſchtrenghah*, ſive *Aſchtervaſch*. Si equi, deinde, ſi gryphes, ut & currus, ſacri erant *Iovi*, quem nos *Oromaſdem*, ſive *Hormuz* Perſarum eſſe oſtendimus ad Inſcriptionem primam, idem de avibus hiſce dicito, quae ab *Hormuzdo* magiſtro ac praeceptore in caeleſtibus diſciplinis eruditae, informataeque traduntur. Quamquam *Sol donum Mithrae*, *dominus* equorum IV. dicitur in *Ieſcht Farvardin* card. 26. cit. Tom. II. Anquetil. pag. 275. Quid porro dicam de Genio alato coronam imponenti ſuper caput aurigae Regis, ignoro. Fortaſſe *Hormuz* ille eſt, qui Mithram, ſeu Solem Regem Regum inſtituit. Hinc Magi, & populi Zoroaſtris praeceptis imbuti Mithram invocabant tamquam *omnis imperii*, *regni*, *praefecturae*, *coronae*, *& ſceptri datorem*: *germen militum Dei Hormuzdi*, *caput omnium urbium*, *& provinciarum*, *praeſidium copiarum*, *victoriarum largitorem*, *exercituum ſervatorem*, *depulſorem hoſtium*, *& publicae pacis*, *atque ſalutis auctorem* venerabantur, ut non ſine cauſſa credam huic ipſi Numini Mithrae ſub *Malachbeli* nomine, utrumque

& La-

& Latinum, & Palmyrenum monumentum fuiſſe conſecratum. Quid vero coniunctionis cum his habeat inſcriptio Palmyrena, *exegetica*, quae e veſtigio ſequitur, commentatio noſtra ſatis, uti auguror, perſpicue demonſtrabit.

עלתא תה (1. 2.). Syriaca nempe vox eſt ܥܠܬܐ Hebraicis litteris עֲלָתָא, quae *aram*, *altare*, *excelſumve* deſignat. Unde Syrus interpres τὸν βωμὸν Actor. 17. v.23. inſcriptum ἀγνώςῳ θεῷ vertit ܥܠܬܐ *aram*. Huius nominis radix eſt quidem ab Hebr. עלה, quod eſt *aſcendere*, *in altum progredi*, ſed nomen ipſum עלתא, quo *altare* ſignificetur, in ſacris Hebraeorum voluminibus non reperitur. A Syris igitur, quorum lingua Palmyrenis familiaris erat, deſumptum eſt. Sed & ab iis ſunt litterae duae ܥ, & ܠ, quemadmodum obſervavimus in commentariolo noſtro ad Inſcriptionem primam. Inde etiam Arabicas ع, & ل deductas opinor. In תה pariter *prima* Palmyrena Syriacam *thau* ܬ imitatur. Si enim *haſtam* hodiernae Syrae paullo infra *dentem*, ſive (dum ita loqui tibi magis arrideat) infra *pedem*, *tranſverſamve lineolam* produxeris, habebis continuo *thau* Palmyrenam ex Syriaca ipſa ſua quaſi ſponte natam. Neque id difficile erit perſuadere eruditis hominibus, qui meminiſſe velint diu poſt Inſcriptionis noſtrae tempora Syrorum litteras ad eam, quam hodieque retinent, formam fuiſſe, ut Anquetilius, aliique volunt, ſaec. circiter VII. auctore Iacobo Orphenſi, ſive *Edeſſeno* redactas. Quamquam praeclariſſimus Ioſephus Simonius Aſſemanius Tom.I. Biblioth. Orient. id unum de Iacobo affirmet: *Linguam Syriacam priſtinae puritati, a qua deflectere iam coeperat*, ab eo tamquam principe Syriacae grammaticae ſcriptore, fuiſſe reſtitutam. Sic & *he* ſequentem ex ܗ Syra derivatam agnoſces, ſi ex puncto medio rectae, cui orbiculus haeret, lineas duas inter ſe diſtractas ita deſcripſeris, ut totidem angulos habeas cum recta ipſa acutos. Brevi, circellum ſolve in lineas duas utrimque divulſas, unde iidem oriantur acuti. Sic etiam eadem fere eſt ac ה Hebraica, non erecta, ſed iacens, ut ſemel, iterumque in ſuperioribus monui. At cavendum heic eſt, ne confundatur cum *pe* Phoenicia, de qua dixi ad finalem vocis כסף 1. Inſcriptionis. *Thaha* vero Palmyrenum pro תָּאָה Hebraico eſt, *deſignavit*, *limitavit*, *definivit*, *conſignavit*, *ſignumve poſuit*, & accommodate ad rem, qua de agitur, *decrevit*, etiam, *dedicavit*, & *conſecravit*. Deeſt in תה epigraphes noſtrae א medium. Sed illud ex peculiari fortaſſe dialecto Palmyreni aut in pronunciando, aut etiam in ſcribendo ſubintelligebant in vocali ָ, atque ita תָה eliſo א efferebant. Similis enim *eliſionis* exempla in ipſis quoque Hebraicis ſcripturis occurrit. His adde, quod in iiſdem ſacris litteris verbum iſtud modo תאה per א modo תוה per ו exprimitur. Mihi igitur עלתא תָה idem eſt ac *ara conſignata*, *decreta*, *dicata*, & *conſecrata* Numini. Atque hinc intelligimus, quid illud ſit, quod *ſacrum* in Latina Inſcriptione vocatur.

למלך-בל (3.) Numini ſcilicet *Malach-Belo*, uti audivimus ex ſuperiori Inſcriptione, aut Chaldaico, Syrove more, quemadmodum Hyde, Seldenus, Cellarius, aliique *Malchabaal*, &, eliſo ע, *Malchabel*, vel *Malchabelo*, Regi nempe Belo, *ara* haec Palmyrena *dedicata* dicitur. Pro *Iove* eum accepit Hyde. Sed hunc errorem refellit Inſcriptio Latina, qua cum convenit Palmyrena. In ea enim *Sol* eſt, cui conſecratur ara. Quumque conſecrationis miniſtri Magi ſacerdotes fuerint; non alius eſſe potuit quam *Sol Mithra* a Palmyrenis nuncupatus *Malach Bel*, ideſt *Rex Sol*. Nam & Zoroaſtris aſſeclae Mithram, *Regem Solem* appellant; uti iam animadvertimus in Commentario Inſcriptionis primae Palmyrenae. Idemque, ni fallor, confirmant *ſymbola Solis*, quae Tabulis inſculpta in utriuſque epigrammatis fronte ſpectantur,

tur, quaeque nos ipſi ad uberiorem rerum lucem, in anteceſſum obſervanda protulimus.

Quid multa? Idem Perſarum Numen erat, ſed alio nomine nuncupatum. Sic ܫܡܫܐ Chaldaica lingua in Actis Martyrum Orientalium a S. Marutha Epiſcopo Tagritenſi *circa* IV. *ſaec. finem* exaratis, & ab eruditiſſimo ſcriptore Evodio Aſſemano Archiepiſc. Apamenſi ex Codd. I. & II. Nitrienſ. Vatic. biblioth. editis, *Sol* innumeris pene in locis conſtantiſſime appellatur, etſi dubitari nullo modo poſſit, quin aliter ex Zoroaſtrianae mythologiae inſtitutionibus dictus fuerit in *Perſide*, ubi *Sapore II.* imperante invicti illi, divinique fidei noſtrae Athletae, ne *Solem* colerent, immanes cruciatus, mortemque ipſamglorioſiſſime tolerarunt. Mitto quaerere de ܒܠ *Belo* Cyzicenorum, quiſnam daemon ille ſit, quem, ut eadem Chaldaica Acta Martyrum Tom. II. narrant, S. Stratonica inter cetera nomina admirabili Chriſtiani oris libertate deridet, *Saturnum*, ex Syrorum Diis alterum, idem ipſe egregius adnotator Aſſemanus, praeeunte Seldeno, interpretatur. Quidni? Teſte namque Servio in I. Aeneid. Virgil. *Apud Aſſyrios* Bel *dicitur quadam ſacrorum ratione & Saturnus*, *& Sol*. At in hoc noſtro inſcripto marmore non alium quam *Solem* eo *Regis Beli* nomine ſignificari puto. Meamque ſententiam praeclare confirmare videtur Romana Inſcriptio apud Gruter. pag. 28. Tom. I. edit. Hamſtaelod. In ea *RUF. CAEON CAERABINI .... pater ſacror. invict. Mithrae Taurobolinus*, ſive ex Lig. *Tauroboliatus*, qui *M. D. M. Idae*, *& Attidi Minotaurano Aram IIII. idus Mart. Gratiano IV.*, *& Merobaude Conſulibus* (ideſt an. Chr. 377.) *dedicavit*, *Augur* quoque dicitur *triplicis cultor venerandae Dianae*, *PERSIDICIQUE MITHRAE Antiſtes Babyloniae templi*. Ex his ſcilicet planum, apertumque eſt, Babylonicum templum, ubi *Caeon* Antiſtitis munus, dignitatemque geſſerat, fuiſſe *Mithrae* Perſarum dedicatum; quamquam is non *Mithra*, ſed *Bel*, uti ſcriptores ad unum omnes fatentur, a Babyloniis nuncuparetur. Hoc idem tu dicito de *Malachbelo* Palmyrenorum, cui, ut iam noſti, atrributa, notaeque prorſus univerſae *Mithrae* Perſarum conveniunt.

ריגל הינל דנדר (4. 5. 6.). Hoc certe in loco, ni ego fallor, רֶגֶל, *cauſſam*, *propter quam* aliquid fit, ſignificat. Huiuſque ſignificationis vim mihi declarant Edmundus Caſtellus, Zanolinus, Guarinus, aliique Lexicographi eruditiſſimi; qui in hunc plane ſenſum accipiunt לרגלי Gen. c. 30. v. 30., & לרגליו Habach. c. 3. v. 5. At Palmyrenus ſculptor ריגל ſimpliciter pro לרגל inſcripſit in eam fortaſſe alucinationem adductus ob concurſum τῶ ל finalis vocis in כל, quae hanc proxime antecedit, Reliqua eſt varietas ſoni, in quo רֶגֶל Palmyrenum differt ab Hebr. רֶגֶל, ſed eam in dialecti proprietatem refundere licebit. De τῆ *ghimel* vero in hoc ipſo vocabulo inſculpta, vide quae diximus ad Inſcriptionem primam. Nec te moveat *parergon* curvilineum haſtam ſiniſtrorſum interſecans. Eſt enim id enorme quiddam, & fortuitum lubrici ſcalpri additamentum.

Sequitur vox הינל; in qua *duas* priores Barthelemyus in Hebraica verſione huius noſtrae Inſcriptionis תי pro הי aperte legit. Difficultas eſt in *tertia*, quae ſimilis videtur Hebraicae ד. Hanc ſi dederis coniunctam cum ל habebis vocabulum הידל, quod a דלה derivatum, quaſi הִדְלֶה erit, & *elevationem* דנדר *voti* indicare poterit. At ego imperfectionem *penultimae*, quae ד Hebraicum mentitur, tribuendam puto negligentiae ſculptoris, qui ד pro נ imprudens effinxit. Mea itaque ſententia legendum eſt הִנְלֶה per *hiphil*, ſilente finali ה, aut, ſi mavis הִכְלֶה. Porro הִנְלָה *perficere*, ſive *complere* denotat Pſal. 30. v. 1. Idemque eſt de הִכְלָה. Nam כלה, & נלה, admonente Marco Marino, Buxtorfio, aliiſ-

aliiſque, pari omnino vi ac poteſtate *conſummare*, *perficere*, *explere*, & *abſolvere* ſignificant. Erit, qui cauſſam a me expoſcat, cur Palmyreni היגל, ſeu היכל ſcripſerint cum addita י in הי, & ה tacita in כלה, vel גלה. Huic quid aliud quam probabilem coniecturam adferam, prorſus ignoro. Credibile nempe ſit י ibi locum tenere ſubſcriptae vocalis *chirek* in Hebr. הִ; & ה in fine tacitam ex Palmyrenorum dialecto ſuppleri per vocalem ſubſcriptam ܫܠ ל, vel ſic eam vocem ſcribere conſueviſſe, quod ex verbo ſit deficiente in tertia ה; nam & Chaldaei תַּכְלִי pro תַּכְלָה ſcribunt. Profecto per hanc vocem Palmyreni aliquid exprimere voluere, quod reſpondere poſſet ܫܠ *ſolverunt* Inſcriptionis Latinae. Agitur enim heic de *voto ſoluto*. Et reapſe vox iſta היגל coniungitur cum דִנְדַר; ubi ד nota eſt ſive Syriaci, ſive Chaldaici genitivi, & נֶדֶר Hebr. *votum* deſignat. Quamobrem tota haec ſententia ריגל היגל דנדר ſic explicari poſtulat *ob ſolutionem*, *perfectionemve voti*, ſive *ad ſolvendum votum*, quod nos verborum ſyntaxim preſſius ſequuti, interpretati ſumus, *voti ſolvendi cauſſa*.

מוכיובדים (7.) Quoniam hoc unum nomen magnam nobis ſuppeditat rerum copiam, quae ad has tabulas rite interpretandas conducere queant; operae pretium erit curam omnem, ac diligentiam in eo exponendo adhibere. Quod ut ex ſententia accidat, in litteras Palmyrenas, quibus ſcriptum eſt, inquirere primum aggrediar. *Octo* eae ſunt. I. antiquiſſimam formam, ut ego arbitror, repraeſentat, unde Syri hodiernam ܡ efformare coeperunt; eademque erit ac מ Hebraica, ſi eam clauſam, paullo longius in ellipticae, ſeu ovatae figurae ſpeciem produxeris, illiuſque ſiniſtrum latus verteris in ſemicirculatam curvam, quae iacentis ellipſis verticem tangat. II. Eſt ו *vau* Hebraicum licet ſculptoris vitio mentiatur ד. Similis fallacia has inter litteras deprehenſa eſt in Inſcriptione prima; ſcalprum enim facile excurrit in *unci* longioris exarationem. Sed vide Alphabetum Phoenicium a *Pereſio* ad calcem Saluſtianae verſionis vulgatum, & a nobis ipſis non ſemel in ſuperioribus commemoratum. Ibi habes *vau* ex voce *nona* Inſcript. Phoenicio-Melitenſis excerptum, quod cum hoc noſtro Palmyreno facile comparare queas. Licet enim & ipſum ad Hebraici ו formam deſcriptum cernatur, lineam tamen ſuperiorem ad angulum cum perpendiculari efformandum tranſverſe ductam multo longiorem gerit, quam Palmyrenum. III. Aegyptiaca ϧ *chei* nobis ipſis viſa eſt in Commentar. ſuperiori. Hanc reſpondere putamus duplici Hebr. כי; quippe quae כ ipſum videatur י gerens in ſuperno apice nexum. Quamquam in pronunciando per כ ſimplex, ut apud Aegyptios efferatur. IV. Syriacum *vau*, quod eſt ܘ, apertiſſime exhibet; niſi forte quis ſit, cui magis arrideat ܘ *vau* Chaldaicum dicere, ſed erectum. In columna Hiſpanico-Phoenicia laudati Alphab. apud *Pereſium* figura Syr. ܘ reſpondet ע *ain* Hebraic., & in Alphabeto ms. Samaritano ab Aegidio meo Viterbienſi ante frontem lib. Rad. H. L. deſcripto ܘ Chaldaicae formae aequale ſit eidem Hebraico ע. Reliquae *quatuor* ipſiſſimae Hebraicae ſunt מ, י, ד, ב, ſed מ *finale* hodiernis Hebraeis ם, in eo ab *initiali*, & *medio* Palmyreno differre videtur, quod licet *apertum*, lineam tamen inferiorem habeat longius protractam. Ex his ſcriptio prodit, & pronunciatio nominis מוֹכוֹבָדִים *Mochobadim*, vel מוֹכִיוֹבָדִים *Mochiobadim*; ubi & id animadvertere praeſtat, illius *terminationem* non Perſicam, non Arabicam, non Syriacam, neque Chaldaicam, ſed *Hebraicam* eſſe in numero plurium.

Nunc mecum vide, quae ſit nominis huius origo, & ſignificatio. מוֹכוֹבָדִים idem eſt ac Perſarum مغ بدان *Mugha - badan*, vel *Mugho - badan*, a مغ بد *Mugh - bad*. Audiatur Hyde cap.30. de rel. vet. Perſar. p.369. & ſeqq.

Primus, inquit, *& antiquiſſimus ſacerdotii Perſici genus erat* مغ *Mogh*, *ſeu* موغ *Mùgh*, *ideſt Magus*, *ſcilicet* ordo Magorum. *Deinde his ordinariis illorum temporum.* Magis *praeficiebatur ordo ſuperior*, *eorum ſcilicet*, *qui vocantur* موبد *Mùbad*, *quod abbreviatum pro* موغ بد *Mùghbad*, *ideſt Magorum praefectus*, *ſeu Praeſul* .... *In libro* Sarràh Logat *legitur* Mubad eſt iudex Magorum, *ſcilicet iudex eccleſiaſticus*, *ſeu praeſul*. *Talis in Ph. Gi. exponitur*: Mubad eſt ſapiens, & doctus Magorum .... *In Nim. Sion.* Mubad eſt iudex Solicolarum .... *In Nim. Laud.*, Mubad eſt ſapiens, doctus, ſcilicet Solicola, ſeu Solis cultor .... *Antiquiſſimi iſtius ordinis ante* Zoroaſtrem *inſtituti*, *antiquus titulus manſit*, *& una cum eiuſdem ordinis*, poſt Zoroaſtrem, *recentiore titulo* (Deſtùr) *promiſcue uſurpatus eſt*. Paullo aliter Anquetilius in *Zend-Aveſta* Tom.II. p.555. ubi *Mobed* caput Perſarum *Magovad*, *ſeu* magnum *caput* interpretatur, & *Mobed rituum*, *morumque magiſtrum*, *atque doctorem* appellat. At Palmyrenum מוכו־כרים eſt a מוכיו־בר, vel מוכ־בר, non contracto, ut in Perſarum مو-بد *Mobed*, ſed integro ad formam موغ-بد *Mogh-bed*, quod exponitur *Magorum praeſul*, *antiſtes*, & *caput*. מוֹכ *Moch* autem, ſive etiam מוכי, quam apte reſpondeat מגש موغ *Mogh*, ſeu *Magh*, tute praeclare intelligis. Quin & מוכ noſtrum ad *Magum* ſignificandum multo fortaſſe antiquius eſt quam موغ Arabum, atque Perſarum. Nam Plato *Machagiſtiam* vocavit, quam nos *Magiam* dicimus Unde illa ſunt *Ammiani Marcellini* verba lib.XXIII *Plato* Machagiſtiam *eſſe verbo myſtico docet divinorum incorruptiſſimum cultum*. Inde etiam natum ſuſpicor recentiorum quorumdam Graecorum Μῶχος, cui ſi detrahas Graecam terminationem in ος, habes Μωχ, ſive מוֹכ Palmyrenum. Nimis deinde univerſis ferme linguis ſolemne eſt litteras γ, κ, χ, aut ק, כ, ח, ג, commutare. Sicque ex موغ *Mogh* Perſico, מוֹכ *Moch* Palmyrenum fieri quam facillime potuit; niſi contrarium potius acciderit, ut ex hoc noſtro מוֹכ factum fuerit Perſicum ipſum موغ. Idem dicito etiamſi כ ſimplex in epigraphe legeris כי. Ut enim مجوس *Magius* Arabum, & Syrorum, Chaldaeorumque ܡܓܘܫܐ eſt idem cum Gr. Μάγος; ita & מוכיו idem erit cum מוֹכ, & موغ; unde & a R. Kimchi מכשף quaſi *Magus Sophus* pro מגשף ſcribitur. Non omittam Anquetilii adnotationem ad cit. pag.555. *Le mot* Moge *n' eſt que celui de* Meh, *prononcé* Megh, *& qui ſignifie* grand, excellent, *ainſi que* Meheſtan, (quod ad *Machagiſtian* Platonis accedit,) *nom general des diſciples de Zoroaſtre*. Nam & cum *Moge* quam belle conſonet מוכיו, nemo eſt qui non ſentiat.

Ne plura. מוכו־בְּדים ſive מוכיו־בְּדים, & contracto nomine מו בְּדים *Movedim*, vel *Mobedim* Palmyreni iidem omnino ſunt ac Perſarum, & Zoroaſtrianorum *Mabedan*, ſive *Magovadan* ex Anquetilio, *Magi* nempe *Sacerdotes*, aut rectius *Magorum antiſtites*, *praeſules*, atque *praefecti* Solicolae. Ii ſacerdotali munere fungebantur Palmyrae in celeberrimo templo Solis; eique praefuere ad tempora uſque Aureliani Imperatoris; quum victa ad Emeſſam Zenobia, eaque Romam in triumphum adducta, & ingenti clade Palmyrenis illata, dirutoque templo caeſi ſunt, & exterminati ſacerdotes *Magobedim*; qui fortaſſe inter hoſtes Romani imperii tamquam omnium acerrimi deprehenſi fuerant. Sic Palmyrae totus hic ordo Magorum omnino periit. Quod ſatis aperte colligitur ex epiſtola eiuſdem Aureliani ad Ceionium Baſſum apud Fl. Vopiſcum: *Non oportet*, verba ſunt Imperatoris, *ulterius progredi militum gladios. Iam ſatis Palmyrenorum caeſum*, *atque occiſum* (al. *conciſum*) *eſt* ... *Templum Solis*, *quod apud Palmyram aquilifer legionis tertiae cum vexilliferis*, *& draconario*, *& cornicinibus*, *atque liticinibus diripuerunt*, *ad eam formam volo*, *quae fuit*, *reddi*: *habes trecentas auri*

libras

libras ex Zenobiae capſulis ; habes argenti mille octingenti pondo ; de Palmyrenorum bonis habes gemmas regias . Ex his omnibus fiat cohoneſtari templum . Ego ad Senatum ſcribam , ut mittat Pontificem , qui dedicet templum . Si enim quis ex veteribus templi Pontificibus a communi caede ſalvus , & incolumis evaſiſſet , & is ex eo ethnicorum ſacerdotum ordine fuiſſet , quos Caeſarei militis gladius religionis cauſſa vereri , tuerique debebat , quid neceſſe erat Aureliano de Pontifice ex urbe mittendo cogitare ? Deletus igitur & exciſus fuerat Palmyrae antiquus ordo *Magobadim* . Eos nec e vicinia , ſicubi forte reperiebantur , nec e Perſicis provinciis inviſum ſacerdotum genus accerſiri debere decreverat . Templum enim non veteri Zoroaſtrianorum hoſtium , ſed novo Romanorum ritu expiandum , dedicandumque ſtatuerat Aurelianus .

Quam amplae molis , atque ſtupendae magnificentiae , & elegantiae templum eſſet , tum ex parietinarum , columnarum , ruderumque reliquiis , tum ex dirutorum murorum ambitu Londinenſibus paſſibus omnino ter mille aequali , ut laudati Angli in *ruinis Palmyrae* ichnographicis tabulis ſummo ſtudio illuſtratis , teſtantur , coniicere licet . Verum quo primum tempore erectum fuerit , ibique Magi coeperint ſacerdotale miniſterium exercere , res eſt , quam quis divinare , ſed certo ſtatuere nemo poſſit . Ea mihi in animo inhaeret opinio , ut credam Zoroaſtris ſuperſtitionem Palmyram invaſiſſe ea ferme aetate , qua illius auctor , inſtitutorque florebat ; templum vero aliquandiu poſt ſolutam Hebraeorum captivitatem , & divinae domus , urbiſque ſanctae reaedificationem fuiſſe fundatum . Scribit Iohannes Antiochenus Regem Nabuchodonoſorem Palmyram devaſtaſſe antequam ad Hieroſolymorum obſidionem accederet . Vix autem credibile fit Palmyrenis , qui ante id temporis Salomoni , Davidi , ceteriſque deinceps Iudaeorum Regibus paruerant , licuiſſe urbem ſuam reſtituere ante αὐτονομίαν , libertatemque reaedificandae Hieruſalem a Cyro , & Artaxerſe Eſdrae , & Neemiae , totique Hebraeorum genti tributam . Ex hac igitur epocha pronum eſt auſpicia ſumere reſtitutae Palmyrae , & novae veluti reipublicae fundamenta repetere , quae cives liberi a Iudaeorum imperio poſuere . Huiuſque democraticae politiae monimentum Angli ſpectatores deſcripſerunt ex inſigni columna Graecis litteris inſcripta , in qua ſingularis mentio fit *Senatus & Populi* , qui eam in via extra aquilonarem templi portam ad ſecundum circiter lapidem erexerant . Atque ex his etiam intelligimus , cur Vopiſcus *Palmyrenos* in triumphum ab Aureliano ductos *Principes civitatis* , ideſt πρωτοπολίτας , interprete Salmaſio , aut , ut ego arbitror , *Senatores* vocarit . Cum Parthis , quorum in praeſidio , ac tutela eſſet , Palmyrena civitas ſocietatis foedus primum iniiſſe putatur . Tum temporis , quum iam elegantes artes a Graecis cives accepiſſent , & urbs ipſa eſſet cum Parthis confoederata , templum fuiſſe aedificatum architecturae ratio , doricus , ionicus , praeſertim vero corinthiacus ordo , qui ceteris ornatior , atque ſplendidior in ingenti numero columnarum eminet , Parthici *Solis* ſuperſtitio , Magici ſacerdotii cultura , aliaque id genus argumenta plura commonſtrant . Sero Palmyra , nec niſi poſt Chriſtum natum in ſocietatem Romanorum aliquando conceſſit . Sed quamdiu floruit numquam oblita eſt veteris amicitiae , quam cum Parthis , Perſiſve iunxerat non tam fortunae , & commodi ſui cauſſa , quam ob ipſam , ut puto , communionem religionis . Hinc *Zenobia* tamquam *Iudaea* habita eſt , quod Zoroaſtris diſciplinam ex Hebraicis praeceptis impure licet , foedeque , ut Hyde ſcribit , derivatam coleret , facile ſibi vel offenſos Perſarum animos ſibi reconciliare potuit : tantamque auctoritatem apud Palmyrenos ſuos adepta eſt , ut eo quaſi divino cultus genere , quo Reges Parthorum , teſte Trebellio Pollione , adoraretur . Quamobrem , ut

ut ad quaeſitam templi epocham redeam, vix ego dubito, quin Magorum praeſules eodem fere tempore, quo Hebraei a Babylonica ſervitute reduces Hieroſolymitanum reaedificarant, & Zoroaſtris diſciplina per orientem celebrari coeperat, auctores fuerint, ut & Palmyrenum templum conſecratum *Soli* excitaretur. Sic *Magobedim* in hac noſtra epigraphe commemorati, tamquam *ſacerdotes Solis*, antiquam ibi, perpetuamque ſedem ad diem uſque Palmyreni excidii obtinere valuerunt.

מלווים כלביסי ותדמרי (8. 9. 10.). Sic nempe מְלוּיִם pro מִלֻּאִים legendum eſſe putarem. Nam converſio א in ו, in hac voce praeſertim ubi א quieſcit, ne ipſis quidem Hebraeis ignota eſt. Ad Lev. c.25. v.30. auctor adnotationum ex Commentariis Rabbinorum in Pentateuchum Venetiis editum an. 1551. לא pro לו uſurpatum ſcribit, quemadmodum nos etiam obſervavimus ad vocem huius Inſcriptionis ſecundam, ubi תאה, & תוה per א converſum in ו idem eſſe diximus. Hinc מִלּוֹ pro מָלֵא legitur in Ezech.41. v.8. At Palmyrenus character, quem ego ו, & loco א poſitum dico, τῷ ד magis quam ו ſimilis videtur. Do, quod vis. Sed, ut probe noſti, ſcalprum Palmyrenum in huius litterae forma ſaepe peccavit. Uncum enim *vau* non recurvo capite inſcripſit, ſed linea eius tranſverſa plus iuſto ad normam rectae protracta, in formam ד intorſit. De *vau* primo coniungendo cum ל antecedenti, nihil eſt cur plura dicam. Vices enim gerit vocalis *kibbuz* in מִלֻּאִים; nam Ezech. c.20. v.28., & Lev.7. v.37., & alibi מִלּוּאִים legitur ex ſingulari מִלֹּא הַגּוֹיִם Gen. cap.48. v.19. Hoc vero nomen *multitudines*, *congregationes*, *ſocietates*, ſive etiam *cohortes*, & *copias* interpretor; quo fortaſſe referri quoque poterit *ala octava Palmyrenorum* ſub duce Thebaidos in Aegypto a Card. Noriſio ex Notitia imperii, commemorata. Hinc מִלֹּא, vel מִלּוֹא locus publici conventus, & comitiorum in Hieruſalem dictus eſt *Millo*.

Verum, ut clarius intelligatur, quam apte iſtius vocabuli ſignificatio ad rem noſtram accommodetur, nomina, quibus cum coniungi debet, prae oculis habenda erunt. Sunt illa quae e veſtigio ſequuntur. כַּלְבִּיסִי וְתַדְמֹרִי *Calbienſes*, ſcilicet, & *Thadmoraei*. In litteris Palmyrenis τῆς כלביסי duae tantum poſtremae ב, & ס nonnihil difficultatis parere poſſent. Sed ambae Hebraicae ſunt cum י adnexo. Nam ב, quae eſt quadratae formae apud hodiernos Hebraeos, per curvam deſcribitur, paulloque longius in ſaxo Palmyreno una cum ſequenti producitur ad extremum lineae ſpatium, ut ego ſuſpicor, elegantiae cauſſa, implendum. *Samech* vero lineae ultima eadem eſt ac ס Hebraica inverſa & iacens ſimilis Arabicae ص, gerens & ipſa in apice ſuperiori inſertum י. In תדמרי ſi quid ambigui viſae fuerint praeſeferre *thau*, & *mem* Palmyrenae, ex earum cum Hebraicis ת, & מ collatione diligenter inſtituta, repente evaneſcet.

Superatis litterarum difficultatibus, & probata lectione noſtra, verte lumina ad Latinam epigraphem; ibique vide CALBIENSES DE COH. III., etſi Pighius verſum hunc lapidis poſtremum, neſcio qua demum ex cauſſa, in exemplari ſuo deſcribere praetermiſerit. Atqui iidem ſunt, qui & כַּלְבִּסִי dicuntur in Palmyrena: non ſoli tamen, ſed coniuncti cum *Tadmoraeis*. Hiſce igitur, Palmyrenis verbis מִלְוּיִם כַּלְבִּסִי וְתַדְמֹרִי non alia aptior interpretatio dari poteſt, quam haec: (MAGI SACERDOTES) *congregationum*, cohortium, ſive copiarum *Calbienſium*, & *Tadmoraeorum*. Quod ſi quis mecum legerit מִלּוּיִם, & hanc vocem nihilominus interpretari velit *conſecrationum*, ut ſenſus ſit *Magobedim*, Magos fuiſſe *ſacerdotes*, & *adminiſtros conſecrationum*, ſive conſecratores, perfectoreſque voti, τῶν *Calbienſium*, & *Tadmoraeorum*, non repugnavero. Sic enim מִלּוּאִים Exod. c.20. v.28. מִלֹּא, מִלֻּאִים Lev. c.7. v.37.,

c.8.

c.8. v.28., c.10. vv. 26. 27. 29. 30., & alibi intelligitur: quin & ex ipſa Palmyrena epigraphe nonnihil ſubſidii ad hanc verſionem fulciendam hauriri poterit. In mentem etiam venit quaerere, an error fortaſſe eſſet in ל, & pro מלורים legi deberet vel מיורים *iaculatorum*, ſeu *ſagittariorum* a ירה in *hiphil*, ſed ex peculiari dialecto ita inflexum, ac derivatum: vel certe מיורים pro מְהוֹרִים *gratulantium*, *laetantium*, *gratiaſve agentium*? Nam & in בניה primae Inſcriptionis *iod* Palmyrenorum extra modum, normamque י Hebraici alte ut *I* Latinum extollitur. Animum quoque adverti in לוט, & quaſi מלורים a Palmyrenis dictum fuiſſet pro מְלוּטִים in *pihel*, verſo ט in ר; *muſſitantes*., ſive *incantantes* Magos interpretabar. Muſſant enim, ideſt levi, & ſubmiſſa voce Magi loquuntur, dum orant. Quare muſſitationis, ſeu murmurationis *nomine* apud eos *peculiariter vocantur verba*, *quae proferunt in laudem Dei*, *& ignis tempore ſacra peragendi*, ſic Hyde, quem videas velim pag. 351. Sed tandem ad eam, quam ab initio propoſui, ſententiam redire placuit. His pauca de *Calbienſibus*, & *Tadmoraeis* ipſis addere praeſtat.

Calbienſes Hyde in appendice Hiſt. relig. vet. Perſ. pag.515. coniungit cum *Durziis*, eoſque facit tamquam *Curdorum gentes ex hodiernis montis* Libani, & Curdiſtaniae *incolis*, qui a *canis* nomine nuncupati fuerint كلبي Kelbii, *ſeu* Calbii, *ideſt* Canicularii (*nam* Kelb, *ſeu* Calb *eſt* canis) *ab aliis ſic dicti*, *quia* nigrum canem *colunt*, *quod idem in* Curdiſtan, *ſeu* Gordiaeae *montibus illi* Curdi *faciunt*, *qui vocantur* Iezidi, *ſeu* Iezidaei .... *Et ſupradicti* Calbii, (pergit ſcribere Hyde) *ii ſunt*, *qui apud* D. Sponium *in Inſcr. antiqua vocantur* Calbienſes Coh. III., *ſcilicet* Cohortis tertiae milites, *quos* Romani *olim conduxerant ex* Calbiis, *montis* Libani *incolis*, *qui erant gens bello fortiſſima*, *ex illis* Curdis, *qui Aegypti aliquando fuerunt domini*, *de qua re videatur* Abu Mohammed Muſtapha. *Dictam Inſcriptionem habet lapis dedicatus* Soli, *qui ex inſcriptis characteribus videtur* Palmyra *Romam advectus* .... *Ex his olim erant* حساسين Haſſaſin, *ſeu* Aſſaſſini, *de quibus conſulantur Scriptores belli ſacri*. Eos *Hyde* ipſe pag.36. reiecerat inter *gentes Sabaiticas*, (Solis nempe honoribus addictas) *in* Libano, & Gordiaea *hodie exſiſtentes*, *qui Deum ipſum plane deſeruerunt*, *diabolum* (*canem*, ut puto, *nigrum* ſub hoc nomine Hyde intelligens) *eius loco amplectentes*. At vero *Calbienſes*, qui in hac noſtra Inſcriptione commemorantur, non *canem* certe, neque ſub eo nomine *diabolum*, ſed *Solem Malach-belum* colebant: *Deum* quidem agnoſcentes, non eum tamen tamquam Deum, ut cum Apoſtolo loquar, glorificantes. Si igitur de religione *Calbienſium* ſermo ſit, eos contribulis ſui Zoroaſtris doctrina, ac ſuperſtitione imbutos crediderim. Quid enim aliud ego cogitem de *Calbiis* Libani, & praeſertim *Gordiaeae*, qui Zoroaſtrem tamquam ſuum utpote *Urmiae*, ſive *Ariemae* natum ſpectabant? Quoties hanc ſedem tribuat Hyde *Calbienſibus*, & quae Anquetilius ex *Zend-Aveſta* vulgavit, videri ſaltem veriſimilia poſſint, regio illa omnis Gordiorum *Hormuzdi conditori* cariſſima, eique a *Zoroaſtre* ſummis precibus commendata, illius legis, & diſciplinae ſtudioſiſſima erat. Sicque dubitari vix poteſt, quin Calbienſes Gordiaeae incolae eam, quam a cive, & conterraneo Zoroaſtre acceperant, religionem tenerent. Et inde eſt, cur in ea colenda *Magobedim* Magorum miniſterio uterentur. Ad Calbiorum nomen quod ſpectat, gentile illud eſſe cenſeo, perinde atque *Tadmoraeorum* nomen; ſed ſi quis appellativum malit, tum certe ab Arabico magis قلب, quod cor, ſive *medium exercitus* Gol. exponit, derivandum putarem, quam a cultu *Kelb*, ſive *Calb* canis, de quo nihil certi attulit Hyde; niſi forte ſic dici coeperint *Calbii* ex honoris, & humanitatis officiis; quibus Perſae, & univerſi Zoroaſtris diſcipuli canes proſequi iubentur, dum primum conti-

contigerit eos verſari inter populos, qui ſe iſtiuſmodi pietatis inimicos; & irriſores prodiderint.

Mentio fit in Palmyrenorum hiſtoriis de quodam agreſtium hominum, militumve genere, quorum robur tamquam iam alias formidabile, & fatale Romanis ipſis exercitibus, Aureliano Imperatori animoſa, & imperterrita *Zenobia* confidenter admodum, ſuperbeque minatur. An ex hoc militum ordine eſſent *Calbienſes*, non tantum mihi ſuppetit lucis, ut certo coniicere, & conſtituere queam. *Calbii* quoque, ſive *Calbitae* erant, qui in Arabia verſabantur. De his ſcribit praeclariſſimus Aſſemanius Tom. III. Bibl. Orient. in Diſſ. *de Syris Neſtor.* §. 11. n. 7., ubi de Arabum religione ante Chriſtum natum agens, teſtimonium recitat *Iſmaelis Abulphedae*, qui لكلب *Calbitas* refert in Duma Gendalitarum ante Mahumet coluiſſe ود *Vad*. Golio كلاب *nomen* eſt *tribus Arabicae*.

Ceterum, dum mihi liceat, quod mecum ipſe ſtatui, ingenue proferre, *Calbienſes*, quos quaerimus, non erunt paullo longius a Gordiaeis montibus, neque ex Arabia, ſed multo propius e vicinia arceſſendi; quippe qui iidem ipſi ſint ac populi *Chalybonitidis* regioni Palmyrenae contermini. Illius praefecturae urbs princeps erat Χαλυβὼν, ita ab Alexandrino Geographo Ptolemaeo graece nuncupata, atque ab eo poſita ſub grad. long. 71. 20. latit. 34. Inde dictum fuiſſe intelligo Χαλυβώνιον, quod eſt, teſte Heſychio, εἶδος οἴνου ἀπὸ τόπου τινὸς τῆς Συρίας. Atque *hoc unum vini genus* Chalibonium *Rex Perſarum bibebat. Illud in Damaſco Syriae confici, Poſſidonius ait, vitibus, quas ibi Perſae plantarunt*, ſic Athen. lib. I. Δειπν. Sed Poſſidonius non ſatis fortaſſe norat Chalybonitidis regionis poſitionem, quae licet agro Damaſceno finitima eſſet, a Damaſco tamen aeque ac Palmyra diſtabat. Verum & hinc colligere licet Calybonitas, ſive *Calbienſes*, & Palmyrenos veterem cum Perſis coluiſſe communionem, & ſocietatem. Calybonis civitates hae erant: *Thema*, *Acoraba* (Ἀκοράκα Bertio) *Derima*; *Spelveca* (Απελυέμα Scot. *Spelvema*, *Spelucca* aliis, Σπηλουγκα Bertio). *Et penes Euphratem Barbariſſus* (al. Βαρβαρισσις) *Athis* (al. Ἀνθὶς, & Ἄτθις ex epigram. Gr. Cellario). *A Chalybon* vero *Chalybienſes*, & *contracte Chalbienſes* apud Latinos quamfacillime vocari potuerunt. Nam qui *Aleppum* in Chalybone ſe vidiſſe putarunt, utriuſque civitatis poſitionem non ſatis prae oculis habuiſſe videntur. Unde Cellarius, *ſi recte*, inquit pag. 365., *ſunt poſita*, quae Ptolemaeus ſcripſit de ſitu huius civitatis, *multum auſtralior urbs* Chalybon *fuit*, *quam hodie eſt emporium* Aleppo, *aut medio aevo* Χάλεπ *Chalep*, *quod tamen nomen ex* Chalybon *deductum pravatione eſſe*, *atque ſic eamdem urbem* Chalybonem, & Aleppo, *ſunt qui perſuaſi nominis propinquitate non dubitent*. At multo maiori iure originem a *Chalybone* duxiſſe putandi ſunt *Calbienſes* noſtri, qui non modo finitimi, ſed & *ſocii* Palmyrenorum in hoc inſigni lapide nunc primum deprehenduntur. Neque id mirum. Nam vetuſtiora Palmyrenorum, & Calbienſium horum monumenta nos latent.

De *Tadmoraeis*, ſeu *Palmyrenis* pauca dicam. A תַּדְמֹר ſic appellati ſunt תַּדְמֹרִי, ut אֱמֹרִי *Amoraei* ab אֱמֹר. S. Doctor Hieronymus in Ezechiel. cap. 47. v. 19., aliique a תמר *palma* hanc civitatem *Palmyram* nuncupatam volunt. Dubitat de huiuſmodi origine nominis Cellarius in Diſſert. *de Imperio Palmyreno*; aliamque eſſe oſtendit urbem *Tamar*, cuius mentio fit in laudato c. Ezechielis. Illa enim *in limite auſtrali* eſt, ubi Exodi 16. v. 1., *Elim* regio & XII. *fontes*, & *ſeptuaginta palmae* commemorantur; at haec noſtra *in limite maxime ſeptemtrionali* Palaeſtinae ſita erat; nec *Tamar*, ſed *Tadmor* appellabatur. תדמר *Tadmor* revera civitas eſt, quae Paralipom. II. c. 8. v. 4. aedificata, ſive ſaltem inſtaurata dicitur a Salomone in deſerto *Soba*. Hinc geographi, & hiſtorici, qui eam deſcribunt, in angulo collocant

cant inter duo Syrorum, & Arabum deſerta ſub gradu long. 71. 30. latit. 34. ſitus pulcherrimus, & amoeniſſimus eſt. Ad occidentem ſolem cingitur longa ſerie montium, ſicque ad eorum radices poſita ſuavi gradu attollitur ſupra planitiem immenſae magnitudinis, unde caput erigit, iucundoque aſpectu ei omni regioni imperat, quae ad orientem longe lateque diffunditur. Montes ubique ſpectanda offerunt antiquiſſima monumenta ſepulcrorum, quorum nonnulla eleganti, atque magnifico opere conſtructa hodieque viſuntur. Nam Palmyreni iamdiu ante Chriſtianam aeram artem condiendi cadavera didicerant ab Aegyptiis. Ager fertiliſſimus eſt; & aquae e proximis rupibus erumpentes non modo limpidiſſimae, ſed & aeſtivis diebus maiori copia quam hiemalibus defluunt. Inter ceteros fontes ille ſingulari memoria dignus videtur, qui e ſpecu ad montis crepidinem exiliens, & vehiculo fabrefacto exceptus, pari ſemper aquae volumine ad *euronotum* diruti templi defluere dicitur, quamdiu, curſu confecto non admodum longo, arenis immerſus diſpergitur: ſed pone ſcaturiginem adſtat ara cum epigraphe conſecrata *Iovi*. Quod hoc in loco obſervandum eſt, ut intelligamus, praeter *Solis* Numen, unum exſtitiſſe *Iovem*, quem *ex inſtituto* colerent Palmyreni. Eſt & rivulus alter aquae, ſulphurei pariter, ſed ſalubris gratique ſaporis, interfluens & ipſe ad euronotum, iuxta magnam porticum, ruinas templi per aquaeductum ſubterraneum antiqui operis, qui non ita multo poſt aquis prioris immixtus una cum eo in ſabulum ſe ſe recondit, & evaneſcit. Tertium iamdiu diſperiiſſe hodierni incolae narrant. At multo maiori copia aqua potui probatiſſima inde uſque a Damaſcenis montibus deducebatur in civitatem canali ſubterraneo, affabre admodum ſolideque conſtructo; qui tamen dirutus modo cernitur procul a veterum moenium veſtigiis, quanta eſt longitudo viae ad paſſus circiter mille. De fluvio ex Ptolemaei Tabulis, *praeter Palmyram labente*, nulla hac tempeſtate noſtra deteguntur indicia. Ea autem aquarum, & fontium copia princeps veluti cauſſa Regi Salomoni fuit, cur in ea praeſertim deſertorum poſitione civitatem ipſam erigere, atque munire cogitarit. Ita Ioſephus lib. VIII. *Antiquit.* cap. II., ubi & haec ſcribere pergit: Τὴν πόλιν οἰκοδομήσας, καὶ τείχεσιν ὀχυρωτάτοις περιβαλὼν, Θαδαμόραν ὠνόμασε: *Quum hanc urbem* (Salomon) *aedificaſſet*, *& moenibus cinxiſſet validiſſimis*, Tadamoram *appellavit*, *quo nomine etiam nunc a Syris vocitatur*: *Graeci vero eam nominant* Παλμιράν *Palmiran*, ut & vulgata noſtra: etſi qui deinceps ſequuti ſunt Graeci, atque Latini hanc vocem per *y* conſtanter efferre conſueverint, *Palmyram*. Sicque dictam plerique contendunt a copia *palmarum*. Et ſane cl. Abbas Petrus Terzius in *Syria ſacra* pag. 128. de hac urbe loquens, ita ſcribit: *Ha foltiſſime ſelve di cipreſſi, e di* palme, *ond' ella deſunſe il nome di Palmira, detta altrimenti* Tadamora, *come pur oggi appellaſi dai Naturali*. Olim certe magna ſolitudinis pars, & proximi montes cupreſſuum, palmarumque feraces fuiſſe traduntur. At hodie omne iſtud plantarum genus periiſſe teſtes oculati narrant. Sed, miſſis *Palmetis*, unde *Palmyram* Graeci facere coeperint, fatis iam in ſuperiori Commentariolo nos ipſi indicavimus. Urbs erat nobiliſſima, ad decem circiter mille paſſus ampla, & multarum civitatum, oppidorumve in regione Παλμυρήνης ſic dicta a Ptolemaeo, Metropolis. Ei ſcilicet ſuberant: *Rheſapha*, *Cholle*, *Oriza*, *Putea*, (τουτεὰ in ed. Ioh. Scoti) *Adada*, *Adacha*, *Danaba* (Δανάμα Scoto, Δανάθα Bertio) *Goaria*, *Averia* ("Αυκρα Bertio), *Caſama* in Tab. Peuting. diſtans a Damaſco m. p. LII. *Odmana*, ('Οεμανα Scoto, 'Αλαμανα Ber., in eadem T. *Adamana* a Dam. diſtans m. p. XLII.) *Atera* ('Ατήία Bert.), *& penes Euphratem*: *Alalis*, *Sura*, *Alamatha*; de quibus ſi plura cupis, vide *Cellarium* Geogr. antiq. pag. 367., ubi *Thapſacum ad vada Euphra-*

Euphratis Palmyrenae adiiciendum coniicit. Ab ipſis pene fundationis ſuae exordiis, tamquam emporium univerſae negotiationis orientis inter & occidentis mercatores frequentari Palmyra coepit. Inde tantam adipiſci potuit fortunarum, divitiarumque copiam, quantam vel publica ipſa, eaque omnia magnificentiſſima aedificia, quorum reliquiae ſuperſunt, teſtantur. At nulla neque theatri, neque circi, neque palaeſtrae, ubi ludorum ſpectacula ſive religionis, ſive voluptatis cauſſa populo praeberentur, veſtigia, ſtudioſe licet, curioſeque quaeſita, inventa ſunt; quod argumento eſt, civitatem non ad Graecarum, Romanarumque, ſed ad Hebraicarum, Perſicarumque urbium formam fuiſſe inſtitutam.

In nummo Caracallae Imp. *colonia Romanorum* vocatur, & ab Ulpiano *iuri Italico* addicitur: illa tamen, quae ſe tamquam libera civitas ſemper geſſit, & cum Perſis primum, deinde cum Romanis, & rurſus cum Perſis foedera coniunxit, numquam e reipublicae ſtatu decidit, niſi quo anno victa, & ſubiugata eſt, ut iam diximus, ab Aureliano. Nam antea *Marci Antonii* Triumviri conatibus reſtiterat, illiuſque cives ad Euphratis vada commiſſo praelio Romanos milites terga vertere coëgerant: ubi vero in partes *Alexandri Severi* adverſus Artaxerxem conceſſit, ſe *ſociam* R. Caeſaris inſcripto marmore dicere voluit. Romano deinde imperio ſubiecta, erectis graecis, latiniſque titulis, memoriam inſtaurationum, quibus tum ab *Aureliano*, tum etiam a *Diocletiano* reſtituta, & ornata eſt, poſteris commendavit. *Non autem* (verba ſunt Cellarii *de Imp. Palmyr.*) *nitorem ſuum recuperavit, quippe, ut Procopius extremo lib.*II. *de aedif. tradit*, ἔρημον ἐπὶ πλεῖστον *maiore parte deſertam* Iuſtinianus Imperator ὀχυρώμασι λόγου μείζοσι *munimentis incredibilibus, & praeſidio militum inſtruxit, ut propugnaculum contra barbarorum incurſiones eſſet. Quae cauſſa fortaſſe fuit, ut Byzantius Stephanus non urbem, ſed* φρούριον *caſtellum, ſeu munimentum* Palmyram vocet ..... *quum antea fuerit* πόλις μεγίστη civitas maxima *Ioſepho*.

Dolent nihilominus eruditi, quod pauca admodum de tam florentiſſimae urbis praeſtantia veteris hiſtoriae Scriptores nobis cognoſcenda reliquerint. At multo aequius eſt, ut ego doleam iacturam ſacrorum monumentorum, quae, niſi iam periiſſent, non poſſent non multa & magna de Chriſtiana Palmyrenorum civium religione hodieque referre. Ut enim ſerius quis velit, ſtatim, poſt converſionem Paulli, evangelii fides Palmyrae illuceſcere coepit. In eo namque itinere, quod Apoſtolus Damaſco diſcedens in vicinam Arabiam inſtituit, nec inde, niſi exacto triennio Damaſcum rediit, hanc certe civitatem, cui primum Chriſtum crucifixum praedicaret, obviam habere neceſſario debuit. Atque ex fauſtis hiſce, fortunatiſque auſpiciis repetenda proculdubio eſſet ea omnis Chriſtianorum multitudo, quae ſub annis Diocletiani Imp. extremis ſanguinem ſuum pro Chriſto glorioſiſſime fudit, ſi Acta *S. M. Febroniae* nihil continerent, quod ſubleſtae fidei ſuſpicionem crearent. In iis enim cap. 1. num. 3. de *Seleno*, *Lyſimacho*, & *Primo* a Diocletiano in orientem ad Chriſtianam religionem funditus extirpandam e Nicomedia, uti creditur, miſſis, iſthaec narrantur: *Cum autem in orientem veniſſent .... tranſeuntes Palmyrenam regionem, atque Meſopotamiam, quoſcumque ſibi oblatos Chriſtianos aut igni tradebant, aut ferro necabant*. Sic ex Vaticano exemplari Papebrochius ad diem 25. Iunii in Tom. v. Act. Bolland. eiuſdem menſis, Graeca vertit παραγενόμενοι τοίουτοι ἐν τῇ Ἀνατολῇ καὶ ἐπιβάντες τῇ χώρᾳ τῆς Παλμύρης, καὶ ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, (deeſt heic typographi vitio primum orationis membrum) τοὺς δὲ ξίφει ἀπότεμνον. At Tillemontius, cui Graeca Acta, necdum fortaſſe edita, incomperta erant, quum in *Surio* ad 15. Iun. eamdem omnino *pericopen* ita legiſſet: *Cum igitur veniſſent ad orientem & Meſopotamiam acceſſiſſent in ea regione, quae Palmyra dicitur* (Chriſtianos) *partim*

tim in ignem coniecerunt, *partim gladio percuſſerunt*: *Auctor* (inquit) *regionem Palmyrenam cis Euphratem cum Meſopotamia trans Euphratem poſita confudit*; qui tamen error Actorum non eſt, ſed verſionis. Sic & *Sibaple* martyrii locum pro Σιβᾶ πόλι, vel Σιβάπολι, *Niſibi* nempe *civitate* ob eamdem omnino cauſſam mendoſe legit. Alia graviori, ni fallor, animadverſione digna obiicit Tillemontius, quae tamen Papebrochius ea fortaſſe de cauſſa intacta reliquit, quod nulli ei impedimento eſſent, quominus cum illius temporis, & regionis moribus in hac omni hiſtoria deſcriptis componi facile poſſent. Acta auctorem in fronte produnt *Thomaidem Magiſtram S. Febroniae*, & teſtem illius martyrii oculatam. Eaque tamquam probatiſſima habuit Magnus eccleſ. annal. Parens Card. Baronius. Syriace ne, an Graece primum ſcripta a Thomaide fuerint, dubitatur. Sed ſi ex his pleroſque Palmyrenorum civium in Diocletiani perſecutione martyrio affectos novimus, eorum tamen nomina ignoramus. Nec audiendus eſt Terzius, qui in *Syria ſacra* pag. 119. *Lybem*, *Leonidem*, & *Eutropiam* Virgines, & Martyres *Palmyrenas* facit. Niſibi enim Febroniam martyrium pro Chriſto ante feciſſe eadem ipſa Acta aperte declarant. *Reſapha* eſt inter *Palmyrenae provinciae* civitates a Ptolemaeo, ut audivimus, numeratas, ubi ad Chriſtianae fidei gloriam inclyti certaminis coronam adeptus eſt ſub Maximino II., anno iuxta Baron. 309. *S. Sergius*, Orientalium Martyrum, teſte Theodoreto, celeberrimus; niſi quis malit illius paſſionem cum *Chron. Or.* ad Maximini I. tempora, & ad annum retrahere 285. Ex eo deinceps *Reſapha*, ſaec. Eccl. V. vergente, *Sergiopolis* nova nominis nuncupatione meruit appellari. *Bacchus* etiam, qui cum *Sergio* coniungi ſolet, finitimae *Chalybonitidis* oppidum *Barbariſſum* (al. *Barbaliſſum*) triumphalis martyrii ſplendore mirifice illuſtravit. Quid tandem? Cogimur vel inviti iamdiu ante annum 325. in *urbe Palmyrena* florentem agnoſcere eccleſiam, cuius Epiſcopus *Martinus* (al. *Marinus*) *Nicaeno Concilio* ſubſcripſit; quemadmodum & *Chalchedonenſi* Theodorus Epiſcopus metropolis Damaſci cum Iohanne Epiſcopo πόλεως Παλμύρας. Idemque ipſe Iohannes epiſtolae ſubſcripſit Leonis Imperatoris pro fide ab eadem Chalch. Syn. definita, & ad Timothei Aegyptii condemnationem. Sed iterum a ſacris ad alias Palmyrae antiquitates inſtituti ratio me revocat.

An ea eſſe poſſit *Morée* ab *Ormuſd* condita ſimilis *Paradiſo*, & indicata a Zoroaſtre in *Vendidad Farg.* 1. apud Anquetil. Tom. II. Par. I. p. 265.; diſquirere nolim. Id ſaltem cum eodem Anquetilio ſuſpicari licebit Zoroaſtrem inter cetera *Ormuſdi opera* ibidem ſub voce Pehlvi *Aroum* indicare voluiſſe *Aram*, nempe *Syriam*, in qua erat *Palmyra*, non longe ab Euphrate remota, millibus CCII. a mari paſſuum, & a Damaſco XXVII. *propius*, ideſt CLXXVI., iuxta Plinium, (licet non tam longo, ut aliis placet, intervallo) diſtans, *urbs*, quemadmodum eam Plinius ipſe deſcribit, *nobilis ſitu*, *divitiis ſoli*, *& aquis amoenis*, *vaſta undique ambitu*: *arenis includit agros*, *ac velut terris exemta a rerum natura*, *privata ſorte inter imperia ſumma Romanorum*, *Parthorumque*, *& prima in diſcordia ſemper utrimque cura*. Ibi frontem in caelum extollebat non aliud, quam unicum, illudque ſplendidiſſimum templum Solis, in quo *Calbienſes*, & *Tadmoraei* Aram hanc, Magis conſecratoribus *ex voto* erigendam curarunt.

Atque, ut meam hanc commentationem tandem abſolvam, *Calbienſium* nomine eam ego gentem intelligo, quae *Palmyrenis* contermina primaevae nuncupationis ſuae originem traxit a Χαλυβῶν. Huius regionis diſerte meminit S. Ezechiel Propheta, dum anno circiter 587. ante Chr. Babylone captivus urbis *Tyri* cladem vaticinabatur. Nam cap. 27. v. 18. *Damaſcum* inducit, quae mercaturam cum Tyro faceret בְיֵין חֶלְבון *in vino CHELBON*, aut, ut habet Graeca τῶν, ὁ translatio ἐκ

ἐκ Χελβὼν ex *Chelbon*. Arabica verſio mutato ח Hebraico in ש ita legit خمر من سلبون *vinum de Scelbon*. חלבון *Chelbon* vero, ut Edmundi Caſtelli verbis utar, *nomen eſt proprium loci in* Syria, *ubi optimum vinum crevit*. Illius etymon ducitur a חָלָב *lac*, Syr. ܚܠܒܐ, aut a חֵלֶב, quo *pinguedo*, *ubertas*, & quicquid demum *optimum cuiuſque rei* eſt ſignificatur. Inde & Arabes حلب *Chaleb*, auctore Gig., *Aleppum occidentale*, appellant *a lacte*, *a mira*, ſcilicet *omnium rerum affluentia*, *copia*, & *agrorum fertilitate*. Quod quum dicunt, *Chalebum*, vel *Aleppum* alterum *orientale* ſe indicare velle ſignificant. Hoc autem non aliud eſſe poteſt, quam Χαλυβὼν Ptolemaei rectius Χελβὼν pro Χελεβὼν, vel Χελυβὼν ab Ezechiele expreſſum: unde *Symmachus* apud Theodoretum, (quod & Montfauconius in exapl. Origen. obſervat,) regionem tam excellentis vini feracem nuncupavit Χαλβάνην *Chalbanam*. Novam haec lucem affundunt iis, quae paullo ante de hoc ipſo argumento tractabam. Ex his enim non modo, certum *Syriae* locum, ubi Χαλυβώνιον naſcebatur, tenemus, ſed & cauſſam coniicere poſſumus, quamobrem Poſſidonius, Athenaeo teſte, dixerit iſtiuſmodi vini genus in *Damaſco Syriae* gigni. Nam, praeterquamquod Poſſidonius ea loquendi ratione *Syriam Damaſcenam* indicare tantummodo potuit, *Chalybonium* ex *Chelebon*, & *e* medio, ſeu *ſceva* ſilente ex *Chelbon*, ideo Damaſceno ſolo fortaſſe adſcripſit, quod maiorem celebritatem ſuam accepiſſet a Damaſcenis, qui ſoli iam inde ab Ezechielis aevo mercaturam in eo facere conſueviſſent. Ex his denique indicia habemus certiora, quae nobis ſub oculis fere ipſis ſubiiciant originem, unde primum hi populi Palmyrae finitimi, imo & ad Palmyrenam ſolitudinem pertinentes, *Calbienſes* fuerint. A חלב ſcilicet, atque adeo a חלבון, & Syriaca ܚܠܒܐ *Chalbo*, dicti ſunt *Calbienſes*. Sic enim & Χάλυβας *Chalybas*, quos dixit *Dion. Perieg.*, *alii*, teſte *Euſtathio*, Χάλβιας *Chalbios vocarunt*. De *Tadmoraeis* vero nihil eſt, cur plura dicam. Sunt enim ii, quod nemo unquam diffiteri poterit, Palmyreni.

Adiecta Inſcriptio magnam cum Latina coniunctionem habet; ſed eadem omnino non eſt. In illa commemorantur *Ti. Claudius Felix*, & *Claudia Helpis*, & *Ti. Claudius Alypus fil. eorum*, *Calbienſes de Coh. III.*, quaſi hi ſoli ex hac gente fuerint, qui votum ſolverint. At in hac noſtra *Calbienſium*, & *Palmyrenorum* comitia, ceteris tacitis peculiaribus nominibus, generatim indicantur. Epocha inſcriptionis ignota eſt, quamquam dubitari nullo modo poteſt, quin ea ſit imperio Aureliani antiquior.

אלאל (11.). Eaſdem prorſus litteras reddidit in Hebraica verſione ſua Barthelemyus, etſi א primum tam longe disiunctum a ל poſuit, ut non ad hanc, ſed ad praecedentem vocem pertinere ſignificet. Si tamen non erravit ille in Alphabeto Palmyreno Tab.I. eſt *he* ſecundae formae, cui ſimilis videtur prima huius vocis littera, quam nos pro א accipimus. Sic autem הלאל ſcribendum eſſet. Et quoniam ultima in עלתא eadem eſt, ſi ibi etiam legeretur עלתה, nihil ei de vi ſignificationis ſuae detraheretur. Verum ne de re diſputem, quae exigui admodum momenti eſt, pono iam inſcriptionis noſtrae auctorem אלאל ſcripſiſſe pro הלאל, vel quia pronunciationis ſono deceptus unam vocalem א pro ה exaravit, vel quia ex vernaculae linguae licentia Palmyrenus ſcriptor ſoleret in hoc vocabulo vertere ה in א; nam & Hebraei quandoque alteram in alteram vertunt. Quo etiam ſpectare poſſunt, quae πολυμαθέστατος ſcriptor *Matthaeus Norbergus* in commentatione *de relig. & lingua Sabaeorum* altero ab hinc anno Petropoli edita, & nuper per cl. De-Villoiſon ad me miſſa, pag.15. opportune admodum, accurateque de ſimili gentis huius more obſervat. *Quod ad* he *attinet*, inquit, *cum eſt mobile*, *eamdem*, *quam* chet, *quando autem eſt quieſcens*, *eamdem*, *quam* aleph *figuram habet*. Qui-

Quibus & illud addit tamquam uſitatum quiddam, paſſimque *in lingua Aramaea* receptum, ut *he*, & *aleph* inter ſe permutentur. Atque ſic ego intelligo idem hoc in loco ſignificare אֲלְאֵל, quod חֵלֵל *celebrare*. Itaque יְהַלְלוּ, ut Cantic. c.6. v.8.; apte, & recte legi deberet, quod eſſet *celebraverunt*. Sed oſcitans ſculptor praetermiſit י in יאלל, quia י alterum proxime praeceſſerat in תרמרי. ו etiam, niſi temporis invidia oblitteratum evanuerit, illius incuria, deeſt. Neque ו huius omiſſionem ſingularem dixeris, cuius exemplum tibi opportune ſuppeditat meus ille inſignis, praeſtantiſſimuſque orientalium linguarum in Parm. Acad. Profeſſor Abbas *De-Roſſi* Commentar. Hiſtorico de typogr. Hebraeo-Ferrar. pag.51., ubi inter variantes lectiones ad cap. 9. Gen. verſ. 29. ex Pentateucho magnae apud Iudaeos auctoritatis ויהיו legit ad fidem exemplarium Germanicorum, quo loco Hiſpanica habent ויהי. Quamquam nihil vetat quominus אֲלְאֵל, quaſi participium accipias factum ex הַלְלִים, ſublato per apocopem ם, & י delitefcente, ex peculiari dialectoPalmyrenorum, in ſubiecta vocali *chirec*. Nonnulla enim ſunt in ipſis Scripturis ſanctis huius anomaliae exempla. Quid, quod & in verbo הַלְלִי *lauda* Pſalm.147. v.12. accidit I. Paralip. c.16. v.36., ut idem prorſus ſimpliciter legatur הַלֵּל? Tandem vero אֲלֵל etiam pro הַלְלִי eſſe poteſt conſtructum cum ſequenti הן הן. Atque ita אלאל exprimeret *celebrantes*, quod idem eſſet ac *celebrantes* (fuere), ideſt *celebrarunt*. Nam & haec loquendi ratio auctoritatem haberet ex uſu haud ſane infrequenti ſacrorum voluminum. Similis fortaſſe generis ea locutio eſt, quam in nummo Melitenſi obſervavit Canon. *Pereſius* in laudata append. Saluſt. Verſ. pag. 349. col. 1. Nam & ibi אלל, ut in hac noſtra Palmyrena Inſcriptione legitur.

הנ־הן (12.). Aliud nihil quam geminata vox הִין ſilente, ex dialecto Palmyrenorum, media י. At הִין (unde הֵן noſtrum) teſte Caſtello, idem ſonat, quod *ultro*, & *promte*; *illudque deducunt Hebraei ab* הֵן *ecce*, *q. qui ſe promtum offert*. Ei conſonat tum Arabica هين, *facilis*, *lenis*, tum Syriaca ܗܢܐ, quae *voluptatem*, *oblectationemque percipere* denotat. Quumque iteratio vocis apud Hebraeos vim habeat gradus ſuperlativi, & quod ultro, promte, facile, iucunde, laeteque fit, id etiam *lubenter* fieri intelligatur, *adverbium Palmyrenum* הנ־הן vertimus LUBENTISSIME. Sic enim idem propemodum ſignificat, quod *libens merito* Inſcriptionis Latinae.

שלם (13.) ipſum eſt שְׁלָם Hebraicum, quod euchariſticum, ſeu *pacificum* ſacrificium gratiarum actionis pro pace, ſalute, incolumitate, aliiſque beneficiis a Deo acceptis in veteris Teſtamenti libris ſignificat. Sed ſaepe etiam impletionem, conſummationem, abſolutionemque deſignat. ܫܠܡ proinde Syriacum aliquando *votum ſolvere* denotat. Qui fuerint ritus in dedicatione ſtatuae aureae Belo Numini, *Soli* ſcilicet, iuſſu Nabuchodonoſor Regis, ob felicem bellorum exitum, quemadmodum nonnullis rerum harum indagatoribus viſum, eſt, erectae in campo Dura regionis Babyloniae, praeter varios, & ſymphoniacos muſicorum inſtrumentorum ſonitus, ſolemneſque adorantium proſtrationes, ex S.Prophetae Danielis libro ſcire non poſſumus. In una tantum *dedicatione Altaris*, quae unius veri Dei imperio facta eſt in Tabernaculo, & in templo Salomonis ſacrificia שלמים leguntur. Ad eam tam ſplendidiſſimam ſolemnitatem lib. II. Paralip. cap.7. v.8. conveniſſe dicitur omnis Iſraël, caetus magnus valde *ab ingreſſu* חמת *Chamath* (ubi *Palmyra*) *uſque ad torrentem Aegypti*. David enim Rex II. Reg. cap.8. v.3. ſubiugata *Aram-Soba* terminum orientalem terrae Iſraël *in Euphrate flumine*, cui *Palmyrena* regio adiacebat, iam conſtituerat. Eiuſdem fortaſſe generis ritus erat שלם, quo

quo abuſi ſunt *Mobedim* Palmyreni in profanae huius Arae conſecratione. Ac ego equidem puto, hac una voce שלם totum dedicationis ritum indicari, quatenus & ſacrificii, & euchariſticae laudationis caeremonias more Magorum ad votum ſolvendum complectebatur. Hoc vero ſacrificii genus non aliud eſſe poterat, quam quod in feſtis diebus *Mithrae* dicatis offerri conſueverat.

Heic ego vellem, ne quis Perſica cum Chaldaicis, Babylonicis, Syris, Graecis, Romaniſque Mithriacis aliquando confundat. In his enim plura viſebantur immaniſſimae, & horrendae carnificinae ſpectacula, quae in Perſarum *Mithriacis* nullum habuiſſe locum ſatis aperte ex Origene, qui ea lib. VI. cont. Celſum num. 22. & ſeqq. multis exagitat, intelligimus. Ii, qui ſacris Mithrae myſteriis initiandi erant, varia tormentorum genera cogebantur tamdiu ſubire, quamdiu ſe ad *ſanctitatis*, & *apathiae* gradum perveniſſe oſtenderent. Horum *cruciatuum*, & *uſtionum* meminit S. Greg. Nazianzen. or. 4. recentiſſimae edit. Pariſ. contra Iulianum, ubi de *Arethuſiis* Mithrae in Syria initiatis loquitur. Nonnus, & Nicetas Epiſcopus LXXX. numerat tormentorum genera in Mithriacis praeſertim Chaldaeorum praeſcripta; de quibus fuſe diſſerit cl. Philippus a Turre in *monum. vet. Antii* par. II. c. 5. Sic nempe *milites* hoc nomine dicti, *leones*, *leaenaeque* Mithrae, initiabantur, ut illius *ſimulacrum*, atque *coronam ſanguinis ſui pretio mimi martyrii* redimerent. In antris, & ſpelaeis, adytiſque templorum, quemadmodum Socrates, aliique de Alexandrino *Mithrio* teſtantur, myſteria haec tradebantur. Ea tamen cruentarum probationum inſtituta aevi ſunt recentioris ad aemulandam magnanimam, vereque divinam Chriſtianorum Martyrum fortitudinem, quam in ſuppliciis pro Chriſti fide perferendis oſtenderant, excogitata. Indeque eſt, cur Mithriaca, quae primum monſtrata fuerant Romanis a Piratis orientalibus ad an. circiter ante aerae Chr. LXVII., nonniſi ſero, & in uno calendario ſub Conſtantini M. tempora inter ſacra publica recepta legantur. Nulla enim de his, ac nequidem de die *natali* aut *Bacchi*, aut *Solis invicti*, *Mithrae*, ad VIII. kal. ianuar. mentio fit neque in *Faſtis Ver Flacci*, neque in aliis *Calendariis marmoreis* a *Patruo tuo* Vaticanae biblioth. praefecto, & a ſac. cubiculo Pont. Max. PII VI. Praeſule ſpectatiſſimo, tribus ante annis in publicum editis, & admirandae eruditionis copia, atque elegantia illuſtratis.

Reliqua caeremoniarum genera a Graecis, Latiniſque ſcriptoribus tributa Mithriacis Perſarum, nihil redolent, quod a Zoroaſtris inſtitutis alienum videri queat. In Liturgicis ipſis officiis eidem Zoroaſtri ab Anquetilio adſcriptis *placentae miezd*, *panes darun*, *aqua* zur *dicta*, *victimae animalium*, *ſacri lavacri ſpecies*, & *ſymbola reſurrectionis*, in honorem Mithrae commemorantur. Eorum quaedam, ut eſt panis, & aquae oblatio cum *ſermone iuſtitiae* coniuncta, & initiationum celebratio in ſaxis, & antris, ex *Iſaiae*, & *Danielis* oraculis, in pravum, turpemque uſum, quemadmodum iam oſtendit S. Iuſtinus M. in dial. contra Triphonem, traducta, nullus dubito quin ante Chriſti tempora inter Mithriacos ritus ab antiquioribus Perſis primum adoptata fuerint. Sed nonniſi poſt Evangelii promulgationem arte, & nequitia Gentilium eo adducta ſunt, ut formam Euchariſtiae Chriſtianae imitari, ſimulareque poſſent. *Atque id quidem* (quod fecerat Chriſtus) *&* ἐν τοῖς τοῦ Μίθρα μυστηρίοις, *ut fieret*, *pravi daemones imitati*, *docuerunt*, ait laudatus M. Iuſtin. apol. 1. n. 66.; quod & Tertul., Chryſoſtomus, aliique PP. adfirmant. At ceteris miſſis, is ſaltem ex Strabone, Perſarum mos erat, ut Κατευξάμενοι *imprecantes ſacrificarent*: *coronatam hoſtiam ſtatuerent*, *ubi Magus*, *qui ſacrificium enarrabat* & ipſe, (Herodoto, & Xenophonte teſtibus,) ἐστεφανόμενος *coronatus carnes in portiones diſtribuebat*; etſi poſterioribus temporibus, ut obſervat Briſſonius, *holocauſta* cremare occeperint.

rint. Haec Palmyrenos *Mocabedim* in *Malacbeli*, ſive *Mithrae* Solis ſacrificiis retinuiſſe credibile ſit. Nec alterius cuiuſvis generis ἱερεῖα *victimae* illae eſſe poterant, quibuſcum Palmyreni ſupplices, ut Zoſimus narrat, poſt captam Zenobiam extra urbem effuſi obviam ivere Aureliano, quaſque Caeſar ipſe τιμήσας honorans veneratus eſt. Iam vero ſi ex univerſo apparatu Mithriacorum rituum eam partem ſecreverim, quae ad Εὐκταῖα, ad Χαριστήρια, & ad altarium dedicationem, ſecundum Zoroaſtris inſtituta, ſpectabat, hanc in iſtius Palmyrenae arae conſecratione a Magis ſacerdotibus adhibitam fuiſſe putarim.

Ecce, quae mea ſit utriuſque Palmyreni epigrammatis interpretatio, & quae mihi in eam commentari non ſine certa ratione libuerit. Quicquid inde utilitatis, & commodi in ſacras antiquitates eaſque in primis, quae cum vetuſtiſſimis Hebraeorum inſtitutis, cumque Chriſtianae religionis dogmatibus neceſſariam quamdam arctioremque coniunctionem habent, derivare poſſit, viri eruditi, dummodo non admodum moroſi, difficiliſque ingenii fuerint, ſine monitore intelligent. Ac mihi quidem viſa ſunt pauca haec quaſi conſectaria quaedam ſua veluti ſponte fluere. I. Non unam modo Hebraeorum linguam, ſed & eorum litterarum formam in Abrahae poſteris conſervatam inde uſque a Davidis, & Salomonis aevo *Tadmoraei*, ſive *Palmyreni* retinuerunt. Neque enim, aut qualiſcumque dialecti varietas, aut Syriacorum, aut Phoeniciorum quorumdam characterum commixtio ſequentium aetatum progreſſu quomodocumque inducta, vel linguam, vel ſcripturam eorum primigeniam ab Hebraica diverſam reddere valuit. II. Tadmoraei Hebraeorum coloni a Rege Salomone inſtituti non potuerunt non uti Moſaicae legis, ceteriſque ſacris eiuſdem religionis codicibus quamdiu ſub ditione Iudaeorum Regum vixere. At credibile non ſit, eos fuiſſe exaratos litteris Samaritanis, quas Tadmorae cives perpetuo ignorarunt. Igitur ad id uſque temporis, quo a Nabuchodonoſoris exercitu Tadmora ſubverſa eſt, adeoque & ante Eſdrae tempora ſuſpicari licet divinos hoſce libros non aliis quam Aſsyriis, ſive Hebraicis characteribus fuiſſe conſcriptos. Quae tamen non ſic accipi velim, quaſi decretoria eſſe putem ad controverſiam dirimendam de litterarum genere, quo ſacri codices ante Eſdrae tempora fuerant exarati. III. Vitia, quae, quum in Hebraica exemplaria Babylonicae captivitatis tempore irrepſiſſent, ab Eſdra emendata dicuntur, oriri potuerunt ex corruptela dialecti eius plane ſimili, quae in linguam, & ſcripturam Hebraicam Tadmoraeorum invecta eſt. IV. Admodum probabile eſt Zoroaſtrem ſub eiuſdem Babylonicae ſervitutis tempus falſae religionis ſuae inſtitutiones *hebraice* quoque ſcripſiſſe. Erat enim in Hebraeorum ſermone eorumque ſcripturis, ut eruditi fere omnes conſentiunt, apprime verſatus. *Bar-bahlus* Syrus ſaec.x. ſcriptor, librum *Zendaveſtam linguis ſeptem*, *Syriaca*, *Perſica*, *Armenica*, *Segiſtanenſi*, *Marvazenſi*, *Graeca*, *& Hebraica* ab eo adornatum, compoſitumque tradit. De Graeca teſtis eſt etiam Euſebius, qui ipſiſſima Zoroaſtris verba ex Graecis Perſicorum rituum Commentariis recitat in lib. de praep. evang. De *Segiſtanenſi*, & *Marvazenſi* tamquam Perſicae dialectis nil plane dubitat Hyde. De reliquis id quod Bahlul ſcribit *fabulam eſſe debere* cenſet. Cur ita? Quia *ſuos iuſſit*, quae in eo libro continebantur *nulli extero revelare*, *nec linguam*, *& litteras eius aliquem docere*. Sed ubi Hyde ait Zoroaſtrem vetuiſſe ſuis, ne quemquam linguam, litteraſque libri a ſe ſcripti docerent, vereor num idem ipſe magis quam *Bahlul*, veram nobis fabulam narret. Sic enim fingere oporteret, Zoroaſtrem novum quoddam & arcanum ignotae linguae, atque ſcripturae genus excogitaſſe, quod nulli mortalium revelare fas eſſet. Illud unum *Hydi* conceſſero, Perſicae ſuperſtitionis auctorem imperaſſe ſuis,

ut

ut ſolis initiatis *Zendaveſtae* dogmata, eiuſque myſteria panderent. Qui tamen voluit, ut etiam extra Perſiae fines, inter Indos, Aſſyrios, Hebraeos, Graecos, Armenos, alioſque populos diſciplinae ſuae praecepta propagarentur, velle etiam debuit, ut ritualis libri ſui exempla eorumdem populorum linguis, characteribuſque conſcripta haberentur. Se enim ad univerſum terrarum orbem legis ſuae inſtitutis ceu publicae ſalutis radiis illuſtrandum ab *Oromaſde* miſſum iactabat. Et reapſe Zoroaſtris *Aveſta* ſtatim atque ab Indis recipi, & obſervari coepit in Indicam, & Samſcretanam linguam translata eſt. Verum tum de hac, tum de aliis Zoroaſtrianorum operum verſionibus vide Anquetilium. Porro ex his etiam rebus intelligimus quo pacto ſectam Babylone, ubi Chaldaica lingua vernacula erat, ille idem exordiri quiverit; & quo dein ſtudio vias ſuperſtitionis ſuae propagationi inſtruxerit, ut ei facile fuerit Magos quoque ſacerdotes Aſsyrii, Hebraicive ſermonis cultores, *Palmyrae* in templo Solis habere. Quamquam & *Perſepoli* praeter indigenas *Zendicae*, aut *Pehlvicae*, *Perſicaeve* linguae *Magovadim*, alios etiam, qui Hebraicam ſimilem Palmyrenae colerent, admiſſos putem ad Iudaeorum commodum, quorum plurimos in Xerſis exercitu fuiſſe *Choerilus* apud Ioſephum teſtatur. Fieri enim quam facillime potuit, ut eorum multi, qui Babylonem e Palaeſtina captivi deducti fuerant, divina Moyſis lege deſerta, in Zoroaſtrianam Perſarum ſuperſtitionem miſerabili fato defecerint. V. Multa e ſacris Hebraeorum voluminibus mutuati ſunt Zoroaſtres, & Magi illius ſuperſtitionis aſſeclae, & propagatores. Rem hanc Patres noſtri SS. tam aperte demonſtrarunt, ut eam nemo, niſi temere, in dubium revocare queat. VI. Non Hebraei a Zoroaſtre, aut a Magis, in Babylonica captivitate, quemadmodum auſi ſunt impie, atque ſtultiſſime fabulari Voltairani increduli, ſed Zoroaſtres, & Magi partim ex antiquiſſimis Hebraeorum traditionibus, partim etiam ex eorum divinis libris derivarunt quicquid eos de Angelis, de Luciferi lapſu, de daemonibus, de primi hominis caſu, de bonorum, malorumque operum iudicio, de immortalitate animae, de reſurrectione corporum, de paradiſi deliciis, deque inferorum ſuppliciis ſcripſiſſe, ac docuiſſe cognovimus. Parva ſint iſta, ſed &

. . . *parvis quoque magna iuvari*,

Horatii ſententia eſt in epiſt. ad Auguſtum.

Iam ſi tu, NICOLAE clariſſime, meum hoc Palmyrenum tentamen non contemnendum penitus, improbandumque putaveris, ſatis ego uberem laboris mei fructum me percepiſſe credam. Sed age porro, &, ſi me amas, quantum me a te amari certiſſime ſcio, illud in primis cura, & enitere, ne mea haec, qualiacumque fuerint, quaſi deſpecta, &, quod maxime nolim, omni prorſus gratiae, & patrocinii ſui nutu indigna habeat *Patruus* tuus, tuuſque altor, & educator, & mei ſemper amantiſſimus, excellentium operum auctor, *Petrus Franciſcus Fogginius*. Quod ſi praeſtiteris, beneficio me tibi devinxeris maximo, & immortali. At vos interea, qui duo eſtis litterarum lumina, valete ambo, diu Sacris, Romanis, & Graecis antiquitatibus, diu ſanioris Theologiae praeſidio, Sanctorumque Patrum doctrinae propagandae, diu Urbis decori, & Apoſtolicae Sedis gloriae, auctoritatique tuendae vivite, aeternumque ſplendete, &, quod reliquum eſt, meis, vos oro, votis obſecundate. Nam ego viciſſim, ut in coronidem convertam exordium, quo utitur S. Greg. Nazianz. in ep. ad Sophronium Principem πάντα (vobis) τοῖς φίλοις βέλομαι δεξιά.

FINIS.

IN-

INDEX RERUM

QUAE HOC QUARTO VOLUMINE CONTINENTUR.

A

ABacus. Eius uſus, & ſtructura. *Pag.*26.
Accenſi Velati. Quodnam eſſet eorum munus. 22.
Acerra. 179.
Achilles furens ob reſtitutionem Aſtinomes Chryſi patri ſuo. 3. 330. A Minerva, arrepta coma, cohibetur. *ibid.* Chryſeidem Thebis captivam ducit. 5. Legatos Agamemnonis excipit. *ibid.* Hectoris cadaver Priamo reſtituit. 6. 338. Eius ortus. 67. Stygis fluvii aquis immerſus, ut expers vulnerum eſſet. 68. A Chirone educatus. 69. Inter puellas Regis Lycomedis occultatus. 71. Ab Ulyſſe detectus. 72. Hectorem occidit, eiuſque cadaver trahit. 73. 336. A Scamandro fluvio oppreſſus, quod alveum ſuum cadaveribus oppleſſet. 336. Iuſta Patroclo perſolvit. 337. Ante portam Scaeam ictus occumbit. 347.
Aegyptus per mulierem exprimitur fruges in gremio retinentem. 325. Ab Antonino Pio ſubigitur. 323.
Aeneas Aphareum interficit. 331. In pugna ad naves Graecorum diſpoliavit Medonta, & Iaſum. 332. Congreſſus Achilli a Neptuno liberatur. 335. Patrios Deos Penates Anchiſi tradit. 353. E manibus furentium Graecorum ſe eripit. 354. Navi in Italiam vehitur. 356.
Aër, quomodo expreſſus. 118.
Aeſculapius quomodo repraeſentatus. 205. 206.
Aethra a nepotibus agnoſcitur. 353.
Aglibolus, & Malachbelus Dii tutelares Palmyrenorum. 79. Variae eruditorum de his Diis ſententiae. *ibid.* & *ſeqq.*
Aiax Telamonius Archelochum interficit. 331. A Neptuno confirmatur. *ibid.* Ob negata ei Achillis arma inſanit. 348.
Alexander Magnus ex Cydno amne pene exanimatus extrahitur. 199. Eius templum. 362.
Alexander Severus Imp. Eius, Iuliaeque Mammaeae urna ſepulcralis. 2. Mauſoleum ei decretum quo loco fuerit. *ibid.* Eius ortus, & interitus. 362.
Althaea torrem cremat ex quo fatum Meleagri pendebat. 183.
Amazones. Earum pugna contra Athenienſes. 99. An dexteram mammam ſibi praeciderent. 101. Omnium primae equis in bello uſae ſunt. 102. Earum arma. 103. Veſtes. 105.
Ampelus amaſius Bacchi. 225.
Anas hiemis ſymbolum. 217.
Andromeda ceto expoſita, & a Perſeo liberata. 243. & *ſeqq.*
Antilochus a Memnone transfigitur. 346.
Antoninus Pius, quo anno Aegyptum rebellantem ſubegerit. 324.
Anubis. Eius attributa. 33.
Apex, virga lanata in ſummo flaminis pileo. 55.
Apollo. Eius ſymbola. 155. Inferorum Deus creditus. 266. Ad aeſtatem deſignandam expreſſus. 269. Ad ignem exhibendum adhibitus. 270.
Aqua Mercurii ſupra portam Capenam fluebat. 251.
Aquaeductus aquae Virginis ubi eſſent. 40.
Ara Neptuni quibus ſymbolis expreſſa. 159. Tranquillitatis. 160. Ventorum. *ibid.* Tempeſtatis. 163.
Archigalli tamquam veri ſacerdotes habiti. 58. Feminarum mores ſimulabant. *ibid.* Capillos ſibi tondebant. 59. Eorum corona. 60. Monile. 61. Veſtis. *ibid.* & 62. Imagunculas pectori affixas geſtabant. 62. Flagrum quo ſe Galli caedebant. 64.
Arctinus poëmate inſcripto Αἰθίοπις Troiae excidium deſcripſit. 344.
Arcus Portugallienſis ubi ſitus eſſet. 39. Quo tempore dirutus fuerit. *ibid.* Druſi Caeſaris. 41. Claudii Imp. *ibid.* Domitiano quot Romae fuerint erecti. 42. Marci Aurelii, & Lucii Veri. 43.
Ariadne ubi fuerit a Baccho deſponſata. 316.
Aſcoliaſmus ludus Graecis, & Romanis familiaris. 295.
Atalanta prima aprum Calidonium vulneravit. 181. Eius veſtes. 186.
Aurelianus templum Romae aedificat ex Palmyrenorum exuviis. 77.

B

BAcchus pantheris deductus. *Pag.*154. Oreos dictus. 190. A Rhea educatus. 221. Centaurorum bigis trahitur. 223. Eius orgia quando Romae publice fuerint invecta. 231. Caper ei fuit immolatus. 234. Eius feſtis animae mortuorum iuvari credebant. 272. Eius orgia tamquam elyſiorum ſymbola adhibita. 274. 275. Quot eius nutrices fuerint. 291. Fructus eidem offerri ſoliti. 292. Vitis ei ſacra erat. 293. Cothurnis ornatus. *ibid.* Coronatus corymbis, longaque veſte indutus. 307. Leaenis vectus. 308. Serpentes ei tribuebantur. 309. 310. Quibus nominibus eſſet invocatus. 312.
Baſſarides unde nomen traherent. 210. 225. Baccho tamquam ſociae adiunctae. 310.
Bigae. Earum forma. 151.
Bonifati vivas. Acclamatio variis monumentis inſculpta. 255.

C

CAlathi in feſtis Cerealibus circumferri ſoliti. 31.
Calbienſes, quod militum genus fuerint. 365. 406. 411.
Callimachus praeſtantiſſimus Graeciae ſculptor, an auctor ſit anaglyphi in Muſeo Capitolino ſervati. 209. & *ſeqq.*
Calliope, cui ſcientiae praeſit. 130.
Cameli in Bacchi triumpho expreſſi. 314.
Candelabra in ſacrificiis adhibita. 176.
Canes pro fidei ſymbolo expreſſi. 147. Venaticis, quae virtutes eſſe debeant. 250.
Cantharus. Vas Bacchi proprium. 285.
Caritas militaris apud Graecos, & Romanos. 197. & *ſeqq.*
Centauri. Eorum forma, & ſymbola. 166. & *ſeqq.*
Ceres cum duabus facibus expreſſa. 263. Draconibus vecta. 264. Quandoque ad currum iunctis bobus inſculpta. *ibid.* Primitiae frugum ei offerebantur. 288. In eius ſacrificiis libationes fiebant. 289. Floreae coronae in Theſmophoriis vetitae erant. 290.

Cernuare apud Latinos cernuo in terram ventre cadere propie ſignificabat . 296.
Chori pueriles in ſacris Liberi adhibiti . 278. 279.
Chryſes Graecos duces obteſtatur , ut ſibi Aſtinomem filiam reddant . 329.
Circenſes ludi quo tempore pingi coepti . 237. Qua de cauſſa primum fuerint inſtituti . 238. Qui potiſſimum in iis edendis ſpectaculis praeſtiterint . 239. *& ſeqq.*
Ciſta myſtica Baccho ſacra . 65. 154.
Ciſtophorus Deae Bellonae Pulvinenſis . 66.
Claudia Veſtalis . 364.
Clio Heroum encomiis praeſidebat . 136.
Commodus , qua aetate togam ſumpſerit . 46.
Convivia in ſarcophagis ſculpta quid ſignificent . 139.
Cornua pro poculis apud veteres habita . 210.
Coroebus ante Minervae aram procumbit . 351.
Coronae expreſſae ad declarandas res praeclare geſtas . 121. Duplices mollitiem oſtendebant . 276. Circa collum poſitae effeminati animi indicium erant . 278. Lemniſcatae victoribus ex ludo , atque ex praelio tradebantur . 299.
Corybantes Bacchi cuſtodes . 225.
Corymba prorarum ornamenta . 177. *& ſeqq.*
Cotyla proprium Bacchi poculum . 283.
Cubitus qua proportione conſtaret . 25.
Cupidines per mare delphinis vecti . 305.
Curetes quot fuerint . 15. Ab aliquibus pro Caſtore, & Polluce habiti . 16.
Currus Deorum cum propriis ſymbolis in eorum pompis circumferri ſoliti . 150.
Currus , quo Priamus dona Achilli tulit ab Homero dictus πείρινθα , & quaenam fuerit eius forma . 8.
Cymbala Baccho adtributa . 292. 311.

D

DEcempeda , quae eius menſura eſſet . *Pag.*25.
Dianae Triviae imagines quernis frondibus , & anguibus coronatae . 107. Cervae ipſi ſacrae erant . 153. Cum facibus effingebatur . *ibid.* 193. Eius veſtes . 191. Parcis comes addita . 215. Inter Deas inferorum numerata . 266. Autumnus in eius tutelam credebatur . 270. Ad eam mare pertinebat . 271.
Dii tutelares urbium a Romanis contra hoſtes evocati . 319.
Diſcus . Eius forma , & uſus . 35.
Dolabra . Eius forma . 35.

E

ELephanti veluti proprium venationum ſymbolum expreſſi . *Pag.*240. In Bacchi pompis tamquam Indici triumphi indices occurrunt . 313.
Elyſii campi , qua parte ſiti eſſent . 113. 301.
Endromides calceamenta venatorum , athletarum , & curſorum propria . 192.
Endymion . Eius apotheoſis . 109. Antrum in quo is diverſabatur . 112. A Luna viſitatur . 143. Perpetuus eius ſomnus quid indicaret . 247. Quomodo fuerit effictus . 248. 249.
Equus ligneus a Graecis Troianis oblatus a quo fuerit conſtructus . 350. Troiam magna laetitia attrahitur . *ibid.* Ea occaſione Iuno Troiae portas ampliores reddidit . 351. Prope templum Minervae ponitur . *ibid.* Noctu incluſi Graeci egrediuntur . *ibid.*
Erato philoſophiae praeſes . 133.
Euterpe philoſophicis diſciplinis praepoſita . 132.

F

FAces in Bacchi feſtis frequentes . *Pag.*277.
Faſciae pectorales nobilibus pueris attributae . 215.
Faſciolae orgiorum Bacchi propriae . 274.
Fatum humanae vitae actiones dirigere credebatur . 120.
Fauni . Eorum ſymbola . 281.
Fauſtina in radicibus montis Tauri in vico Halale deceſſit . 46. Eius apotheoſis . 47. Alis Dianae Luciferae in caelum vecta . 49.
Feriae Latinae in honorem Iovis Latialis inſtitutae . 9.
Ferula potiſſimum Baccho ſacra . 224. 312.
Fortuna . Eius ſymbola . 303.
Funera , quibus ritibus fierent . 202. *& ſeqq.*

G

GEnius cuique naſcenti adtributus . *Pag.*121.
Gratiae cum Mercurio inſculptae . 255. Veneris comites . 303. 305.
Gryphes cur in monumentis ſepulcralibus appoſiti . 113. Apollini ſacri . 155. Baccho tributi . 296.

H

HAdrianus . Tiburtina eius villa . *Pag.*357.
Harpocrates , quibus ſymbolis effictus . 35. *& ſeqq.*
Hector ab Apolline confirmatur . 331. Aiacis Telamonii navim aggreditur . 332. Eius ſepulcrum . 354.
Hercules Omphales amore domitus . 88. Magnus vini potator fuit . 89. 299. Aquilam Promethei cor vorantem interficit . 124. Sua ſe manu coronat . 252. Comperiendarum , cogendarumque aquarum peritiſſimus fuit . *ibid.* Ante currum Plutonis Proſerpinam rapientis repraeſentatus . 263. Victor cognominatus . 297. Ubi eius templum eſſet , & a quo aedificatus . 298. Eius apotheoſis . 299. Domus Ulpiorum conſervator 300. Baccho comes additus . 315. Cum cratere inſculptus . 316.
Homerus a Muſis enutritus , inſtitutuſque creditus eſt . 139. Omnium Poëtarum princeps . *ibid.* Prope Calliopem ſedens . 140.
Hygia ſalutis Dea . Eius ſymbola . 207. Placentae ei offerebantur . *ibid.*
Hylas a Nymphis raptus . 253. Sacra in eius honorem celebrata . 254.

I

IDomeneus Othrioneum , & Aſium occidit . *Pag.*330.
Ilias Homeri veteri anaglypho expreſſa . 327. Quo loco id fuerit inventum . 328.
Inferiae mortuis mitti ſolitae . 113.
Iſis navigantium Dea tutelaris . 29. Urnae ſymbolo repraeſentata . *ibid.* Per ſerpentem expreſſa . *ibid.* Idem Numen credita ac Ceres . 30. Eadem ac Luna . 31. Quo tempore Romani eius myſteria colere incoeperint . 37. Caput ſibi raſit ob necem Oſiridis . 196.
Iſium ubi Romae aedificatum fuerit . 27.
Iudices Ludorum , tum in Graecia , tum Romae conſtituti . 337.
Iuppiter , quo loco natus fuerit . 10. Ab Amalthaea capra altus . 13. A Curetibus cuſtoditus . 15. Deorum regno potitus . 17. Capitolinus proprie Optimus Maximus nominatus . 318.

L

LAternae . Earum uſus apud veteres . *Pag.*275.
Leſches *parvae Iliadis* auctor . 345.
Libripens appellatus nummorum penſator , qui in adoptionibus perſolvebantur . 92.

Lotus

Lotus flos Aegyptius cur dicatus Harpocrati fuerit? 36.
Lucius Verus Imperii conſors electus. 44.
Ludi Circenſes, quomodo repraeſentati. 227.
Luſtra, ſeu Λύτρα appellatus XXIV. liber Iliadis. 6. 338.
Luſtratio claſſium, quomodo fieret. 158.

M

MAenades, quo habitu incederent. *Pag.*285.
Malachbelus. *Vide* Aglibolus.
Meleager avunculos interficit. 181. Ob Althaeae iram moritur. 183. Unus ex Argonautis fuit. 185. Cum barba repraeſentatus. 202. Ad caedem apri Calidonii ſe confert. 235.
Melpomene tragoediae inventrix. 130.
Memnon ab Achille occiditur. 346.
Menſores aedificiorum, quodnam eſſet eorum munus. 21.
Mercurius Criophorus dictus. 97. 151. Animarum deductor. 122. 216. Verni temporis ſymbolum. 149. 268. Ollae ipſi conſecratae. 152. Currum Plutonis Proſerpinam rapientis antegreditur. 262. Mortuorum curatione fungebatur. 265. Tamquam aëris ſymbolum expreſſus. 270. Barbatus inſculptus. 272. Paenulatus. *ibid.*
Minerva homini a Prometheo perfecto animam infundit. 119.
Muſae quot initio fuerint. 128. Earum nomina. 129. Baccho comites datae. 310. Achillis mortem lugentes. 347.
Muſivum opus columbas exhibens ubi fuerit inventum. 357. An idem ſit ac illud a Soſo Pergami elaboratum. 358. Winckelmannii opinio non admodum probanda. *ibid.* & *ſeqq.*

N

NEbrides Baccho, eiuſque comitibus attributae. *Pag.*282.
Nemeſis humanas actiones iudicat. 121. Eius ſymbola. 187.
Neoptolemus Eurypilum interficit. 349.

O

OBulus numiſma emortuale ad infernale flumen traiiciendum. *Pag.*185.
Orpheus a Calliope muſicam edoctus. 195. Primus omnium religionem, & ſacrificia docuit. 196.
Orfiti ad quam gentem pertinerent, & quos honores obtinuerint. 320.
Oſiris idem fuit ac Sol. 32. Cum Iſide, & Horo veneratus. *ibid.*

P

PAles Dea agrorum tutelaris, cui paſtores ſacra faciebant. *Pag.*220.
Palladium, ubi ſervaretur. 54.
Palmyra. Vetus eius nomen. 83. Ab Hadriano reſtaurata. 84. Qua epocha uterentur Palmyreni in annis numerandis. *ibid.* Quae fuerit eorum lingua. 85. 377.
Pan aſſecla, & pediſſequus Bacchi habitus. 309. 312.
Papaver Cereri ſacer. 97.
Parcae cum bilance, & cornucopiae expreſſae. 145. De fortibus humanae vitae diſponebant. 216.
Patroclus arma induit Achillis, & cum Hectore congreſſus occiditur. 332. Eius cadaver ab Aiace Telamonio contra Troianos defenditur, & ad naves transfertur. 333. Eius mortem Achilles luget. 334.
Pelta Amazonum ſcutum cuius formae eſſet. 104.
Pentheſilea ab Achille occiditur. 345.
Perſea planta Aegyptia Harpocrati ſacra. 36.
Perſeus, quomodo repraeſentatus. 245.
Pes antiquus Romanus. Quae eius menſura eſſet. 24.
Petaſus galeae inſtar expreſſus. 152.
Pluto cum ſceptro inſculptus. 146.
Poëſis arcte cum Philoſophia coniuncta. 141.
Polhymnia artis oratoriae inventrix. 134. Velis ornata. *ibid.*
Polyxena Achilli manibus immolata. 354.
Porta Capena ob aquarum interfluentium copiam madida appellata. 251.
Porticus Argonautarum ubi eſſet. 169. Idem fuit ac Porticus Neptuni. *ibid.*
Praefericulum. Eius forma. 170.
Priamus Hectoris corpus ab Achille redimit. 338. A Neoptolemo interficitur. 353.
Prometheus omnium elementorum partem in homine poſuit. 116. Stellarum motum primus docuit. 120. Ab Iove irato ſupplicio affectus. 122.
Prora navis cum puppi a Winckelmannio perperam confuſa. 172. Eius inferior pars ἔμβολον a Graecis dicta. *ibid.* Prorae inſigne. 173. Pars prorae ſuperior quomodo appellata. *ibid.*
Proſerpina vitae, neciſque hominum poteſtatem habuit. 146. Eius raptus deſcenſum animarum ad inferos ſignificabat. 257. Ubi huiuſmodi raptus contigerit. 258. Rapta eſt dum flores legeret. 259. Venus, Minerva, & Diana Proſerpinae comites. 260. Curru vectus Pluto eam rapit. *ibid.* Animarum iudex conſtituta. 264.
Pueri vix nati vita functi rapti dicebantur, ut cum Diis manerent. 213.
Puppis navis, eiuſque partes. 175.
Putealia ſigillata a Cicerone memorata quid ſignificent. 96.

Q

QUinquatria Minervae, quo anno fuerint inſtituta. *Pag.*52.

R

ROgus. Eius origo, & quantum eius uſus perduraverit. *Pag.*203.
Romulus, & Remus in ſcutis a veteribus Romanis inſculpti. 241.

S

SAcerdotes capite tecto ſacrificabant. *Pag.*322.
Sacerdus pro *Sacerdos* ſcriptus. 256.
Sacrificia a navigantibus facta. 158. Euchariſtica, parta victoria, oblata. 321.
Salvia nomen navis. 364.
Saturnus ſaxum pro Iove vorat. 12. Quomodo ſit repraeſentatus. *ibid.*
Scyphus Herculis. 299. 315.
Serapis. Eius templum ubi fuerit aedificatum. 317. Idem ac Sol exiſtimatus. 319.
Sigaeum portus prope oſtia Scamandri. 355.
Sigilla, templorum zophori appellata. 170.
Silenus, quomodo repraeſentatus. 294.
Simpulum. Vas ſacrificale ad vini libationes accommodatum. 179.
Simulacra Deorum cum pateris expreſſa. 196.
Sinon captivus Troiam deducitur. 350.
Socrates Homeri diſcipulus appellatus. 141.
Somnus cognomento Epidotes. 108.
Steſichorus auctor Poëmatis, cui titulus Τρωϊκός. 344.
Syntiche Claudia Veſtalis. 365.

Taltby-

T

TAlthybius Troianas mulieres prope Hectoris ſepulcrum alloquitur. *Pag* 354.
Tauri Neptuno immolati. 171. Albi Iovi Capitolino in triumphis mactati. 321.
Taygetum, mons prope Spartam Baccho conſecratus. 212.
Terpſichore hymnis in honorem Deorum, atque Heroum praeerat. 133. Laurea corona ornata. *ibid.*
Thalia comoediae inventrix. 137.
Thalyſia, ſacrificia Cereri in agris oblata ob fertilitatem frugum. 287.
Therſites ab Achille interficitur. 346.
Thetis Iovem obteſtatur, ut pro erepta Achilli Briſeide, Graecos ulciſcatur. 330. Arma a Vulcano perfecta tradit Achilli. 334.
Tiberis, ut Deus cenſebatur. 255.
Tibia utricularis. 283. Foramina exſtantia in tibiis quid ſignificent. 311. Obliqua, a Graecis πλάγιος, a Latinis *veſca* appellata. 278.
Tibiae duplices a Cybeles ſacris in Bacchi feſta translatae. 225. 282.
Tintinnabula in Bacchi orgiis adhibita. 232.
Tireſias triumphum Bacchi ſequitur. 315.
Tiſiphone. Eius ſymbola. 182.
Tympanum feſtorum Bacchi proprium. 225.
Traianus, Plotina ſuadente, Hadrianum adoptat. 91. Quo actu Hadrianus adoptatus fuerit. 93.
Tritones. Eorum forma. 304.
Trophaea, quomodo conſtitui ſolerent. 325.
Troia, quando everſa fuerit. 351.

V

VAſa Alexandrina, cuius formae, & materiae fuerint. *Pag.* 34.
Venus per mare gradiens: 301. Caprae inſidens. 303. Eius templum Troiae. 352. Idoli ipſius forma. *ibid.*
Veſta ab igne non diſtincta. 266. Cum Mercurio, Apolline, & Diana colebatur. 267. Hiemis ſymbolum. 268. Eadem quae terra. 270.
Veſtales quot initio fuerint. 53. Quibus veſtibus ornarentur. 54.
Victimae, quo ritu ante ſacrificium explorarentur. 322. Quando proprie immolatae dictae fuerint. *ibid.*
Winckelmannius notatus. 170.
Ulyſſes, & Diomedes Palladium ſurripiunt. 349.
Urania aſtrologiae inventrix. 136. Eius ſymbola. 137.
Utres in Bacchi pompis circumlati. 283.
Vulcanius notatus. 100.
Vulcanus. Eius officina quomodo expreſſa. 116. Arma Achilli, petente Theti, conficit. 334.

Z

ZOna a primiparis Dianae conſecrata. *Pag.* 68.
Zoroaſtres. Eius ortus. 381. Imago. 382.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. A. Marcucci Patriarcha Conſtantinop. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Mamachi Ordinis Praedicatorum, Sacri Pal. Apoſt. Magiſter.



Io. Dom. Campiglia delin.



Coſmuſ Colombini ſculp. Floren.



G.D.C. del.

P. Ant. Pazzi ſc.



Gio. Dom. Campiglia delin.   Giuseppe Vasi incis.



Io. Dom. Campiglia del.



Coſmus Colombini ſculp.



G: D: C: de:



Carol: Faucci ſculp.




Gio. Dom. Campiglia dis.




Ant. Capellan. inc.



Gio. Dom. Campiglia dis.




Ant. Capellan inc



Gio Dom. Campiglia del.



Ant. Capellan inc.



Gio. Dom. Campiglia dis.



Pietro Parrocel inc.








Gio. Domenico Campiglia diſegnò ed inciſe

50






G.D.C.d.



P. Ant. Pazzi ſc.


J.D.C. d.


52
P. Ant. Pazzi ſc.



Gio. Domenico Campiglia dis. ed incise



Gio. Dom. Campiglia dis.

EPITYNCHANVS·M·AVRELI CA

ET NYMPHES SANCTISSIMIS I



ES·LIB·ET ACVBICVLO FONTIBVS
IIVIVM EX VOTO RESTITVIT



Io. Dom. Campiglia delin.



Carol: Gregorj sculp.



Gio. Dom. Campiglia dis. *Ant. Capellan inc.*




Gio. Dom. Campiglia del.



Anton. Capellan inc.



58





Gio. Dom. Campiglia dis.

Ant. Capellan inc.



60





G.D. Campiglia dis. *G.B. Piranesi inc.*



J.D.C..d.



P. Ant. Pazzi sc.




Io. Dom. Campiglia del.



Carol. Gregorj sc.


I·O·M·SOLI·SARAPIDI
SCIPIO·ORFITV·S·VG
AVC VR
VOTI·COMPOS·REDDII VS






G. D. C. del.   P. A. Pazzi ſc.



G. D. C. del.

P. A. Pazzi sc.



Carolus Antonini sculp.


ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΑΘΗΝΑ
ΟΔΥΣΣΕΥΣ ΤΗΝ ΕΚΑΤΟΜΒΗΝ ΤΩ ΘΕΩ ΑΓΩΝ
ΧΡΥΣΗΙΣ
ΘΕΤΙΣ
ΕΚΤΩΡ ΚΑΙ ΛΥΤΡΑ ΕΚΤΟΡΟΣ ΕΡΜΗΣ ΠΡΙΑΜΟΣ ΑΧΙΛΛΕΥΣ
ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΚΑΥΣΙΣ ΠΑΤΡΟΚΛΟΥ ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ ΑΓ
ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΕΚΤΩΡ ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΕΚΤΩΡ ΑΧΙΛΛΕΥΣ
ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΣ ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΠΟΣΙΔΩΝ ΦΡΥΓΕΣ
ΠΟΣΙΔΩΝ ΑΧΙΛΛΕΥΣ
ΘΕΤΙΣ ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΦΟΙΝΙΞ ΑΧΙΛΛΕΥΣ
ΠΑΤΡΟΚΛΟΣ ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΘΕΤΙΣ ΟΠΛΟΠΟΙΑ ΗΦΑΙΣΤΟΣ
ΠΑΤΡΟΚΛΟΣ ΦΟΙΝΙΞ ΔΙΟΜΗΔΗΣ ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΠΑΤΡΟΚΛΟΣ
ΑΙΝΗΑΣ ΚΑΙ ΓΟΣ ΠΑΡΙΣ ΕΛΕΝΟΣ ΕΚΤΩΡ ΚΑΛΗΤΩΡ ΕΠΙ ΝΑΥΣΙ ΜΑΧΗ
ΑΡΧΕΛΟΧΟΣ ΑΙΑΣ ΛΟΥΚΡΟΣ ΑΙΑΣ ΠΟΣΙΔΩΝ ΕΚΤΩΡ ΑΠΟΛΛΩΝ
ΜΗΡΙΟΝΗΣ ΑΚΑΜΑΣ ΙΔΟΜΕΝΕΥΣ ΟΘΡΙΟΝΕΥΣ ΑΙΝΗΑΣ ΑΦΑΡΕΥΣ
ΙΕΡΟΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ
ΑΧΙΛΛΕΩΣ ΣΗΜΑ
ΑΠΟΠΛΟΥΣ ΑΙΝΗΟΥ
ΔΑΕΙΣ ΠΑΣΗΣ ΜΕΤΡΟΝ ΕΧΗΣ ΣΟΦΙΑΣ
ΣΚΑΙΑ ΠΥΛΗ
ΔΟΥΡΗΟΣ ΙΠΠΟΣ ΤΡΩΑΔΕΣ ΚΑΙ ΦΡΥΓΕΣ ΠΡΙΑΜΟΣ ΣΙΝΩΝ ΑΝΑΓΟΥΣΙ ΤΟΝ ΙΠΠΟΝ ΚΑΣΣΑΝΔΡΑ

69



D. Campiglia del. A. Capellan inc.